

GODOFREDI. HERMANNI

O P V S C V L A.

VOLVMEN PRIMVM.

LIPSIÆ, APVD GERHARDVM FLEISCHERVM.

1827.

a. 4910

GODOFREDI, HERMANNI

O P V S C V L A.

VOLVMEN PRIMVM.

LIPSIAE, APVD GERHARDVM FLEISCHERVM.

1827.

a. 49

P R A E F A T I O.

Quum saepe rogatus essem, ut in unum corpus collecta ederem, quae vel separatim per Academicae vitae opportunitates, vel inserta aliorum libris minora scripta emissem, tandem obsequendum duxi, quamquam me aliis ea re facilius, quam mihi satis facturum intelligerem. Nam etsi sunt in illis scriptis non pauca, quae etiam nunc probo, tamen alia esse video, quae, si hodie scriberem, vel pleniora essem vel emendatiora daturus. Sed tamen interpolare illa non licebat, ne, si qui cognoscere vellent, quae a nonnullis doctorem inde essent commemorata, non illa, sed alia invenirent. Itaque satius visum est nihil mutare, sed hic illic aliquam brevem adnotationem adiicere. Omisi autem Observationes criticas in locos quosdam Aeschyli et Euripidis, et dissertationem de usu antistrophicorum in Graecorum traegoeidiis, atque adnotationes criticas ad Pindarum, editioni

Heynianaē insertas. Nam de illis Aeschylī locis accuratius agetur in editione Aeschylī: quae autem de antistrophicis disputaveram, rectius explicata sunt in Elementis doctrinae metricae: Pindarica vero illa, quae iam nunc multo poteram auctiora edere, alio tempore, si illuc redire licuerit, etiam magis expolire in animo est. Dissertationum Academicarum perorationes plerasque resecuri, una tantum alterave ut exemplo usitati moris servata. Quumque ordinem fere tenerem eum, quo editi sunt isti libelli, visum est singulis voluminibus etiam orationes et carmina, si quae eo tempore scripta essent, adicere. Cuius consilii suasorem habui Böttigerum, virum elegantissimi iudicii. Indices adieci cuique volumini rerum potissimarum, scriptorumque, de quibus esset disputatum: A typographo pauca tantum, nisi fallor, peccata sunt, ut p. 61. ubi μέλη pro μάλη legendum, et p. 107. ubi in priore Aeschylī loco delenda est interpunctio post ὠμόφρων, in altero autem minor ponenda post γένει.

INDEX OPVSCVLORVM.

	pag.
1. De fundamento iuris puniendi	1
2. De poeseos generibus	20
3. De dramate comicosatyrico	44
4. De fragmento Clytaemnestrae Sophoclis in duobus codd. reperto	60
5. Commentatio de verbis, quibus Graeci incessum equorum indicant, ad Xenophontem de re eque- stri cap. VII.	63
6. De differentia prosae et poeticae orationis disputatio. Pars I.	81
7. De differentia prosae et poeticae orationis disputatio. Pars II.	117
8. Observationes de Graecae linguae dialectis	129
9. Dissertatio de ellipsi et pleonasmo in Graeca lingua	148
10. De dialecto Pindari observationes	245

11. De praeceptis quibusdam Atticistarum dissertatio .	269
12. De cantico in Romanorum fabulis scenicis dissertatio.	290
13. Dissertatio de pronomine <i>αὐτός</i>	308
14. Carmen saeculare Academiae Lipsiensis	353
15. Carmen in honores semisaeculares Georgii Guilielmi Comitis ab Hopffgarten	358
16. Alexandro Russorum Imperatori liberata Europa reduci	361
17. In reditu Regis Friderici Augusti	364

GODOFREDI HERMANNI

O P U S C U L A

VOL. I.

HERM. OP. I.

A

I.
DE
FVNDAMENTO IVRIS PVNIENDI
DISSERTATIO.

Quaerenti num ius puniendi inter ea, quae natura hominibus dedit, iura referendum sit, ante omnia opus est eo, ut non modo, quid omnino poena sit, sciat, sed etiam, ut qualis ea sit poena, cuius exigendae ius quoddam reperitur, bene perspectum habeat. Nam si quae sunt poenae, quas persolvi aequitas quidem et honestas flagitent, iustitia autem prohibeat, eas patet ab hac disputatione, in qua de iis tantum poenis, quae iure quodam nitantur, disserendum est, plane segregandas esse. In quo inprimis errasse videtur Hugo Grotius, et qui eum sequuti sunt, poenam in malo passionis, quod ob malum actionis infligatur, ponentes. Quae definitio quamquam, quid omnino poena sit, licet paullo obscurius, at vere tamen declarat, eo naturam poenae censi indicans, quod rerum, quae ad vitae iucunditatem pertinent, aliqua imminutio actiones rationis legibus contrarias, tamquam obligatio malefacto contracta, consequatur: parum tamen idonea est, ubi, num iure punire quemquam liceat, disceptamus. Nam malae actiones, quas Grotius nominat, non solum perfectis officiis violandis committuntur, sed etiam imperfectis, quorum nullus est usus, ubi de iure quaeritur. Solis enim officiis perfectis, quibus violandis aliorum libertas laedatur, iura respondent, quorum conservandorum caussa, ne illa officia negli-

gantur, postulare licet: imperfectorum autem officiorum intermissione quum neminis iura laedantur, non potest illa a quoquam prohiberi. Nam ad ea tantum vel prohibenda, vel exigenda ab aliis ius nostrum pertinet, quibus vel faciendis vel omittendis iniuria nobis fieret. Quodsi quaedam sunt officia, e quorum violatione alii ius quoddam nanciscantur poenae ab eo, qui ista officia violavit, sumendae: ea non possunt imperfecta officia esse, quia, quum horum neglectu nihil cuiusquam iuribus detrahatur, manere illa iura finibus, quibus antea continebantur, inclusa necesse est: quae si non eo usque pertinebant, ut mala cuiquam infligere liceret, non potest intelligi, quare ob imperfectorum officiorum laesionem magis, quam ob aliam rem, nullo officio prohibitam, eo porrigantur. Aliter se res habet in perfectis officiis. His enim violandis alterius iura laeduntur, quem ex hac ipsa re ius nancisci oportet ad ea omnia facienda, quibus illa, quae laesa fuerant, iura tueatur. Quo iure an poenae comprehendantur, necne, id vero recte quaeri potest, quoniam, ut punire nequeat, at quaedam tamen iura is consequitur, qui laesus est. Quamobrem qui de naturali quodam iure puniendi disserunt, eos poenam non in illo malo, quod quis cuiuslibet officii violatione meritus sit, sed in eo, quod ob iura aliorum laesa infligatur, ponere oportet. Quod si fecisset Grotius et qui hunc sunt sequuti, non possent reprehendi, quod latiore, quam eorum consilium ferebat, poenae significationem usurpassent. Itaque nos, quoniam, si aliquid ab ipsa natura inter homines constitutum est ius puniendi, id non nisi perfectorum officiorum laesione niti potest, poenae vocabulo hoc malum intelligimus, quo quis propterea afficiendus sit, quia aliorum iura violaverit, i. e. sua officia perfecta neglexerit.

Igitur si naturali iure permissum putamus, eum punire, a quo laesus fueris, necesse est, ut ipsa laesio causam contineat, quare laedenti malum afferatur. Licitum est autem eum, qui iura nostra laesit, non modo poenae nomine, sed etiam ex aliis causis malo afficere. Quamobrem cavere oportet, ne id mali, quo ad poenam utimur, cum eo confundamus, cuius infligendi aliae causae sunt. Ac conces-

sum laeso est, detracto iure puniendi, dupliciter malum creare ei, qui fecit iniuriam, tum vi, qua tueri iura sua potest, tum damni reparatione, quam ei licet exigere. Vtrumque hoc, quidquid sic mali laedens patitur, a poena longissime distat. Primum enim, quod in vi, qua se laesus defendit, positum est malum, id non propterea additur laedenti, quod is dolere debeat, sed ut malo cogatur iniuriam reparare; ob eamque rem tantummodo pro adiumento est, quo ad ius suum vindicandum laesus utatur. Qui si laedentem aliter, quam bonorum quorundam ademptione ad satisfactionem posset percellere: non esset necessarium; ut mala in eum ingereret. Deinde in reparatione damni quod mali inest, ne hoc quidem tamquam malum, quod iniuriam sequi debeat, patitur is, qui aliquem laesit, sed, quia rependere, quantum laeso nocitum fuerat, debet, si id non nisi cum damno suo facere potest, sufferre malum necesse habet. Verum quo malo ad puniendum utimur, id quum laedenti propterea, quod eum dolore affligi oporteat, imponatur, per se cum iniuria debet coniunctum esse, neque alia re, quae iniuriam sequatur, contineri.

Quae poenarum ab iis malis differentia, quae tum iusta vi sustinenda, tum satisfaciendo accipiuntur, multo clarius cernitur in iis, quae ex hoc discrimine sequi necesse est. Primum enim ea mala, quibus iniuriam repellimus, non nisi tum iniungere laedenti licet, quum coactu opus est. Etenim si volens ab iniuria absteineat, aut perpetrata repararet, non modo inutile fuerit, vim suscipere, sed etiam iniustum, quia nulla vis iusta est, nisi quae iuris tuendi causa adhibetur. Illud malum autem, quod reparanda iniuria laedens patitur, ne quaeri quidem potest, quando inferre ei liceat, propterea quod illud in eo continetur, quod quin fieri debeat, dubitari non possit. Igitur tantummodo, quando vere inferatur, quaerendum est. Atque hoc tum fit, quum laesus non potest in iura sua restitui, nisi cum damno laedentis. Qui si id, unde laeso satisfacit, non numerat inter bona sua, nihil compensanda iniuria contrahet incommodi. Poenae vero cuius irrogandae opportunitas non pendeat e casu aliquo fortuitoque eventu, semper locum esse necessa-

rium est. Puniendi causa enim ut alicui malum detur, nihil est aliud opus, quam ut admiserit iniuriam. Deinde quum vi defendit iura sua laesus, non plus mali, quam ad aver-tendam iniuriam opus est, facere laedenti potest, quia, quod ultra fieret, iusta causa destitueretur. Quum autem satisfactio, quae laeso ab laedente praestanda est, malum continet, hic quoque, pariter ut antea, non potest quaeri, quantum oporteat hoc mali esse, sed quantum vere sit. Tantum erit autem, quantum e vitae suae iucunditatibus laedens dissolvenda iniuria amittit: qui tantum abest, hac re ut semper damnum faciat: etiam interdum videtur aliquid lucrari. At vero poenae si quis modus est, is, quoniam ad poenam nihil, nisi ut facta sit iniuria, requiritur, ex nulla alia re, quam ex malefacti natura erit aestimandus. Denique quum alia sit mali admovendi causa, si illud ad cogendum adhibeatur; alia, si in satisfactione insit; alia, si puniendi gratia irrogetur: necesse est, ut alteram mali illatio alteram non excludat, idemque homo, quem vis laesi et reparatio iniuriae affligerint, poena insuper castigari possit.

Iam posteaquam de notione poenae expositum est, ad id accedere convenit, quod perquirere hac disputatione instituiamus. Est autem haec nobis ad persolvendum proposita quaestio, utrum inter illa iura, quae natura dedit laeso, puniendi ius numerandum sit, an illud, nisi ab aliis traditum atque concessum, nemo habeat: quae disputatio ut recte atque ordine tractetur, ab eo res omnis repetenda est, in quo fons et origo est omnis iuris. Ac dedit hominibus hanc legem ratio, quippe se ipsam dissolvere nequiens, ut, quidquid agant, ipsam sive in se ipsis sive in aliis sanctam inviolatamque habeant. Inde nascitur hoc erga alios officium, ne quis eorum liberam voluntatem, quatenus illa quidem rationi consentanea est, laedat atque offendant. Eoque officio servando omne ius continetur. Haec enim videlicet iure fieri dicuntur, quae prohiberi ab aliis non possunt, eaque sunt illa ipsa, quae salva rationis dignitate fiunt. Itaque quum malum dare, si per se spectetur, iniustum sit, necesse est, si illud puniendi gratia licitum esse arbitramur, ut iniuria, quam quis perpetraverit, aliquam causam contineat,

quare poena perpetiēda nihil eius natura, ut ratione utentis, laedatur. Quae res ita se habeat, necne, id considerandis iuribus, quae laesus ex iniuria accipit, intelligetur. Ac quum in eo consistat omnis iniuria, quod is, qui eam facit, alterius voluntati, quae quidem iusta sit, vim afferat: inde consequi necesse est, primum, ut is, qui patitur iniuriam, in voluntate sua iure permanere possit; dein, ut laedens, quaecumque iniuste contra superiorem suscipiat, eorum ratione naturae suae dignitatem abdicasse sit censendus. Hinc, quid iuris habeat laesus, apertum est. Nam quum omne hominis ius in hoc solo positum sit, ut libertas, quatenus rationis legibus adstricta est, salva atque incolumis servetur: non potest latius patere ius laesi, quam ad tūendum iustae libertatis usum opus est. Itaque facere ei omnia licet, quibus laedentem ab iniuria abstinere cogat. Hoc autem coercendo tantum abest, ut rationis sanctitatem imminuat, eam ut potius conservet. Etenim eatenus tantum vetitum est aliorum libertatem impedire, quatenus illa fines ab ratione praescriptos non egreditur. Nam si, quatenus cum rationis praeceptis consentit, posset turbari, ipsa ratio ut secum dissentiret necesse esset: at ubi quis ea cum contemptu rationis male abutitur, ibi profecto si reprimatur, nihil rationali naturae accedit detrimenti. Licet igitur laeso, quod ad laesionem avertendam attinet, ita cum laedente agere, ac si is nulla haberet iura, planeque ex numero ratione utentium esset exemptus. Id autem vocatur ius cogendi. Cogere enim nihil est aliud, quam libertatis suae facultatem, quatenus illa rationi non repugnat, contra vim aliorum defendere tutamque praestare. Quod quum duplici ratione effici queat: dum fit iniuria, se defendendo; ubi facta est, eam persequendo, donec in integrum libertas restituta sit: contineri ius cogendi duabus partibus clarum est, iure propulsandae iniuriae, et iure exigendae satisfactionis. Itaque omnia laeso facere licet, quibus vel praesentem iniuriam a se prohibeat, vel facta ut dissolvatur pervincat. Quae quum impetrare non potest, nisi adhibendis malis, necesse est, ut eatenus malum inferre laedenti possit, quatenus eo ad cogendum utatur. Hoc enim faciens rationalem naturam lae-

dentis non violat, quippe libertatem eius non ultra, quam ea rationi repugnat, coercens. Haec igitur, quam explicavimus, unica ratio est, qua malum iure alicui inferri possit. Nam quum omne ius hominis in iis faciendis consistat, quibus dignitas humanae naturae nihil imminuatur: non potest quidquam iuris adversum alios cogitari, nisi quod ad ea, quae illi iniuste faciant, prohibenda spectet. Quod quum, quantum quantum sit, iure cogendi comprehendatur, patet, quidquid mali non cogendi necessitate laedenti detur, quandoquidem per se malum cuiquam facere vetitum est, iniuria infligi. Quamobrem quum poenae, ut supra demonstratum est, ab eo malo, quo ad officium laedens cogitur, plane diversae sint, necesse est, ut laesus puniendi ius, nisi quod pactis constitutum sit, a natura certe nullum habeat. Quidquid enim mali laedens pateretur praeter illud, quo ab iniuria facienda eum arceret laesus, eo non iniusta, sed iusta eius libertas impediretur.

Hanc iuris naturalis in poenis prohibendis severitatem ne is quidem effugeret, qui satisfactionis petendae iure puniendi quoddam ius contineri putaret, videlicet si poena tantum satisfieri sibi posse laesus contenderet. Etenim satisfactio nihil est aliud, quam restitutio iustae libertatis. Quae quum natura sua omnia illicita excludat, non potest aliter in integrum restitui, quam eiusmodi rebus laeso concedendis, quarum usus omni iniuria careat. Malo autem quia neminem, nisi obtinendi iuris causa, afficere licet, non potest laesus postulare, ut dolore laedentis sibi satisfiat. Qui tantum abest, hoc modo ut iustae libertatis usum, quo privatus fuerat, recuperaret, ut iniuriam iniuria remuneraretur. Licet igitur malo quidem cogere laedentem, sed non ad malum. Illud enim vix opus est ut moneam, (et antea iam de hac re dictum est) non spectari hic eum casum, si reparatio iniuriae laedenti molesta sit. Hoc enim fortuitum est, neque eo consilio persequitur laesus iniuriam, ut voluptate, quam ex afflictione laedentis percepturus sit, damnum suum compenset, sed ut quomodocunque, etiam cum laedentis malo, (hic enim suam luit culpam) in iura sua restitatur. Sed ut liceat satisfactionis causa malo laedentem

afficere, haec tamen poena dici non posset. Nam poena, ut supra demonstratum est, id malum vocatur, quod per se necessario iniuriam sequi debeat. Illud autem malum, quod quis satisfactionis nomine sustineret, non pro malo, quod facienda iniuria laedens commeruisse, habendum esset, sed totum e satisfactionis postulandae iure penderet, quam laesus in dolore laedentis invenire sibi videretur.

Ex iis, quae hactenus disputata sunt, clarum est, naturali iure poenarum irrogationem nullo modo comprobari. Ac quum totis gentibus eadem ratio secum invicem intercedat, quae privatis hominibus: apparet, quid de bellis puniendi caussa gerendis, de quibus olim acerrime inter viros doctos disputatum est, statuendum sit. Quae bella manifestum est a tyrannis et clericis excogitata, ab adulatoribus defensa esse. Post quum publica utilitate praetexta in consuetudinem venissent, adempta est insolentia.

Atque haec quidem satis essent ad poenas ex iure naturali expellendas, nisi iure quodam postulari posse videretur, ut eorum, qui aliter sentiunt, praecipuas certe sententias refellerem. Omnium enim iuris naturalis doctorum opiniones de aliqua re vel cognoscere praemium laboris non habet, nedum si quis expendere eas velit. Ac tres potissimum inter reliquas sententiae eminent, quibus refutandis veritati aliquod adminiculum lumenque addatur. Harum prima, e recentiore philosophia petita, a Schmalzio proposita est, parum illa fonti, unde manavit, congruens. Is igitur sic censet. Quicumque aliquem laedit, contra rationem agit, eoque dignitatem ratione utentium amittit. Licet igitur laeso ita cum laedente agere, ac si is rationis expertus sit, atque ideo inter illas res numerandus, quarum omne pretium in eo est, quod utilitati hominum inserviunt. Itaque nihil est, quare mala in huiusmodi hominem, qui nimirum iam pro homine haberi nequeat, ingerere vetitum sit.

Haec argumentatio vel leviter in eam intuenti omnia hominum iura in tantum adducta periculum ostendit, ut mirum sit, errorem, qui in ea inest, viro docto latere potuisse. Quae si vera esset, quid impediret, quominus, quicumque vel levissimam iniuriam admisisset, capite plecteretur? Nam si

quodvis iniustum factum omnem dignitatem, quae ab ratione proficiscitur, omniaque iura hominibus detraheret, quis foret, obsecro, mortalium, qui non omnium libidini et cupiditatibus esset expositus? Apertum est, longe aliud quid significari, quum quis propter iniuste facta e numero ratione utentium excludi dicitur, quam putavit Schmalzcius. Nam eatenus tantum rationalem naturam exuisse censendus est, quatenus eam iniuria facienda negligit. Omnem enim rationem quomodo potest deponere, sine qua ne esse quidem queat? Quam si malefaciendo amitteret, hoc ipsum malefacere, certe postquam semel peccasset, plane in eum cadere non posset. Propter id ipsum enim vituperatur et castigatur, quod, quum praeditus sit ratione, eam tamen cupiditatibus posthabeat. Igitur quum rationalis natura facultasque recte et iuste agendi ei adimi nequeat, ob nullam iniuriam omni dignitate privabitur, sed eatenus tantum pro rationis experte habendus erit, quatenus rationis leges contemnit. Hactenus igitur omni iure caret, malisque potest affici. At vero hoc nomine quod malum ei datur, tantum abest, ut poena appellari possit: nihil aliud eo efficitur, quam ut ad officium cogatur. Etenim si quis hactenus tantum, quatenus rationem repudiat atque abiicit, aliorum erga se officia amittit: omnia, quaecumque tamquam ratione ac iure carens perpetitur, in impediendo iniusto facinore consistere necesse est. Nam si quid praeterea adversi in eum statueretur, id quum contra ratione praeditum fieri existimandum esset, iniustum foret. Ad hoc genus autem poenae pertinent, quae, ut supra demonstratum est, iure cogendi non sunt comprehensae.

Altera ratio, qua quum ab aliis, tum a Mose Mendelide iustitia poenarum defensa est, sic se habet. Iustum libertatis usum, inquirunt, non modo licet tueri, sed etiam oportet. Quo magis necesse est, ut omnia ad tuendam libertatem adiumenta, quae quidem prohibita non sint, possint adhiberi. In quibus quum poenae numerentur, punire laedentem licet, sive ipsius sive aliorum deterrendorum causa.

Hac ratione qui se effecisse aliquid putant, vehementer falluntur. Nam id ipsum, quod demonstrare vole-

bant, tamquam quod per se pateat, ponunt. Erat autem hoc quam maxime probandum, poenas inter ea tuendae libertatis adiumenta, quibus uti liceret, referendas esse. Quod quum illi ostendere omiserint, nobis contrarium erit probandum. Ac potest hoc, iura sua tuta praestare, dupliciter intelligi, prout aut iis faciendis continetur, quibus iniuriam propulsamus, aut ea complectitur, quibus efficitur, ne quis laedere nos velit. Quod ad superiora attinet, inter ea poenae numerari non possunt, quoniam hoc genus totum cogendi iure comprehenditur. Illa autem si spectamus, quae alios deterreant ab laesione, clarum est, ea non posse latius patere, quam quoad nemini iniuriam faciant. Quum enim certum esse nequeat, imminere ab aliquo laesionem, non potest aliud quidquam curari, quam, si quis iniuriam inferre conetur, eum ut satis firma praesidia excipiant. Quamobrem poenas, quae sine malorum perpessione cogitari nequeant, irrogare non est licitum. Neque enim cum illo, tamquam cum iniusto, agi potest, qui facturusne sit iniuriam, an non, plane nescias. Nimirum quum libere fieri necesse sit, quae imputari queant, de nullius voluntate, etiam si centies eandem iniuriam iteraverit, constare potest. Neque vero ex moribus aut cupiditatibus laedentis probabili coniectura, quid facturus sit, divinari satis est, quippe quae non id in voluntatem eius habeant imperium, ut vinci nequeant. Immo ne tum quidem, si disertim non destitutum se ab iniuria facienda nequam homo professus fuerit, malo ad officium colendum reduci potest, quia eo ipso tamen momento, quo se ad repetendum facinus accingit, fortasse consilium mutabit. Sed fac etiam dubitari plane non posse, quin mala quae molitur, exsequutus sit: nihil aliud, quam omnia comparare licebit, quae ad repellendum eius conatum idonea sint. Nam si omne ius laesi in libertatis rationi consentaneae usu vindicando consistit, non est ei concessum alios ab iis rebus retinere, quibus ipsum non laedant. Voluntate autem laedendi nemini fit iniuria, sed exsequenda voluntate. Itaque ea tantum adhiberi possunt, quae ad perficiendam laesionem spectant. Non licet igitur quemquam, ut in posterum ab simili iniuria absteat, poena afficere.

Nam ex eo ius aliquod ad puniendum deducere, quod ad alios ab iniustitia deterrendos poenis opus sit, id vero plane ineptum est. Primum enim ius non est utilitate metiendum, nisi virtutis legem in effrenata libidine collocandam putamus: deinde vero tantum abest, ut aliorum terrendorum causa iure punire quemquam possis, ut illi ipsi non aliter poenam timeant, nisi si ius ad se puniendos tibi esse sciant. Nam si viribus, non iure, fretus poenas exerceas, iure illi iniustam vim a se defendent. Quodsi igitur puniendo eo, a quo laesus fueris, aliis metum iniicias, qui, si quid simile admiserint, se punitum iri, iure nimirum, videant: necesse est, ut unumquemque, qui iniuria te affecerit, punire possis, neque id deterrendi cuiusquam causa facere opus habeas. Ergo qui puniri aliquem posse contendunt, ut alii sibi timeant, ii ius puniendi ex eo derivant, quod sine iure puniendi ne cogitari quidem potest. Caeterum ipsum poenae nomen, ubi de malo deterrendi causa adhibendo agitur, parum aptum est. Nam si quemquam malis ab iniuria facienda coercere licet, is quoque malo posset affici, qui nihil in iusti commississet, sed quem tamen parare alicui damnum constaret. Quamobrem si ex iure alios deterrendi ab iniuria, siquidem tale ius usquam exstaret, ius aliquod ad puniendum deducendum esset, sic illa disputatio foret instituenda, ut, qui iure metum aliis excitare posset, ei licere ostenderetur illos, propterea quod se laesissent, malo onerare. Quum enim poena sit consequutio mali per iniuriam contracta: non quaevis mali ad deterrendum comparata illatio, sed ea tantum, quae propterea, quod laesionem sequatur, intemperantiae frenum imponat, poena recte vocabitur.

Tertia denique via, qua poenarum irrogationem naturali iure contineri quidam existimarunt, ea est, cuius auctor fuit Hugo Grotius, brevis illa quidem, sed perobscura. Verba Grotii haec sunt, II. 20, 2. „Vertum tamen est, in „poenis primo ac per se exerceri expletricem iustitiam, quia „scilicet qui punit, ut recte puniat, ius habere debet ad „puniendum, quod ius ex delicto nocentis nascitur. Atque „hac in re est aliquid, quod ad contractuum naturam accedit:

„quia sicut qui vendit, etiamsi nihil peculiariter dicat, obli-
„gasse se censetur ad ea omnia, quae venditionis sunt natu-
„ralia, ita qui deliquit, sua voluntate se videtur obligasse poe-
„nae, quia crimen grave non potest non esse punibile, ita ut
„qui directe vult peccare, per consequentiam et poenam me-
„rii voluerit.“ In quibus quum multa sunt, quae quum
ad illorum temporum rationem magni momenti essent, nunc
merito levia putantur, tum illud, quod de gravi aliquo cri-
mine loquitur, inani illi aequitatis studiotribuendum est,
quod inde a prima origine ad hanc usque aetatem pernicies
iuris naturalis fuit. His igitur demptis totum argumentum
hoc est. Quicumque iniuriam alteri facit, malo affici me-
retur. Quapropter quilibet eum punire potest. Cuius ar-
gumenti omnis difficultas in eo est, quod non pateat, quid
illud sit, malefacto poenam mereri. Hoc enim si esset sa-
tis intellectum, illud sponte appareret, utrum quis punire
malefacientem posset, annon. Atque hac quidem aetate in
commutatione totius philosophiae ista etiam quaestio in illu-
striore loco posita est, diligentiusque coepit agitari: quae
tamen nondum videtur ita ab omni dubitatione liberata esse,
ut rei iudicatae auctoritatem afferre liceat. Nam qui in ea
explicanda elaborarunt, eorum quidam vereor ne nodum
arctius constrinxerint: fuerunt certe, qui gladio dirimerent.
Caeterum quocumque fundamento illud nitatur, virtute feli-
citate, malefactis infelicitatem mereri: facile potest intel-
ligi, istam bonorum malorumve distributionem ad hominum
iudicium nequaquam pertinere. Nam non solum diiudicare
cuiusquam voluntatem, ad quod dei alicuius sapientia opus
est, hominis imbecilla cognitio, quae solas actiones spectat,
non valet, sed ne si valeret quidem, ista bonorum imminu-
tio propter perpessam iniuriam ad iura cuiusquam pertine-
ret. Nam quum nemini quidquam iuris aduersus alterum sit,
nisi quatenus ille rationali natura pro instrumento libidinis
suae abutatur: non potest homo malus ullo commodo pri-
vari, nisi quo percipiendo iura cuiusquam imminuantur. Atque
ut indignum se aliquis felicitate, qua fruitur, iudicet, non
est ei tamen idcirco voluptatis usu interdictum. Hoc enim,
indignum esse felicitate, nihil aliud significat, quam caus-

sam esse nullam, quare quis ea fruatur: illud autem, voluptatis perceptionem prohibitam esse, hoc valet, voluptatem non assumi sine scelere. Id autem in illa tantum emolumenta cadit, quae quis facienda iniuria acquirit: atque horum sane restitutio iure exigitur, quamquam non poenae nomine, sed ad reparandam iniuriam. Quas voluptates vero sibi aliquis iure paravit, eas si illi eriperet is, quem laesisset, profecto hic ipse, illius iustam libertatem coercens, iniustus foret. Nam homo malus idemque felix eo certe, quod a voluptate non abstinet, non iniuste aut turpiter, sed perverse agit, quippe causam non habens, quare voluptatem persequatur. Igitur sic quoque ad vindicandam poenarum iustitiam omnis via videtur praeclusa esse.

Nihil ergo relictum est aliud, unde aliquod ad puniendum ius nascatur, quam pacta. Quibus non dubium est, quin ius puniendi in aliquem transferri queat, dum ne quis iis adimendis puniatur, quae alienare non potest: eaque omnia solo libertatis rationi consentientis usu continentur. Quemadmodum autem ea, quae ab natura accepimus, iura non licet poenis sumendis tueri, nisi adversus quos ex pacto animadverti possit, ita etiam quae pactis iura adepti sumus, vi et armis, non poenis, defendenda sunt, praeterquam si aliud de punienda iniuria pactum accesserit. Nam quum ius quidem, quod in libertatis rationi consentientis usu positum sit, pactis non mutetur, sed res, in quibus ius exerceatur: nihil aliud ad ea iura, quae pactis debentur, conservanda suscipi potest, quam quod ad illa tuenda facere licet, quibus a natura sumus donati. Itaque ne societas quidem ulla est, quae per se poenis contineatur, nisi si omnibus ita placuerit. Quod si qua tamen sit societas, quae ius puniendi per se et necessario habeat, ipsa eius notio hoc debet in se comprehendere, puniri posse, qui eius leges violaverint. Eiusmodi societatis exemplum plurimi civitatem esse existimant, alii aliis ducti argumentis. Qui in duas maxime partes discedunt, alteris in felicitate, alteris in securitate finem civitatis ponentibus. Horum illi praecipue, qui felicitatis causa civitates congregari putant, quum non invenirent, quomodo ad suam aliorumque felicitatem curandam

poenis adigi homines possent, modo ad ius summi imperii, modo ad iuris dicendi potestatem confugerunt. At neutra ratio ferri potest. Nam imperium, quod scilicet a dominiu distinguendum est, ius est praescribendi aliis, quid facere debeant ad suum ipsorum aliquem finem, etiamsi simul alienus sit, obtinendum. Hoc ius autem, ut omnia iura, vi quidem exerceri potest, sed quare poenas complecti putetur, vix explicaveris, nisi ex illorum opinione, qui ab imperante omnia iuberi posse existimant. Nimirum hi homines imperium, quod in eorum praeceptione positum est, quae ad finem societatis necessaria sunt, cum voluntate societatis, qua illud nititur, confuderunt. Nam sane sociorum consensu puniendi ius constitui, imperioque tamquam adminiculum aliquod addi potest. Quare, ut ad civitatem redeamus, nisi ipso fine civitatis, solo imperandi iure certe poenae non sunt comprehensae. Deinde quod ad iuris dicendi potestatem attinet, ea quum sit facultas iudicandi, violatum sit ius, necne, decernendique, si sit violatum, quomodo defendendum sit, quam facultatem, quae laesi propria est, unusquisque civis civitati commisit; sequitur, non ultra pertinere iudicis sententiam, quam ad ea, quae laeso, aut civitati, laesi nomine, ad restituendum ius, quod immunitum erat, facere licitum est. A quibus si poenae exclusae sunt, nihil pronuntiare poterit iudex, quam cogi laedentem ad officium debere. In incerto igitur hac demonstratione relinquitur, quod ea probandum erat.

Propius veritatem sunt illi, qui finem civitatis in tutela omnis iuris, sive, quod idem est, in defendendo iustae libertatis usu ponunt. Ac sane quum ius civitatis cunctas civium actiones gubernet ac moderetur, non potest alius eius finis esse, quam qui ad omnia, quae homines faciunt, pertineat. Qui quum duplex sit, felicitas, et rationis dignitas, alterius utrius causa civitates consociari necesse est. Atque universam felicitatem si homines in civitate consequi vellent, nihil plane efficerent, quia, quum de felicitate sua nemo alterius iudicio confidat, omnium voluntates sibi essent repugnaturae, aliis ea requirentibus, quae alii nolent remittere. Neque officii ratio permittit, illarum rerum

eligendarum facultatem aliis concedere, qua e nobis sublata libertatis nullus usus cogitari queat. Itaque alter tantum finis relictus est, qui iure tuendo continetur. Ex eo fine qui civitatem puniendi ius nancisci dicunt, ii sic disputant. Qui se finis cuiuspiam obtinendi causa coniungunt, ii necesse est simul ad ea facienda consentiant, quae fini illi consequendo sint. Quapropter qui tuendae libertatis causa aliquam societatem ineunt, propter hoc ipsum poenas, quibus carere non possint, iure et irrogant, et sufferunt. Ipso igitur fine civitatis puniendi ius constitutum est, nec peculiari pacto, tamquam accessio aliqua, adiungitur. Quae argumentatio quamquam valde probabilis et commendabilis est, tamen obscuritate quadam laborat, quae ante dispellenda est, quam, quid verum sit, appareat. Ac primo quidem sane ii, qui ad finem quemdam obtinendum sese coniungunt, simul ea se facturos promittunt, quibus finem illum consequantur: sed ea non possunt alia esse, quam sine quibus plane non essent id, quod volunt, assequuturi. Nam quae possunt adhiberi, aut quae facere utile est, ad illa quidem facienda, nisi disertim, non sunt putandi consensisse, quia haec in eo, de quo pacti sunt, non continebantur. Quamobrem si poenarum iustitia e fine civitatis derivanda est, probandum erit, securitatem sine poenis obtineri non posse. Videndum est igitur quid ad libertatis, ac iuris tutelam necessario requiratur. Ac patet nullam iniuriam, i. e. vim iniustam aliter, quam vi propulsari posse. Vim autem dicimus omnem eam faciendae alicuius rei aut omittendae necessitatem, quae lege virtutis non est comprehensa. Vis igitur, ea quae iniusta est, non iuris auctoritate, quam non timet, sed maiore quadam vi coercenda est. Itaque si qui libertatis tuendae causa sese consociant, ii hoc ipso se obligant ad vim illis inferendam, a quibus laedantur. Vis autem duplex est, altera, quae illatam vim reprimat, qui proprie coactus dicitur; altera, quae ultro admovetur, adhibita necessitate duobus malis propositis levius eligendi. Illa superiore vi carere iuris defensio plane non potest, sine qua ne alterum quidem genus quidquam prodesset. Illa igitur quin necessario a civitate exercenda sit, non potest dubitari.

Sed quum multi casus sint, iique magnam partem inevitabiles, in quibus haec vis neque ad reprimendam iniuriam satis prompta, et ad satisfactionem exigendam plane inutilis sit, iure postulatur a civitate, ut illam vim adhibeat, quae mali impendentis metu pravas cupiditates contineat. Poenis igitur opus est in civitate. At hoc non eo valet, ut civitas per se ius puniendi habere existimanda sit. Nihil aliud ista demonstratione efficitur, nisi hoc, statuere poenas civitatem debere. Nam toto caelo haec differunt, puniri delicta posse, et punienda constitui debere. Nimirum poena per se, i. e. ipsa mali irrogatio, quae delictum sequitur, non est vis cogens, qua neque delictum impediatur; factum enim iam est; neque damnum laesi resarciatur; nam sive illud sit iam reparatum, seu rependi nequeat, poena tamen sumi potest. Itaque non potest huius mali infligendi ius quoddam cogitari, quod quidem e fine civitatis deducatur. Quod si qua tamen vis est in poenis, quae cives in officio contineat, ea in metu poenarum quaerenda est. Is autem, nisi si ius puniendi civitas habeat, nullus est. Vnde clarum est, non posse ius puniendi ex metu derivari, qui, nisi firmato iam iure puniendi, plane locum non habeat. Potius si omnia ea facere civitas et potest et debet, quae ad avertendam iniustam vim necessaria sint, consequens est, si inter illa ius puniendi numeratur, ut ius illud constituat et sanciat. Igitur legislatoris officium est, poenas criminibus proponere, quippe fine civitatis poenarum sanctionem flagitante. Cives autem ad sustinendam poenam non hoc ipso, quod cives sunt, sed propterea, quod legibus parere debent, obligati sunt. Omnis difficultas, quae hanc rem obscurat, in eo est, quod poenae significatio ambigua est. Nam quum poenae nomen hoc ipsum in se contineat, iure quodam malum alicui inferri, facile patet, quomodo sub his verbis latere possint ii, qui quum ius sive potius obligationem ad constituendum ius puniendi civitati adscribere debeant, aliud dicere se arbitrantur, si ei ius poenae infligendae esse contendant. Nam si poenae nomen ius quoddam in se comprehendit, nihil aliud dixerint illi, quam ius habere civitatem ad constituendum ius puniendi, quae nostra sententia

est. Et sane idem est, seu ius puniendi seu poenas constitui dixeris: quia, quum poenae constituuntur, ius ad puniendum sancitum est. Sed nimirum si quaeritur, num civitas ius puniendi habeat, eo non debet hoc significari, num constituere poenas possit, quod non est dubium, sed num ius habeat, ei, a quo quis laesus est, malum infligere, quod malum, si possit iure inferri, poenae nomine appellandum sit. Hoc malum autem supra demonstravimus nihil ad finem civitatis obtinendum conferre: quapropter, quum ad ea tantum ius civitatis pertineat, quae consequendo eius fini sint, nullo iure potest irrogari. At vero metus huius mali, qui eius inferendi iure nititur, quum non modo utilis sed etiam necessarius sit ad conservandam civitatem, constituendum esse ius puniendi apparet, quo metus iniiciatur omnibus, qui iniurias moliantur.

Quodsi igitur in ipsa etiam civili societate poenae expressa quadam sanctione, quae tamen propter finem civitatis necessaria est, indigent, duae res inde consequuntur, quas mireris eorum quoque sententia comprobari, qui quum per se ius puniendi civitatem habere contendant, contrariam opinionem deberent amplecti. Ac primum si poenarum irrogationem lege niti oportet, non possunt ea delicta puniri, quibus poenae non fuerunt propositae. Etenim quidquid mali laedentibus daretur, quod antea non esset denunciatum, id quum ad deterrendum nihil valeret, ut a fine civitatis abhorrens, iustitia destitutum esset. Deinde ne maius quidem malum, quam definitum erat, inferri potest iis, qui aliquem laeserunt, quam vulgo exasperationem poenarum vocant. Nam si quid mali ei malo, quod lege constitutum erat, adderetur, id propter eandem rationem, quod e fine civitatis non fluere, pro iniusto habendum esset.

Haec habui, quae de fundamento iuris puniendi dissererem. Quae ut unice veritatis causa disputata essent, ne sic quidem vererem, ne operam lusissem. Nam veri scientia defectum utilitatis sua quadam dignitate compensat. Sed tantum abest, hoc argumentum ut careat utilitate, ut permagnam habeat, praesertim in iure civitatis definiendo. Quae ut verbis comprehendi potest paucissimis, ita re ipsa

pene immensa est. Neque enim aliter, quas iniurias punire civitas nequeat, quas possit punire, quas denique debeat, poterit intelligi. Quod quantum sit, is demum animo concipiet, qui praeter istud, quod scriptum vel consuetudine firmatum est ius, aliud ius esse, quo illud niti debeat, meminisse consueverit. Mihi quidem haec indicasse nunc satis est.

DE
P O E S E O S
G E N E R I B V S.

CIOIÖCCXCIV.

I.

De recta ratione dividendae poeseos.

Poesis inter caeteras artes, quae animi oblectandi causa inventae sunt, tum argumentorum multitudine ac varietate, tum tractationis diversitate ac dissimilitudine tam late patet, ut in illo philosophiae loco, qui artium praecepta tradit, ea semper et gravissima et difficillima quaestio habita sit, quot sint et quae genera poeseos. Nam quum philosophorum disceptationes longe maximam partem ad singula carminum genera spectent, primum omnium, quominus temere quidquam et inconsiderate praeciperetur, universa poeseos ratio in eas partes dividenda ac describenda erat, quae et ingentem eius amplitudinem explerent, et ipsae inter se clarissime distinguerentur. In quo etsi inde ab Aristotele usque ad hanc aetatem plurimi elaboraverunt atque acutissimi homines, minus tamen videntur absolvisse hanc inquisitionem, quam propius veritatem adduxisse. Quod hoc minus mirum est, quod plerique, id ipsum quid esset, poesin in sua genera dividere, non videantur satis perspectum habuisse. Cuius rei plena ac perfecta cognitio nisi omnem istam de poeseos generibus disputationem antecesserit, numquam poterit eo perveniri, ut exclusis iis, quae ab usu atque experientia petenda sunt, primae tantum necessariaeque poeseos partes, eaeque omnes, dividendo comprehendantur. Neque enim

ea a philosopho exigenda est poeseos generum expositio, in qua cunctae carminum diversitates enumerentur, quod ne fieri quidem potest in re arbitraria; immo ne illud quidem iure postulatur, ut potissimas divisiones, et quae plurimum momenti ad artis explicationem afferant, pertractet, sed in hoc solo eius continetur officium, ut ea, quae ex ipsa poeseos natura derivari possunt, plene et perspicue exponat atque illustret. Reliqua omnia etiamsi vel gravitate vel utilitate maxima sint, a philosophia, cui materiam disputationum, non causas, ab experientia sumere licet, ad historiam debent transmitti. Quodsi ex una poeseos notione totam hanc generum eius investigationem proficisci, in eaque nili oportet, intelligitur, duos fuisse omnium errorum, quibus haec philosophiae pars abundat, fontes et causas; primam, quod, quid esset poesis, plerique non satis perspexerint, alteram, quod exempla poetarum magis, quam poeseos naturam, spectaverint. Atque e notione quidem poeseos qui petere potuerunt veras partium eius distinguendarum causas, quam plerique mancā, quidam adeo falsam haberent, ut pro nulla esset? Quod minus horum virorum subtilitati, quam fato fortunaeque imputandum est, quae harum quoque rerum scientiam ad recentissimam philosophiae commutationem distulit. Sic qui vel metro, vel imitatione, vel fictione, vel furore quodam, vel oratione ad animos commovendos accommodata, vel variis harum rerum coniunctionibus poesin contineri existimarunt, quam pravas inde atque inutiles distinctiones hauserint, plurima exstant documenta. Inde est, quod Aristoteles, qui in imitatione poesin sitam arbitrabatur, Empedoclem poetam esse negaret, eoque maximam partem didacticae poeseos plane tolleret. Imitationem enim in hoc genere nullam reperiebat, quoniam, ut putabat, eos tantum imitarentur poetae, qui aliquid agerent. Quae ipsa opinio deinde eum adduxit, ut, quum eos, qui aliquid agerent, hoc differre censeret, quod alii similes essent eorum, quales plerique sunt, alii meliores, alii deteriores, eorum, qui meliores essent, imitationem tragoediam, qui deteriores, comoediam esse diceret. Idem Aristoteles ex eadem causa, qua insignem partem poe-

seos repudiaverat, alienum et peregrinum scriptionis genus, dialogos Socraticos addendos existimavit; in quibus nimirum non ea narrarentur, quae ipse disputasset Socrates, sed, quasi illa dixisset, imitando exprimerentur. Pariter illi, quibus poesis fictione censi videbatur, fabulas eas, quae Romanenses vocantur, inter poeseos genera numerarunt: quem errorem ii, qui incertam oblectationis notionem sequuntur, ita vulgo propagaverunt, ut, qui aliter sentiant, perpauci reperiantur. Quodsi animadvertissent, eadem re istas narrationes a carmine epico distare, qua oratores etiam in eiusdem argumenti explicatione a poetis differunt, oratoris artem illis scriptoribus, non poetae, addiscendam statuissent. Haud melius a plerisque de fabellis Aesopicis disputatum est, quas non ob tractationis rationem, qua una poetae a caeteris scriptoribus distinguuntur, sed ob solam fabulae fictionem ad poesin retulerunt, ut primus Romanorum poetarum esset Menenius Agrippa. Quae falsae atque incertae poseos notiones etsi plurimorum maximorumque caussae vitiorum fuerunt, nescio tamen an multo maior ex eo exstiterit errorum multitudo, quod plerique, unice exempla poetarum amplexi in iisque defixi, vel rerum descriptarum dissimilitudine, vel tractationis diversitate ita capi tenerique se passi sunt, ut ea, quae separanda essent, miscerent; quae coniungenda, disiungerent. Nam in exemplis quidem neque ea omnia reperiuntur, quae a poetis carmine disseri possunt, et ea, quae inde petuntur, diligenter sunt cognoscenda atque examinanda, in iisque, quae aliena, quae mutabilia, quae fortuita sunt, discernenda ac seiungenda, ut illud, quod differentiae caussam in se continet, purum incorruptumque relinquatur. Nihil enim difficilius ab iis, qui exemplorum comparatione aliquid effici existimant, evitari potest, quam ne in iis, quae veris diversitatibus aut necessario aut plerumque adhaerent, vel quae levium aut plane inutilium discriminum notae sunt, divisionum rationes ponant. Nam illa, quibus vere aliud poematis genus ab alio discrepat, raro per se patent, et in omnium quasi conspectu posita sunt, sed plerumque eorum, quae statim in oculos incidunt, caussas continent, multoque per-

tinent latius, quam exemplorum universa vis et multitudo. Quamobrem, qui haec non viderit probeque intellexerit, in certus turbatusque in tanta ac tam confusa diversitatum copia vagabitur, donec id, quod maxime probabile visum fuerit, avide amplexus, quidquid obstet, aut utcumque tollendum, aut ignorandum decreverit. Sic Battersius mira quadam facilitate, quum lyrica carmina detraxisset, reliquam poesin omnem, quam, Aristotelem sequutus, in imitatione agentium aliquid sitam putabat, ita, quod ad argumenta, distribuit, ut eam aut deos, aut reges, aut ex populo homines, aut pastores, aut denique bruta animalia imitari diceret, itaque heroicum carmen, tragoediam, comoediam, pastoriciam poesin, et fabellas Aesopicas inter ipsa distingueret. Eadem levitate plerique omnes, alii aliud sequuti, plane dubiam et incertam hanc totam disputandi rationem reddiderunt, quorum in numero illos ne ponam quidem, qui, ut Eschenburgius, unumquodque poeseos genus ex eo, quod plerumque fiat, definientes, non videntur quidquam ad philosophicam harum rerum investigationem voluisse contribuere. Quodsi in hac tanta sententiarum multitudine ac discrepantia veri inveniendi aliqua spes est, ea magnopere vereor ne addendo, detrahendo, corrigendo minuat potius, quam crescat. Nam quum in iis maxime rebus erratum fuerit, quae totius disceptationis fundamenta sunt, non videmur aliter ad veri scientiam pervenire posse, quam si, relictis omnibus, quae antea in hoc genere viri docti disputarunt, de integro rem ordiri conemur. Est igitur ab notione poeseos incipiendum, e qua tamquam ex fonte suo, principales necessariaeque poeseos partes omnes hauriri debent. Ea autem quum duas res contineat, alteram, qua in pulcris artibus poesis numeretur, alteram, in qua usus cernatur et vis artis: duas habebimus dividendae poeseos caussas, unam, quae ad tractationis, alteram, quae ad argumentorum diversitates spectet. Quarum posteriorem primo loco pervestigabimus, propterea quod convenientius videtur, prius, quid tractare possint poetae, quam, id ipsum quomodo tractandum sit, cognoscere. Postquam autem hanc utramque rem absolverimus, de nonnullis earum divisionum disseremus, quae aliunde, quam ex

ipsa poeseos natura petitae sunt; non quo supplere velimus, quae antea omitti debuerint, sed partim ut errores eorum, qui istis divisionibus male usi sunt, confutemus, partim ut veram earum dignitatem atque utilitatem ostendamus. In qua omni disputatione si qui forte sunt, qui arrogantiae cuidam et fastidio tribuant, quod confidentius omnia et sine excusationum captationibus dixerim, eos vehementer rogo, ut sibi persuadeant, me non eam iuvenilis parumque exercitati ingenii vim esse credere, ut nihil erraverim, sed haec tamen scripturum non fuisse, nisi vera putarem. Nam ne homini quidem adolescenti eam in philosophia adhibendam esse modestiam arbitror, ut videri sibi omnia dicat, sed eam, quae est, non videtur, modestia, ut aequo animo ferat, si id, quod tamquam certissimum proposuerit, ab aliis refutetur, et veri, quod illi invenerint, eundem ducat honorem esse, ac si suo erutum esset studio.

II.

De notione poeseos.

Omnia, quae arte fieri dicuntur, e fine aliquo, cuius caussa comparata sint, iudicantur. Qui si certus quidam et verus finis est, mechanica arte facta dicuntur; (quo vocabulo patet hic non tantum eas artes intelligi, quae mathematicorum regulas et manuum operam exigunt, sed omnes artes, in quibus, quid sit illud, quod efficere artifex debeat, clarum definitumque est) sin absque certo fine speciem tamen consilii cuiusdam prae se ferunt, pulcrarum artium opera vocantur. In hoc ipso enim pulcritudinis natura posita est, quod non certi cuiusdam finis cogitatione, sed quadam tantummodo specie consilii, quae animi viribus exercitandis accommodata est, iudicatur. Nam voluptas quidem illa, quae ex pulcritudine percipitur, non potest pro fine haberi, qui pulcra arte obtineatur. Etenim quia pulcrum aliquid esse non ex voluptate cognoscitur, quae demum perspecta pulcritudine locum habet, tantum abest, ut voluptatis cogitatio artificem, quid pulcrum sit, docere queat, ut, nisi perfecto opere, ne cogitari quidem ulla voluptas possit. Distinguun-

tur autem pulcræ artes materia, in qua ista consilii cuiusdam species exprimitur. Quarum ei, quæ in cogitationum apta et congruente compositione versatur, a dicendo Germani, nescio an male, nomen fecerunt. Nam quum duplex sit illa ars, prout aut unice pulcritudine censetur, aut præter hanc etiam ad utilitatem spectat, primum genus poesin, alterum eloquentiam appellarunt. Quodsi commune nomen quaerebant, quo utrumque genus ad pulcras artes referretur, poeseos vocabulum adhibendum erat, quippe hæc ipsa continens, quibus quævis dicendi ratio in pulcræ artis operibus numerari queat. Oratoris enim ars eatenus tantum ad pulcras artes pertinet, quatenus sola pulcritudine aestimatur, quæ poeseos est natura; ubi autem persuadendi consilium, argumentorumque vis et pondus spectantur, in illarum numero artium ponenda est, quæ certi cuiusdam finis cogitationem requirunt. Itaque qui poetæ et oratoris artem unius cuiusdam pulcræ artis nomine complectuntur, pariter in generis definitione videntur errare, et divisionem male instituisse. Nam et pulcræ artis vocabulum latiore, quam licet, significatu sumunt, eloquentiam eo referentes, et poesin tum a maiore illa arte, quæ nihil aliud quam ipsa poesis est, distinguunt, tum ab eloquentia, quæ poesis est alii arti adhaerens, plane diversam quamdam artem esse existimant. Quamobrem rectius videmur ita statuere, eam de pulcris artibus, quæ cogitationum apta compositione continetur, poesin esse, eamque, quum orationi certum quemdam finem habenti adiungitur, eloquentiam vocari. Igitur eloquentia per se non est in pulcris artibus numeranda, sed omnis rhetorum disciplina additamentum erit illius, quæ de poesi agit, disputationis, neque aliam vim habebit, nisi ut usum poeseos in ea oratione, qua veritas explicatur, demonstret.

III.

Divisio poeseos ex argumentis.

In poeseos autem generibus investigandis duas res, ut supra dictum est, spectare convenit, materiam artis, quæ

cogitationes sunt, et formam. Ac cogitationum quidem diversitates, quas perspicuitatis causa primo loco pertractabimus, quum ab experientia, quae tum rerum inexhausta multitudine, tam notarum coniunctissima affinitate animum obruit atque confundit, sumi nequeant, ad ipsum animum hominis cogitantis redeundum est, atque inde, quomodo aliquid, quidquid illud sit, cogitatione persequatur, cognoscendum. Non potest autem hic alia cogitationum compositionis discrepantia cogitari, quam haec, quod aut per se et necessario cohaerent, aut animi libere vagantis arbitrio iunguntur. Nam quum neque leges cogitandi, quas ubique observari necesse est, spectare hic liceat, neque rerum tractandarum diversitates, quae ab experientia petendae sunt, eo trahi debeant, sola necessitatis ratio, qua inter se iunctae sint cogitationes, ad aliquod discrimen constituendum relicta est. Ea autem hoc iudicatur, quod ea, quae quis oratione exponit, aut illa ipsa re, quam tractat, continentur, aut ipsius dicentis opinione, rerum similitudines, propinquitatesque captantis, nectuntur. Philosophorum sermone altera subiectiva, altera obiectiva cogitationum coniunctio diceretur. Inde duo genera poseos nascuntur, alterum, quod ex rei alicuius partiumque eius exarratione constat, alterum, in quo poeta, nullis argumenti finibus inclusus, libere, quidquid videatur, arripit componitque. Quorum postremum lyricae poseos nomine appellabimus, cuius ab iis tantum corrupta est significatio, qui falsa definitione decepti aliena et peregrina illuc retulerunt. Alterum genus nisi quis ab rei alicuius expositione, exegeticum nominare velit, epicum vocari suaserim, sive ab heroici carminis dignitate, sive quod hoc vocabulo argumentum potius, quam tractationis ratio designari videatur.

Hac divisione alia nititur divisio, quae quidem ad eam tantum, quam epicam poesin diximus, pertinet. Nam quum in lyricis carminibus cogitationum coniunctio plane libera, nullisque omnino legibus adstricta sit, ex hac certe nullae ducentur notae, quibus in aliquas partes dividi queat. Epica vero poesis quum necessariam quamdam, ipsiusque argumenti natura definitam cogitationum cohaerentiam contineat,

sane quaeri potest, quot et quibus modis fiat ista copulatio. Cuius rei explicationem categoriae relationis praebebunt, quibus omnis notionum coniungendarum ratio descripta est. Ex iis autem intelligimus, quae rerum praedicata a philosophis appellantur, aut ut accidentia substantiae inhaerere, aut ut effectus e caussis suis derivari, aut ut partes mutuo nexu sese sustentare. Atque orationis quidem ea ratio, qua rerum notae, ut accidentia substantiae, rebus adhaerentes enumerantur, descriptio dicitur; illa porro, qua caussarum quarumdam effecta exponuntur, narratio vocatur; tertia denique, qua omnium partium, e quibus aliqua res constat, cohaerentia explicatur, doctrinae nomen habet. Vnumquodque horum generum orationis unam e tribus animi facultatibus sibi propriam, qua regatur, vindicat; ac descriptio quidem phantasiam, quod omnia, quae poeta refert, ipso rei alicuius contuitu suppeditantur; narratio intellectum, quia, etsi necessario effecta cum caussis cohaerent, in ipsis tamen caussis non insunt, sed mentis complectione adiunguntur; doctrina denique rationem, cuius officium est principia ponere, quae rerum multitudine in unum coniungenda singularum partium cognitioni inserviant. Poetas igitur, qui ea tantum, quae in carminum suorum argumentis reperiuntur, exponunt, aut describere aliquid, aut facta narrare, aut rerum mutuan coniunctionem e principiis quibusdam colligere necesse est. Itaque tria epicae poseos genera sunt, diagraphicum, diegeticum, et didacticum.

Haec ne pravo usu ad falsas quasdam opiniones deflectantur, operae pretium videtur explicationis gratia quaedam addere. Ac primum nequaquam ista epicae poseos definitione id effectum est, ut lyricis poetis describendo, narrando, docendo interdictum sit. Immo nihil est harum rerum, quin frequentissime in lyricis carminibus inveniatur. Verum si consilium lyrici et epici poetae rationemque tractationis consideramus, nulla difficultate alterum ab altero licet distinguere. Lyrici enim poetae non rerum plenam cognitionem curant, sed raptim, ut quidque idoneum videtur, decerpunt, et descriptiones, narrationes, demonstrationes non

ipsarum caussa, sed aut aliam aliquam rem, aut suum quemdam sensum cupiditatemve respicientes, adhibent. Atque etiam quum toti in describendo, in narrando, in docendo versantur, facile ex eo cognosci possunt, quod cogitationum coniungendarum causas non tam e carminum argumentis, quam suo ex animo sensuque videantur petere. Multis enim modis rerum notae colligi, argumentationesque et narrationes quoque institui possunt, si quis suae libidini, quam rerum conditionibus, obtemperare malit. Id, si qui forte sunt, qui exempla requirant, nescio an nequeat fortius comprobari, quam illo carmine, quod in cantico Salomonis legitur, capite quinto, inde a versu decimo usque ad finem. Ibi puella amatorem suum describens non, is ut cognosci possit, efficere studet, quod rogata tamen erat, sed, amore adducta, suae cupiditatis in omni descriptione signa exprimit.

Deinde ne hoc quidem lyricae et epicae poeseos disiunctione firmari voluimus, in epicam poesin nihil e lyrica transferri posse. Ac sane in epicis quoque carminibus haud raro lyricorum munere funguntur poetae. Quae quidem res nihil plane obstat, quominus statim unum genus ab altero liceat distinguere. Nam, ut paullo ante dictum est, epica poesis eo continetur, quod unice rerum plenam cognitionem spectat; lyrica, quod poetae libidine hic illic aliquid arripientis regitur. Sic Homerus quum alibi saepius, tum in utriusque carminis principio et ubicumque Musas invocat, lyricus poeta est, quamquam quis dubitet, quin is unus omnium epos facere plane sciverit? Aliter Ossianus, qui, aequae lyrica et epica poesi excellens, utrumque genus ubique miscuit. In quo quis non facillime lyrica ab epicis carminibus diiudicet, si consilium poetae, aut rem aliquam narrare volentis, aut narrationes ad suum aliquem sensum accommodantis, perpenderit? Eodem modo quis haesitabit, quo Pindari Argonautica, quo Apollonii referenda sint?

Denique ista lyricae et epicae poeseos definitione assumpta non erit difficile, quaedam carminum genera, quae hactenus dubium et incertum fuit quo pertinerent, ad suum quaeque locum revocare. Sic cantiones illae, quae facti alicuius narrationem continent, (nostri Romanzen et Balla-

den vocant) inter lyrica carmina vulgo numerantur, propterea quod lyricam poesin tribus partibus absolvi, odis, cationibus, et elegiis vulgo existimatur, quo nihil perversius cogitari potest. Nostra quidem si vera est sententia, dubitari nequit, quin ista carmina ad epicum genus, in eoque ad diegeticam poesin pertineant. Contra fabellae Aesopicae et universa epigrammatum, quae nunc vocantur, ratio lyricae poesos partes sunt, quippe nullam rem ipsius rei caussa, sed ut aliquo referatur, exponentes. Quae autem Graeci, aculeum non requirentes, epigrammata nominant, lyrica pariter atque epica sunt. Eodem modo ea, quae allegorica carmina appellantur, hoc ipso, quod allegorica sunt, nusquam possunt referri, sed si rem spectes, quam imaginibus involutam continent, aut lyrico generi adnumerari debent, aut epicae poeseos partibus, diagraphico, diegetico, et didactico, e quo Ilias atque Odyssea essent, si quorundam grammaticorum somnia sequeremur.

IV.

Divisiones poeseos e forma, ac primum e forma mutabili et immutabili.

Posteaquam de materia poeseos explicatum est, formae ratio, propter quam series aliqua cogitationum in pulchrae artis operibus numeretur, est investiganda. Quae quum unice in pulcritudine posita sit, ex eo, quod pulcrum dicatur, reliquas petere oportebit poeseos diversitates. Ac pulcritudinis vocabulo non id solum, quod sublimitati opponitur, sed quod huic utrique rei commune est, intelligimus, illam alteram pulcritudinis partem formositatis nomine appellantes. Quodsi ea, quae Kantius de formositate et sublimitate disputavit, diligenter inter ea comparamus, hoc nobis videmur colligere, sublimia pariter ac formosa ita esse comparata, ut, tamquam ad finem aliquem referenda sint, etsi, quo referantur, nihil est, apto quodam lusu mentis vires exercent. Quae postea, ubi de formositate ac sublimitate dicendum erit, longius erunt persequenda. Nunc quidem illam rerum conditionis ad finem aliquem, qui vere nullus finis

est, cõmparationem, (Latine finalitatem formalem dixeris) antequam eius partes spectemus, alia quadam ratione considerabimus. Est enim illa finalitas aut necessaria quaedam et immutabilis, aut mutabilis ac fortuita. Quod primo quidem ad spectu falsum videri necesse est, quia, ubi, qui sit iste finis, ad quem aliquid referatur, indicare non licet, diiudicari non potest, necessariumne sit, quod ei consequendo factum existimetur, an fortuitum. Ac sane ipsa per se pulcritudo nihil continet, quo immutabilis iudicari queat, sed id, si quidquam usquam est, aliunde est petendum. Itaque tum demum necessaria et immutabilis dici pulcritudinis ratio potest, quum eadem forma, qua pulcritudo nititur, simul vero aliquo fine aestimatur. Id autem dupliciter fit, aut quum verus iste finis certus quidam definitusque est, aut quum forma rei ex incerto quidem, at omnino tamen vero aliquo fine pendet. Ad priorem casum illa, quam fixam adhaerentemque formositatem Kantius vocat, pertinet: quae si humana arte facta est, rem, cui adhaeret, a pulcrarum quidem artium operibus excludit, ut eloquentiam architecturamque. Altera vero ratio in quibus artium operibus observatur, ea nihilominus pulcrarum effecta artium sunt, propterea quod, quum certo quodam fine careat, non impedit, quominus solam pulcritudinem spectent artifices. Censetur autem illa aequabili omnium partium proportione, (Graeci *συμμετριαν*, nostri *Regelmässigkeit* vocant) quae quamquam certum finem per se nullum habet, cogitari tamen nequit, nisi ita, ut omnino ad verum aliquem finem, quicumque ille sit, referatur. Nititur enim haec aequabilitas regula quadam, quae formae rationem describat, ob eamque rem non pulcritudine, sed perfectione iudicatur. Haec regula quia absque certo quodam fine observatur, in ipsis rerum formis eluceat necesse est, quod non potest aliter fieri, nisi ita, ut quaeque pars alteri normam praebeat, quod ipsum symmetria vocatur. Cuius qui finis, quae caussa sit, scire, ad formae quidem perfectionem iudicandam non est opus, ut in illis formis, quae symmetrica proportione carent.

Quae autem ex hac formae aequabilitate et inaequabilitate ducitur carminum divisio, ea licet ex ipsa notione poe-

seos derivari non possit, tamen ne in illarum quidem numero ponenda est, quas sola experientia suppeditat. Illae enim in eo, quod naturam poeseos continet, nihil mutant, atque idcirco, ubi de hac sola agitur, omitti debent. Quod quum plane contrarium sit in aequabilitate illa, patet, eam non potuisse praeteriri. Neque enim recte disputari de poesi potest, nisi, id ipsum, in quo eius natura cernitur, quas mutationes admittat, explanatum fuerit.

Atque ex illa aequabilis et inaequabilis pulcritudinis differentia quaedam poeseos divisio nascitur, quae propter ingens momentum semper animadversa, propter difficultatem vero nondum plane explicata fuit. Nam quae carmina cantionum nomine appellantur, ea sunt, in quibus aequabilitate illa, quam diximus, pulcritudo regitur. In quo genere poeseos illustrando qui illud quadam laetitiae et hilaritatis expressione, omnem sublimitatem seiungentes, contineri statuunt, plane nihil ad eius cognitionem existimandi sunt contribuisse. Ista res enim ut omnino apta dignaque sit ad aliquam poeseos divisionem faciendam, certe in iis carminibus, quae omnium sensu cantiones putantur, neque unice nec necessario reperitur. Propius veritatem illi accesserunt, qui aequabili aliqua animi affectione exprimenda cantiones a caetera carminum multitudine differre arbitrantur. Qui quamvis veram discriminis causam non tetigerunt, (nam ex eorum sententia multa carmina ad hoc genus pertinerent, quae nemo cantiones esse sibi persuaserit) non tamen plane errarunt, quia istam affectionis aequabilitatem e totius formae apta proportione et comparatione oriri necesse est. Hac autem sola cantionum naturam contineri unusquisque vel e sensu suo, vel ex eorum, qui cantiones faciunt, consilio colligere potest. Nam illa quidem carmina, in quibus poetae affectio omnibus legibus, nisi quas argumentum praescribit, soluta est, nemo ad cantiones retulerit, quippe frenis quibusdam cohiberi in hoc genere eius libidinem postulans. Quae quum argumenti ratio, quod in cantionibus aequae epicum ac lyricum esse solet, iniicere poetae nulla possit, qua alia re, nisi ipsius formae quadam aequabili comparatione observanda, coercebitur. Hanc autem comparatio-

nem necessario curare debet is, qui cantiones facit, propterea quod in hoc genere carminis non tam suae cuidam libidini obsequutus, quam regulis quibusdam, quae omnium assensu comprobentur, ductus videri cupit. Ac plerumque eo consilio componuntur cantiones, ut ab quovis homine cantari queant: eaque prima videtur huius proportionis origo fuisse, quae deinde etiam sine istius usus cogitatione recte ac iure usurpata est. Cernitur autem ista aequabilis proportio primum ac praecipue in ipsis cogitationibus: tum vero etiam animi affectiones certa lege moderandae sunt; orationis quidam congruens sibi que constans ornatus adhibendus verborumque complexiones longitudine pares et partibus similes instituendae; metri denique libertas systematibus coercenda, et in his quoque ea, quae lyrica metra propter mensurae varietatem dicuntur, vitanda. Quis enim vel heroicum versum, si solus adhibeatur, in cantionibus ferat, qui vel syllabarum numero, vel caesurarum dissimilitudine omnem aequabilitatem respuit. Harum rerum omnium nescio an nequeam clarius exemplum ponere, quam Horatii illud, donec gratus eram tibi.

Ex iis, quae hactenus de cantionibus dicta sunt, patet, eas nequaquam ad lyrica carmina referri posse, quod, quantum equidem sciam, ab omnibus factum est. Quae si maximam partem lyricae sunt, id eo fit, quod plerumque iis sensibus excitandis adhibentur, qui quibusdam occasionibus iterari, multorumque communem voluptatem consociare possint. Epicam tamen poesin nihilominus aptam esse cantionibus, illustre documentum e genere diegetico praebent illa carmina, quae ab nostris Balladen et Romanzen appellantur: nec deerunt poetarum scripta evolventibus didactici didactique generis exempla.

V.

Divisio poeseos in pulcram et sublimem.

Accedimus ad alteram formae pulcrarum artium diversitatem, qua omnis pulcritudo in formositatem et sublimitatem dividitur. Ac quum pulcritudinis universa vis in eo

posita sit, quod mentem in ipsa rerum contemplatione apto quodam lusu exerceat, necesse est, eam specie quadam finalitatis vero sine carentis niti. Hac enim una ratione eiusmodi lusus cogitari potest. Itaque non tantum in formositate, quod e Kantio aliquis possit colligere, sed etiam in sublimitate formalis illa finalitas inesse debet. Nam si qua res, sive illa formosa seu sublimis, non contineret quamdam speciem finalitatis, animi vires ea re ad aptum quemdam motum nullo pacto possent impelli. Illa autem finalitatis sine carentis forma duplex esse potest, aut internae, aut externae, quemadmodum omnis vera finalitas nunc interna est, quae perfectio, nunc externa, quae utilitas dicitur. Atque internae quidem finalitatis forma formositas est. Censetur enim omnium partium ad unum quiddam, quod quid sit, notione nulla comprehendi potest, conspiratione; ob eamque rem formosa per se placent, neque egent, quo referantur. Quae autem inde voluptas percipitur, ea ad intellectum pertinet, cuius officium est, in iis, quae oblata sunt animo, aliquam unitatem efficere. Quod vero ad sublimitatem attinet, eam si externae finalitatis forma contineri dixerim, verendum mihi est, ne id ipsum repugnare sibi videatur, cogitari aliquam posse, quae externa sit, formalem finalitatem. Nam quum nihil usquam esse possit, quo aliquid, ubi de sola forma agitur, foras referri queat, formalis externae finalitatis notionem plane inanem sibi que ipsi contrariam videri necesse est. Verum diligentior huius notionis consideratio nescio an alia omnia, quam quae primo aspectu videntur, aperiat. Nam si quaerimus, quale id esse debeat, in quo externae cuiusdam finalitatis forma reperiatur, necessario, quia nihil est, quo vere referri possit, eiusmodi quid continere debet, quo iudicetur non esse per se plenum atque absolutum. Id autem quia certis rerum notionibus nihil hic loci est, non potest aliud quidquam esse, quam magnitudo, ac non ea quidem magnitudo, quae numero et mensura conficitur, ob eamque rem semper plena definitaque est, sed illa, quae unice sensu aestimatur, solaque adeo crescere potest, ut tota comprehendi nequeat. Haec igitur quia nec per se absoluta est, quippe ad aliud

HERM. OP. I.

C

quid, quod extra eam est, referenda, neque absolvi tamen ullo modo potest, propterea quod, si posset finire, notione aliqua includeretur et formalis finalitatis naturam amitteret, recte, arbitror, externae finalitatis formalis nomine appellatur. Ea magnitudo autem quod sensuum captum longe excedit, non ad intellectus, qui data solum ordinat, notiones, sed ad rationis, infinitorum supremam conditionem requirentis, ideas excitandas idonea est. Sic etiam intelligitur, quare formosae dici ipsae res possint, sublimes non possint: formosae enim res in se ipsis notionis quamdam formam, qua formatae sint, expressam habent; sublimes quae dicuntur, ideam, quae exprimi non potest, indicant tantum et velut e longinquo monstrant. Quare voluptatis quoque in sublimitate alia atque in formositate ratio est. Formosa enim per se et statim placent: quae res autem sublimes vocantur, eae primo non solum, quod sensu comprehendi nequeunt, sed etiam, quod, si per se solae spectantur, nulla finali forma iudicari possunt, iniucunditatem creant: postea vero, quum eo, quod ad infinitam magnitudinem referuntur, rationis vim excitarunt, nec formali finalitate, nec voluptate carent.

Haec pulcritudinis in formositatem ac sublimitatem divisio quo melius intelligatur, ad fontes eius atque principia adeundum est. Ac quum notiones in pulcritudine nullae sint, missa informationis earum ratione, quae posterioribus categoriarum momentis descripta est, illa tantum considerari oportebit, e quibus formantur. Nam etsi certis notionibus pulcritudo caret, illa tamen adesse debent, unde possint omnino formari notiones, quia, haec si abessent, ne haberet quidem mens, in quo lusum quemquam experiretur. Requiritur autem ad quamlibet notionem formandam duae res, prima, quae alius cuiuspiam rei auxilio cognoscatur, altera, cuius auxilio illa cognoscatur; subiectum praedicatumque philosophi appellant. Horum ad informandas notiones rationem quantitatem qualitatemque vocant. Quodsi e subiecti praedicatique, quae materia logica dicitur, coniunctione notiones efficiuntur, nec tamen pulcritudo, licet materia logica carere nequeat, certas notiones admittit: necesse est, in pulcritudine non totam materiam logicam, sed alteru-

tram eius partem inveniri. Igitur aut qualitate sola aut quantitate pulcritudo censetur. Ac qualitas quidem eo ad aliquam rem refertur, quae res quid sit nesciatur, quod ita aliqua forma (hac enim continetur qualitas) in unum quiddam conspiret, ut aliquid effici ista conspiratione videatur, etsi, quid illud sit, incertum maneat. Haec ratio formae, quae alicuius rei forma esse videtur, licet nullius sit, intellectus vim provocat: eaque mentis virium exercitatio formositatis sensum gignit. Quantitatis par ratio est. In qua ita solum mentis quidam lusus cogitari potest, ut ad qualitatem aliquam, qua definiri possit, licet ea qualitas nusquam ulla sit, referatur. Quamobrem eiusmodi quantitas nec certa finitaque esse debet, quippe cuius finis adhuc quaeratur, nec finienda umquam, quia, si posset finiri, mensurae et numeri notione circumscriberetur. Itaque necesse est, istiusmodi quantitas ut solo sensu aestimetur et ne comprehendi quidem tota sensu possit: quo fit, ut omni forma careat. Quum igitur forma, quae in iudicanda quantitate quaeritur, in sola magnitudine, quoniam a certis notionibus abstinendum est, nusquam invenitur, rationis auxilium, etiam infinita in unum complecti valentis, adhibetur, qui mentis lusus sublimitatis sensum procreat. Haec omnia eo consilio exposui, ut sublimitatem aequae ac formositatem finalitatis formalis, quam pulcritudinem appellavi, notione contineri ostenderem, quae communis utriusque pulcritudinis notio ad artium explicationem plane est necessaria.

Tertia igitur poeseos divisio formosa carmina a sublimibus distinguit. Quae divisio quum pariter atque illae, quas antea commemoravimus, suo quodam ac proprio nitatur fundamento, non ad partem aliquam poeseos, sed ad universam poesin pertinet, quamquam ea non habet nomina, quibus ubique uti liceat. In lyrica quidem poesi usus ferme obtinuit, ut, exclusis cantionibus, sublimia carmina odarum nomine appellarentur: formosa nescio an recte elegiae vocari possint, cuius vocabuli vera significatio iam ab antiquis neglecta est. In cantionibus haec diversitas nomen nullum habet, quod iis maxime tribuendum est, qui, hoc genus totum ad lyricam poesin referentes, una divisione odas, can-

tiones, et elegias complexi sunt. In epicae poeseos partibus iis, quae rariores sunt, diagraphica et didactica, pariter nomina non exstant, quibus sublimitia carmina a formosis distinguantur. In diegetico genere vero, quod multo latius patet, quaedam nomina sublimitatis et formositatis discrimen indicant. Sic illud, quod heroicum carmen vel epos vocatur, sola sublimitate ab similis argumenti poematibus differt. Pariter dramaticum genus, si sublime est, tragicum, si formosum, comicum nominatur. Cantionum quoque diegeticarum eas, quae sublimes sunt, nostri Balladen, quae formosae, Romanzen appellare consuerunt. Haec quidem nomina nihil aliud, quam exemplorum investigationem adiuvant, quibus in re tam perspicua vix egemus.

His tribus, quae hactenus explicatae sunt, divisionibus omnes diversitates, quae ex ipsa poeseos natura peti possunt, exhaustae sunt, planeque absolutae. Cognovimus autem primum lyricam poesin ab epica, cuius tres partes sunt, diagraphica, diegetica, et didactica, distinguendam esse: deinde epica pariter ac lyrica argumenta aut cantionibus tractari, aut cantionum lege non teneri; denique lyricum epicumque genus, sive cantionibus contineatur, seu liberum sit, formositate ac sublimitate iudicari. Reliquae omnes carminum differentiae quum usu demum atque experientia cognoscantur, ab ea poeseos dividendae ratione, quae philosophica dici mereatur, plane abhorrent. Quod quominus dubium cuiquam videri possit, praecipua quaedam illarum diversitatum exempla commemorabimus, ostendemusque, quomodo hoc genus totum tractari pervestigarique debeat.

VI.

De divisionibus fortuitis ex materia.

Ac quemadmodum supra e materia, e forma, atque ex ea formae parte, quae animi commovendi rationem continet, poesin divisimus, ita nulla est ex his tribus rebus, quin, quum experientiae auxilio definiretur, aliena et inutilia in hoc disputationis genus intulerit. Atque argumenta poeseos quod attinet, quum per se clarum sit, horum diver-

sitates eas, quae a sola experientia petuntur, ad philosophicas divisiones plane non posse adhiberi, eorum tantum errorem attingemus, qui quaedam argumenta per se poetica esse, quod nullo pacto fieri potest, existimant. Cuius rei illustre documentum praebent fabellae Aesopicae, de quibus plerique ita loquuntur, ac si quaevis fabella poema esset. Qui profecto formam, qua quidem sola continetur omnis poesis, penitus videntur negligere. Quodsi quis eos interrogaret, cur quaelibet fabella Aesopica per se pulcra esset, quid, obsecro, responderent? Nos certe Socratis, sapientissimi hominis, auctoritas non commovebit, ut Aesopum aut Phaedrum aut Avianum magnos quosdam poetas arbitremur, si fabellarum suarum veritate nos docent tantum, non pulcritudine oblectant.

VII.

De divisionibus fortuitis e forma, ac primum ex eo, quis loquatur in carmine.

Formae quoque rationem eam, quae usu tantum atque experientia cognoscitur, quum quidam ad philosophicam poeseos divisionem adhibuerint, factum est, ut nonnullae carminum diversitates, quae quidem per se maximi momenti sunt, alieno tamen loco tractarentur. Sic Plato atque Aristoteles eo universam tractationis poeticae rationem diviserunt, quod aut ipse solus loqueretur poeta, aut alios tantum loquentes introduceret, aut utrumque faceret simul. Quam sententiam recentiores ita correxerunt, ut duo tantum tractationis genera facerent, alterum, ubi a solo poeta, alterum ubi ab aliis omnia dicerentur. Quae divisio quamquam et a veritate et ab utilitate maxime commendatur, omitenda tamen erat, ubi ea, quae in ipsa poeseos natura niterentur, commemorari debebant. In his enim quae istius differentiae causa lateat, intelligi non potest.

VIII.

De ridiculo.

Denique quum formae vocabulum ita ambiguum sit, ut universam tractationis rationem possit comprehendere, etiam ad animi affectiones, quas poesis suscitatur, designandas adhibitum est. Quibus animi affectionibus si solus formositatis ac sublimitatis sensus intelligitur, sane, ut antea demonstratum est, necessariae quaedam carminum divisiones inde peti possunt: sin aliae quoque animi commotiones isto nomine appellantur, patet, quae his nitantur poematum diversitates, eas experientia tantum cognosci, ob eamque rem a philosophica dividendae poeseos ratione abhorrere. In his animi commotionibus risus est, qui licet per se nullo modo ad pulcritudinis sensum referri queat, multo tamen cum fructu et laude in eo excitando operam poetae collocant. Quid sit autem ridiculum, eorum, quos equidem sciam, nemo videtur satis explicasse. Quodsi risum primo, ut par est, psychologica ratione consideramus, eum ab repugnantibus affectionibus nasci omnium experientia comprobatur. Affectiones autem omnes aut iucundae iniucundaeve sunt, aut voluptatis pariter ac doloris expertes. Itaque aut iucunditatis atque iniucunditatis quadam repugnantia animus commovetur, aut eiusmodi affectiones sibi adversantur, quae nulla voluptatis ratione aestimari possunt. In quo casu satis est, si una tantum affectio voluptatis dolorisve sensu expertus est, quia tum altera, quae cum priore pugnat, non iucunditate, sed eo, quod alia plane est, illi adversatur. Ac risum ex ea affectionum repugnantia nasci, quae non est in iucunditate atque iniucunditate diligens experientiae usus ostendit, voluptatis et doloris coniunctionem fletui assignans. Non sum quidem nescius, eorum maxime exempla in contrariam sententiam afferri posse, qui quum tristes sunt, repentina gaudii alicuius successione in risum coniiciuntur. At illud vereor ut possit aliter fieri, quam ita, ut vel quia tollenda maeroris causa gaudium continebatur, vel quod rei novitas oblivionem doloris adducebat, remissione tantum et languore, quem tristitia reliquerat, vincendo risus excitetur. Quorum uberiori

explicationi quoniam hic non decet locum concedere, hoc tantum afferam, eos qui ex levium atque humilium negotiorum occupatione repente ad magnarum sublimiumque rerum contemplationem abripiuntur, novitate et insolentia huius sensus, repugnantis omni remissioni, in risum conici solere; in quo quidem casu nulla est iucunditatis et iniucunditatis certatio; illis contra, qui amici mortem dolent, quoties consuetudinis et familiaritatis suavitatem recordantur, lacrimas erumpere.

Τὸ γὰρ φιλεῖναι τὸν θανάτῳ ἄγει δάκρυ,

ut recte Euripides.

Ex risus natura quae sint ridicula, intelligi potest. Ac debent illa earum rerum aliquam coniunctionem continere, quae alia quadam, quam iucunditatis et iniucunditatis repugnantia insociabiles animi affectiones afferant. Quae repugnantia aut solo sensu aestimatur, quemadmodum musici sonis quibusdam (non melopoeia, quod etiam, sed intellectus auxilio, fieri potest) risum movere sciunt, aut mentis iudicio expenditur, quod solum genus nunc ab nobis tractandum est. Quodsi ea ridicula sunt, quae aliquam rerum insociabilium coniunctionem continent, tamen, nisi absurda cum ridiculis confundere volumus, fieri non potest, eae res ut nulla omnino ratione copulatae sint. Hoc enim si esset, rationi quidem taedium crearent, licet, si solam affectionem, quam singulae partes per se afferrent, spectes, risum forsitan moverent. Ex eo genere est, quod Kantius affert, fuisse, qui ob eiecta propter tempestatem e navi bona adeo doleret, una nocte ut eius caliendum canuerit. Hoc ridetur, sed non est ridiculum. Nam recte quidem et e Kantii sententia Cicero, natura nos, inquit, noster delectat error, ex quo quum quasi decepti sumus expectatione, ridemus. At necesse est, ne illud quidem, quod praeter expectationem arripimus, absurdum esse. Nam non id, quod expectatum erat, adipisci, aliud est, ac tale quid arripere, quod expectari nulla conditione poterat. Hoc autem necessario caveri debet, nisi risum ingenuo homine plane indignum

putare, et Crassum illum ἀγέλαστον tamquam exemplum omnibus proponere velis. Itaque ea tantum sunt ridicula existimanda, in quibus quaedam ita coniunguntur, quemadmodum coniungi non possunt, licet alia ratione optime congruant. Referam exemplum e Cicerone. Pusillus testis processit. Licet, inquit, rogare, Philippus? Tum quaesitor properans, modo breviter. Hic ille, non accusabis: perpusillum rogabo. Patet, quare hoc ridiculum sit. Pusillum hominem esse, quem rogaret, dicebat Philippus: id verum erat, sed responderi nunc non debebat. Itaque nisi vocabulo usus esset, quo quum brevitatem hominis laceraret, pauca tamen rogaturus videretur, stultus fuisset atque ineptus. Eiusdemmodi illud est, quod ibidem Cicero refert, de furace servo, solum esse, cui domi nihil sit nec obsignatum nec oclusum. Quae quum ad commendandum hominem dicuntur, non possunt hoc significare, nihil satis illi obsignatum oclusumque esse, sed non opus esse quidquam obsignare atque ocludere. Quodsi non ad utramque rem verti possunt, non sunt ridicula. Nam inepte diceretur, frugi servum esse; omnia enim furari. Sic intelligitur etiam, cur errare saepe ridiculum sit, quod non eo fit, quia leve vitium, et debilitatem hominis arguens animadvertamus: nam ne haec quidem vitia omnia risum movent: sed id tum demum accidit, quum quis ea, quae quadam ratione vera sunt, alia ratione, quam licet, pro veris habet. Equum oculis currere nemo dixerit, qui cuiusquam sani hominis risum captet. At idem ridetur in his versibus C. Lucili,

queis hunc currere equum nos atque equitare videmus,
his equitat, curritque: oculis equitare videmus:
ergo oculis equitat.

Non omnia autem, quae ridicula sunt, ridentur. Nam interdum severitas quaedam et dignitas accedit, cuius admiratio honestam indolem ab risu retinet. Illi quidem, qui nihil usquam magnum et grave sentiunt, etiam in his rident. Ex eo genere P. Licinii Vari dictum commemorat Cicero, qui Africano maiori, coronam sibi in convivio ad caput accommodanti, quum ea saepius rumperetur, noli mirari, in-

quit, si non convenit: caput enim magnum est. Ita etiam Augustus, ut a Macrobio traditum est, quum Herennium, pravi exempli iuvenem, castris excedere iussisset, isque interrogaret, quid patri suo diceret, dic, inquit, me tibi displicuisse. Ex his apparet, ne sublimitati quidem ridicula repugnare, eoque et in epopoeia, et in tragoedia adhiberi posse.

Quum ridicula, ut ex ea definitione, quam supra posuimus, clarum est, non in homine solo, ut quidam existimant, reperiantur, sed ubique locum habeant, ubi repugnantia ita coniungi possunt, quodammodo ut sibi non repugnent: non in poesi sola, sed in reliquis etiam artibus recte adhibentur. Atque in pictura quidem non aliter risum movetur, nisi rerum quae pinguntur, auxilio. Nam ipsae per se figurae, si, quarum rerum figurae sint, spectare omiseris, non possunt ridiculae esse, propterea quod spatii descriptiones, in quibus nimirum nullius partis forma e forma alterius pendeat, repugnare sibi nullo pacto queunt. Quapropter, quum pictura risum excitat, figurae non inter se, sed cum eo pugnant, quod iis exprimi debebat, ut in sannis videmus. Alia in arte musica ratio est, quae non modo cantu cum verbis, quae canuntur, male concordante, sed sola etiam melopoeia discrepantes modos apte coniungente risum auditoribus commovere potest. Cuius rei etsi rarissima exempla sunt, non est tamen obscurum, posse illud fieri. Nam quum in arte musica et soni et modi regula quadam, quae a praecedentibus sonis et modis definitur, ordinandi atque flectendi sint, apertum est, repugnare sibi modorum consequentem posse: quae si talis est, ut quodam modo non repugnet, rideri necesse est.

lis, quae de ridiculo disputavi, si pauca de eo, quod simili comparatione flebile appellari possit, addiderim, veniam mihi impetrabit illa repugnantium affectionum divisio in risum et fletum. Ac fletus si, quemadmodum risus, in ipsis rebus aliquid habet, quo excitari possit, id cogitatione, quae voluptatis sensu caret, comprehendi non potest, sed in sola pulcritudine inveniri debet. Quae quum e duabus partibus constet, formositate et sublimitate, in illarum coniun-

ctione flebile istud quaerendum est. Ac formositas quidem per se et statim voluptatem creat, quae si iuncta est sublimitati, in qua primo iniucunditas quaedam est, vis eius debilitatur et iniucunditati cedit. Necessario autem ita debet coniuncta esse sublimitas cum formositate, eadem res ut alia ratione formosa, alia sublimis sit. Nam si eadem ratione et formosa et sublimis est (quod tum fit, quum in formositate sublimitas inest) nobilis appellatur. Praeterea illud quoque notandum est, deformitatis cum formositate coniunctionem non posse lacrimas ciere, propterea quod, quum in mentis quadam repugnante exercitatione iste sensus cernatur, pariter ut in ridiculo, vitanda est absurditas. Id autem eo tantum fieri potest, quod, quum impeditur formositatis iudicatio, aliud adsit, quo eadem res iudicari queat quod in deformitate nusquam est. Ita Sophocles in Oedipi Colonei principio, et Homerus de mortuo Hectore,

*κάρη δ' ἅπαν ἐν κοίῃσι
κεῖτο, πάρος χαρῆν· τότε δὲ Ζεὺς δυσμενέεσσι
δῶκεν ἀεικόσασθαι ἐγὼ ἐν πατρὶδι γαίῃ.*

Haec animi affectio in eo genere ridiculi saepe invenitur, quod in nativa morum simplicitate est.

Redeo ad illa, quorum caussa haec omnia commemorata sunt. Quodsi enim ridicula per se pulcritudinem nullam habent, non possunt inde aliae, nisi fortuitae poeseos divisiones nasci, quas in hoc genere disputationis praeterire oportet. Sic satira, cuius vis in deridendis hominum vitiis posita est, non est in iis carminum generibus numeranda, quae ex ipsa notione poeseos derivantur. Eodem modo qui comoediam ridiculo carere non posse statuunt, nescire videntur, omnes tragoediae et comoediae diversitates unice ex sublimitate et formositate nasci. Ridiculum quidem a comoedia abesse posse, vel dimidiatus ille Menander Terentius ostenderit. Atque etiamsi frequentius in formositate ridiculum est, tamen quum ne a sublimitate quidem abhorreat, etiam in tragoedia recte adhibetur, quae tum quid haberet, quaeso, quo a comoedia differret?

IX.

Conclusio.

His omnibus fortuitarum divisionum exemplis nihil aliud efficere studui, nisi ut, qua ratione distinctionibus istis utendum sit, ostenderem. Ac quum universae poeseos ambitus illis divisionibus, quas e natura poeseos hausimus, descriptus sit, necesse est, quaecumque praeterea carminum diversitates reperiantur, eas omnes ad illa, quae prima ac necessaria sunt poematum genera, reduci, ac sine illis ne cogitari quidem posse. Sunt autem illa genera numero sedecim, quoniam, quum in quovis carmine haec tria spectanda sint, argumentum, formae necessaria vel fortuita ratio, denique pulcritudo, uniuscuiusque divisionis membra caeteras distinctiones recipiunt. Atque in argumentis quatuor reperiuntur carminum differentiae, quarum quum quaelibet aut aequabili aut inaequabili forma sit, octo habemus diversitates. Harum vero quum unaquaeque formositatem aequae ac sublimitatem admittat, sedecim omnino sunt genera poeseos. Quamobrem in quolibet poemate iudicando primum omnium, ad quod ex his sedecim generibus illud pertineat, investigandum est: tum demum illas notas, quae ab experientia petuntur, ordine, quo quaeque superior est, adicere decet.

DE DRAMATE COMICOSATYRICO.

Epistola ad Chr. D. Beckium, edita in Commentariis Societatis philologicae vol. I. part. II. p. 245. seqq.

Quum gratum tibi fore significares, Becki, V. C., si quid ego quoque commentariis societatis philologicae insererem, sponondi me descriptionem lexicī Graeci MS., quod magno litterarum emolumento editum iri speramus, ad te missurum esse. Sed quum non sane mea culpa in dies hanc rem differre cogerer, verebar, ne nimis cunctando aut negligentior, aut, quod molestius etiam ferrem, parum officiosus tibi viderer. Decevi igitur, interea dum illius exhibendae descriptionis mihi copia fieret, alia via, eaque magis etiam cum studiis societatis philologicae coniuncta, nomen meum exsolvere. Etenim quem Eichstaedtius, V. Cl., quum philologicae societatis sodalis esset, de dramate Graecorum comicosatyrico libellum edidit, in eo libello quum ea ipsa, quae primaria sunt, drama comicosatyricum et emendatio fragmentorum Lyttersae, plurimis mihi viderentur maximisque obnoxia esse dubitationibus, operae pretium me existimabam facturum, si renovanda hac disputatione vel ipse aliquid ad eam explicandam conferrem, vel alios, ut id facerent, excitarem. Ac non satis mirari possum, quid sit, quod Eichstaedtius commentum hoc dramatis comicosatyrici, rei antea doctis hominibus prorsus ignarae, ita plurimis probaverit, ut iam ne dubitari quidem videatur, quin istiusmodi fabularum genere veteres usi sint. Mihi certe, quae in hanc rem ille argumenta attulit, ut ad speciem veri callide ador-

nata, ita a veritate remotissima videntur. Scilicet commemorari docet Phrynichi, Cratini, Anaxandridae, Ophelionis, Iophonis, Ecphantidae, Timoclis comicorum satyros. Si ita est, facile victas manus tanto exercitui praebemus. Verum ante omnia ostendi debebat, illos omnino potuisse scribere satyros; tum etiam scripsisse; denique, si scripsere, diversum hoc genus a tragicorum satyris fuisse. Ac quod primo loco dubitare me dixi, an omnino scribere isti satyros non potuerint, id non in omnes, sed in hos tantum expetit, qui mediae fuerunt novaeque comoediae scriptores. Nam choro sublato, de cuius omissione non satis accurate disputasse videtur Eichstaedtius, equidem non video, cuiusmodi esse potuerint fabulae, quae a choro satyrorum satyricae dicebantur. Sed hoc sane non tangit antiquiores, ut Phrynichum, Cratinum, Ecphantidem. Itaque quo argumento hos censebimus satyros scripsisse? Mirum vero, ab nullo veterum scriptorum hoc disertim traditum esse, comicos quoque fabulas fecisse satyricas. Mirum etiam, quod in tanta comicorum multitudine perpauca tantum sunt, quorum satyri memorantur, in iisque unus dumtaxat Timocles, cuius Icarii satyri eodem modo, quo in tragicis fieri solet, nunc simpliciter Icarii, nunc Icarii satyri dicuntur. Quamquam non videtur ea huius indicis esse vis, ut, si alia obstant, Icarios fabulam satyricam putare oporteat. Etenim, nisi magnopere fallor, et Timoclis Icarii, et quicumque aliorum commemorantur comicorum satyri, comoediae fuerunt. Primum enim non solent loci e fabulis satyricis sic afferri, ut simpliciter *σάτυροι*, omisso nomine fabulae, commemorentur. Disputavit quaedam de hac re Casaubonus ad Athenaeum p. 723. et de poesi satyrica p. 131. et 135., sed non satis diligenter. Quae in hanc rem afferri possunt, haec ferme sunt. Aeschylus in *σατυρικῶ* affert Hesychius in *ν. ἀποφύλιοι*: idem in *ν. ἀρράγες ὄμμα* Sophoclem in *σατυρίσκῳ*. Scribendum *σατυρικῶ*, quod iam volebat Casaubonus ¹⁾. Nec dubium,

1) Codex Hesychii *σατυρίσκῳ*.

quin utroque in loco Hesychii nomen fabulae Aeschyleae et Sophocleae exciderit. Sophoclem *ἐν σατύροις* afferunt Zenobius proverb. II. 80., in quo, ut in Hesychio, nomen fabulae omissum credibile est, et Aristides, memoratus iam Casaubono de sat. poesi p. 135. Recte hic quidem, neque egens emendationis. Loquitur enim de Helena, nec nomine opus habet fabulae, quum ex ipsa Helenae mentione pateat intelligi *Ἑλένης ἀπαιτήσιν*, quam fabulam satyricam fuisse, licet, quod equidem sciam, nemo animadverterit, satis tamen fragmenta arguunt. Porro Athenaeus p. 428. A. eundem poetam laudat *ἐν δράματι σατυρικῷ*. Non solent ita loqui ²⁾. Quare adducor, ut alicuius fabulae nomen pro *δράματι* restituendum putem. Fortasse scripsit *ἐν Σαλμωνεῖ σατυρικῷ*. Idem nomen Bentleius in epistola ad Millium reddidit Galeno, in quo legebatur *ἐν Σαλαμίνῃ σατυρικῷ* ³⁾. Corrupto Athenaei loco Brunckius adeo se decipi passus est, ut in lexico Sophocleo in *ν. ἄλυπον* locum lexicī MS. Sangerm. ita scriberet: *Σοφοκλῆς ἐν τῷ Διονυσιακῷ σατυρικῷ*, et in *ν. θαχθεῖς* apud Hesychium pro *Σοφοκλῆς Διονυσιακῷ* reponi vellet *ἐν Διονυσιακῷ τινι σατυρικῷ*, qua ratione nemo umquam loquutus est. Immo recte MS. Sangerm. apud Valckenarium in diatriba p. 179. habet *ἐν τῷ Διονυσιακῷ σατυρικῷ* ⁴⁾. Quin omnino Dionysiacum non debebat Brunckius e numero fabularum Sophoclis expungere: quod nomen indidisse poeta illi fabulae ex eo videtur, quod vini inventio eius argumentum esset. Certe hoc ex illo lexicī Sangerm. loco clare potest intelligi. Quod si tragicorum satyri, ut par est, nomine fabulae adiecto commemorari solebant, mirum videtur, comicorum satyros omnium, si ab Iophonē et Timocle discesseris, omissio fabulae nomine afferri. Quo facilius li-

2) In codice Athenaei omissum est *δράματι*.

3) Salaminem Sophoclis tueri studuit Osannus in libello, quem Germanice de Aiaē Sophoclis scripsit p. 77. seq.

4) Vide Bekkeri Anecd. p. 385, 20. Nisi inscripta fuit fabula *Διώνυσος σατυρικῶς*.

cebit rem ita expedire, ut hos comicorum satyros comoediarum potius, quam fabularum satyricarum indices esse existimemus. Eamque suspicionem egregie confirmat ordo, quo fabulae istorum poetarum a grammaticis enumerantur. Suidas in v. *Ἐπιπέλων* huius fabulas hoc ordine refert: *Δευκαλίωνα, Κάλλαισχρον, Κένταυρον, Σατύρους, Μούσας, Μονοτρόπους*. Idem Timoclis fabulas hoc ordine: *Δημοσάτυροι, Κένταυρος, Καύνιοι, Ἐπιστολαί, Ἐπιχαίρεκακος, Φιλοδικάστης, Πύκτης*. Idem alterius Timoclis fabulas hoc ordine: *Διονυσιάζουσαι, Πολυπράγμων, Ἰκάριοι, Ἀήλος, Ἀήθη, Διόνυσος, Κονίσσαλος, Πορφύρα, Ἡρώες, Δρακόντιον, Νείαιρα, Ὀρέστης, Μαραθῶνιοι*. Idem Phrynichi comici fabulas hoc ordine: *Ἐπιάλτης, Κόννος, Κωμασταί, Σάτυροι, Τραγωδοὶ ἢ Ἀπελεύθεροι, Μονότροπος, Μοῦσαι, Μύστης, Ποάστριαι, Σάτυροι*. Eumdemque ordinem habet Eudocia p. 428., nisi quod *Κρόνος* addit post *Κόννος*, et in fine omittit *Σάτυροι*, unde corrigendus est Suidas. Nunc quis non miretur, in mediis quattuor poetarum comoediis satyricas fabulas commemorari, neque, ut par erat, enumeratis demum comoediis addi satyros? Quod si has comicorum fabulas, quae satyrorum nomine vocantur, comoedias esse censebimus, clarum erit, quare et comoediis misceri a grammaticis potuerint, neque accessionem requirant alius indicis, quam Satyrorum. Etenim credibile est, uti in his paucorum poetarum fabulis Centauri, Musarum, *Μονοτρόπων* nomina saepius occurrunt, ita etiam Satyros ipsum nomen fuisse, quod plures poetae suae alicui comoediae tribuerent. Nec sane obscurus est huius fons appellationis. Satyrorum enim nomen, ut vel Moschi *ἄριστὺς* docet, reprehensionem vel deformium vel libidinosorum inserviebat. Hos ergo maxime in his fabulis, quae Satyri vocarentur, traductos esse probabile est. Quin *Δημοσάτυροι* Timoclis ipso fabulae nomine indicant, non satyros, Bacchi comites, sed alios quosdam, quos hoc nomine irriserit poeta, intelligi debere. Ad Anaxandridae satyros fortasse spectabant, quae de hoc tradidit Eudocia p. 60. *καὶ πρῶτος οὗτος ἔρωτας καὶ παρθένων φθορὰς ὁ παμμίαιρος εἰσήγαγεν*.

His quidem, quas hactenus attuli, rationibus sic tantum aliquam vim tribuo, si cum aliis gravioribus conspirant. Etenim quam omnium maxime in Eichstaedtii disputatione desideramus, explicationem naturae et conditionis dramatum comicosatyricorum, hac ille firmare opinionem suam et quasi extorquere assensionem legentibus debebat. Nam si istae fabulae e satyrico genere fuerunt, ostendi oportebat, quid huius poeseos sive in fabulae compositione, sive in dictione et versuum modulatione proprium fuisset. Illud sane, quod primo loco nominavi, facere non licebat, quia deest integra ex illo genere fabula. At eo magis de altero videntum erat. Atque uti grammatici quamdam trimetri formam satyricam appellant, ita aliquanto plura sunt, quibus vel versus satyrici a tragicis et comicis, vel omnino dictionis satyricae genus a tragico et comico discrepet. Quod si porro comicosatyrica dramata a tragicorum satyris diversa erant, qua tandem in re hanc differentiam ponendam existimabimus? Vtrumne in dictione et versibus, an in fabulae totius constitutione? At de hac quidem nihil nunc constat. Quod si oratio et numeri nihil suppeditant, quod singulare et aliis dramatum generibus inusitatum sit, quid aliud quam ingeniosum commentum fabulas istas comicosatyricas esse censebimus? Necessae est autem orationem et numeros aut proprios quosdam harum fabularum fuisse, siquidem eiusmodi fabulae umquam exstiterunt, aut certe similes ut in tragicorum satyris, quo certe eas fabulas ad genus satyricum referre possimus. Atqui neutrum horum est, sed comica dictione, comicisque numeris, quae ex illis fabulis fragmenta afferuntur scripta sunt. Quamobrem aliis deficientibus argumentis non poterimus non eas fabulas comoediis adnumerare. Sed praestat locos ipsos videre. E Phrynichi Satyris scholiastes Aristophanis ad Nubes v. 1153. affert,

βοάσομαι γὰρ ἄρα τὰν ὑπέρονον βοάν.

Scribendum, ut in Aristophane, qui hunc versum e Phrynicho sumpsit,

βοάσομαι τ' ἄρα τὰν ὑπέρονον βοάν.

At hic versus numeros habet comicos 5). Videtur autem e chori carmine fuisse, unde haec sunt in scholiis ad Aristophanem: *χορικῆ περιπλοκῆ εἴρηται* (ab Aristophane) *καὶ διαλέκτῳ Δωρίδι*. Idem scholiastes Aristophanis ad Aves v. 1463. e Phrynichi Satyris affert, *Κερκυραῖαι δὲ οὐδὲν ἐπιβάλλουσι μάστιγες*. Comoediam haec facile arguunt. Versus sunt anapaestici:

*Κερκυραῖαι δ' οὐδὲν . . .
ἐπιβάλλουσιν μάστιγες.*

Ex eiusdem Phrynichi Satyris Phrynichus Sophista p. 114. haec affert, manifeste comica, sive numeros, sive orationem spectes:

*ὅτι ἤ πριν ἔλθεῖν αὐτὸν εἰς βουλήν ἔδει
σοὶ ταῦτ' ἀπαγγείλαντα πάλιν πρὸς τὸν θεὸν
ἦκειν, ἔγωγ' ἀπέδραν ἐκεῖνον δεῦρο νῦν
εὐαγγελῶν σοι.*

Ita hic locus corrigendus videtur 6). Sequitur fragmentum Iophontis comici apud Clementem Alex. Strom. I. p. 329. ex *Ἀνλωδοῖς σατύροις*:

*καὶ γὰρ εἰσελήλυθεν
πολλῶν σοφιστῶν ὄχλος ἐξηρητημένος.*

Hoc fateor satyricam indolem aperte prae se ferre. Verum quis nobis sponsor est, recte hunc Iophontem a Clemente comicum dici, quem nemo quisquam veterum perhibuit comicum? Nam quod Iophontis Bacchas quidam Stobaei codd. comoediam vocant, teste Grotio in Excerptis e trag. et com. p. 876. id eodem errore factum esse, qui in Clemente

5) Constat hodie, scribendum esse:

*βοάσομαι τάρτα τὰν ὑπέρονον
βοάν.*

Qui sunt tragici numeri, a comicis ridendi causa adsciti.

6) Vide Lobeckium ad Phryn. p. 267. Emendatio horum versuum vereor ut sine codicum auxilio perfici queat. Sed tamen *καὶ ταῦτ'*, quod apud Phrynichum est, in *κάνταῦθ'* mutandum puto, servandum autem *ἔγωγ' ἀπέδραν*, posita ante haec verba maiore interpunctione.

HERM. OP. I.

D

corrigi debet, ipsum illud fragmentum, manifesto tragicum, docet: tum etiam Bacchas tragoediam Iophonis fuisse scimus: v. Valcken. diatrib. p. 16. Ex Satyris Ecphantidae Athenaeus p. 96. C. haec affert, pariter, ac Phrynichi Satyrorum fragmenta, comici sermonis prae se ferentia indolem: *πόδας τε εἰ δέοι πριάμενον καταφαγεῖν ἐφθούς υἱός.* Versus videtur trochaicus esse:

πόδας ἔτ', εἰ δέοι, πριάμενον καταφαγεῖν ἐφθούς υἱός.

Denique ad Timoclem venimus, e cuius Demosatyris quae Athenaeus p. 165. F. affert, nihil habent, quod a comicorum consuetudine recedat:

*οὐδ' ὁ Χαβρίου Κτήσιππος ἔτι τρεῖς κείρεται,
ἐν ταῖς γυναιξὶ λαμπρός, οὐκ ἐν ἀνδράσιν.*

Verum ex huius Icaris Satyris quem locum Athenaeus protulit p. 342. A. is, fateor, dictionem ac numeros habet aptos Satyris tragicorum. Verba apud Athenaeum ita legantur:

*τόν τ' ἰχθύόρρον ποταμὸν Ὑπερείδην πέρασον
σηπίας φωναῖσιν ἔμφρονος λόγου
κόμποις παφλάζων ἠπίοις πυκνώμασι
προσπανδύσας ἔχει
μισθωτὸς ἄρδει πεδία τοῦ δεδωκότος.*

Sermo est de Hyperide, oratore guloso, qui pecunia corrumpi se passus sit. Si coniecturae locus est in tam corrupto fragmento, ita ferme scripsisse arbitror Timoclem:

*τόν τ' ἰχθύόρρον ποταμὸν Ὑπερείδην πέρα,
ὃς ἰππίαις φωναῖσιν ἔμφρονος λόγου
κόμπους παφλάζων ἠπίοις πυκνώμασιν
πρὸς παντὸς ὅστις χρυσὸν ἐνδύσας ἔχη,
μισθωτὸς ἄρδει πεδία τοῦ δεδωκότος.*

Pisculentum, inquit, traice fluvium Hyperidem, qui sesquipedalibus prudentis sermonis vocibus ampullas strepens temere stipatas in cuiusvis gratiam, qui aurum immerserit, mercenarius campos donantis irrigat. *Ἰππίαις φωνὰς* dicit, quae Aristophanes *ρήματα βόεια* in Ranis v. 955. et *ἰπποβάμονα* ibidem v. 839. Ad illa, *ἐνδύσας ἔχη*, conf. schol.

Eurip. ad Med. 33. At quid mirum, si haec etiam in comoedia maiore cum ornatu verborum protulit, quum in his versibus imitari voluerit Hyperidem, quod saepius in aliis fecit etiam Aristophanes? Ac videtur iis, qui caussas suas bene agi velint, suadere, ut corrumpant Hyperidem: in qua re quasi itineris cuiusdam descriptione utitur, memor fortasse horum Aeschyli versuum:

ἤξεις δ' ὑβριστὴν ποταμὸν οὐ ψευδῶννμον,
ὄν μὴ περάσης· οὐ γὰρ εὐβατος περᾶν.

Caeterum quo minus dubitari queat, quin comoedia fuerint Icarii Satyri, alia id fragmenta docent. Vt apud Athenaeum p. 339. D. Ἄνυτος ὁ παχὺς πρὸς Πυθιονίκην ὅταν ἔλθῶν φάγη τι· καλεῖ γὰρ αὐτὸν, ὡς φασιν, ὀπτόταν Χαιρεφίλου τοὺς δύο σκόμβρους ξενίσῃ μεγάλους ἡδομένη. Versus sunt anapaestici:

Ἄνυτός θ' ὁ παχὺς
πρὸς Πυθιονίκην ὅταν ἔλθῶν
εἶτα φάγη τι· καλεῖ γὰρ καὶ τόνδ',
ὡς φασ', ὀπτόταν δύο Χαιρεφίλου
σκόμβρους ξενίσῃ μεγάλ' ἡδομένη. ?)

Et ibidem:

ἡ Πυθιονίκη δ' ἄσμενῶς σε δέξεται,
καὶ σοῦ κατεδεῖται τυχὸν ἴσως ἂ νῦν ἔχεις
λαβῶν παρ' ἡμῶν δῶρ· ἄπληστός ἐστι γάρ.
ὅμως δὲ δοῦναί σοι κέλευσον σαργάνας
αὐτὴν ταρίχους· εὐπόρως γὰρ τυγχάνει

7) Non credo hodie, versus istos esse anapaesticos praeter primum. Nisi fallor ex anapaesticis tetrametris strophici versiculi aptati erant hunc fere in modum:

..... Ἄνυτός θ' ὁ παχὺς πρὸς Πυθιονίκην
ὅταν ἔλθῶν τι φάγη·
καλεῖ γὰρ αὐτὸν, ὡς φασ',
ὀπτόταν Χαιρεφίλου
τοὺς δύο σκόμβρους ξενίσῃ,
μεγάλους ἡδομένη.

ἔχουσα, καὶ ξύνεστ' ἀπ' ἡοῦς ἐς δύσιν,
καὶ ταῦτ' ἀνάλοις καὶ πλατυρόγγυοις τισίν.

Ita hic locus scribendus. Denique apud eundem Athenaeum p. 407. E. ex Icaris Satyris haec afferuntur: ὡστ' ἔχειν οὐδέν παρ' ἡμῖν, νυκτερεύσας δ' ἀθλίως, πρῶτα μὲν σκληρῶς καθεύδω, εἶτα Θούδιππος ὁ λέων παντελῶς ἐπληξεν ἡμᾶς, εἶθ' ὁ λιμὸς ἤπτετο ἐφέρετο πρὸς Δίωνα τὸν διάπυρον· ἀλλὰ γὰρ οὐδ' ἐκεῖνος οὐδὲν εἶχε. πρὸς δὲ τὸν χρηστὸν δραμῶν Τηλέμαχον Ἀχαρνέα, σωρόν τε κνάμων καταλαβὼν ἀρπάσας τούτων ἀνέτραγον, ὁ δ' ὄνος ἡμᾶς ὡς ὄρα Κηφισόδωρος πρὸς τὸ βῆμ' ἐπέρδετο. Haec nemo sane dubitabit, quin comoediam aperte arguant. Numeri autem sunt trochaici:

ὡστ' ἔχειν οὐδέν παρ' ἡμῖν, νυκτερεῦσαι δ' ἀθλίως
πρῶτα μὲν σκληρῶς καθεύδοντ'· εἶτά θ' οὐ φιλπος
λεῶς

παντελῶς ἐπληξεν ἡμᾶς, εἶθ' ὁ λιμὸς ἤπτετο,
εἶτ' ἐφέρετο πρὸς Δίωνα τὸν διάπυρον· ἀλλὰ γὰρ
οὐδ' ἐκεῖνος οὐδὲν εἶχε· πρὸς δὲ τὸν χρηστὸν δραμῶν
Τηλέμαχον Ἀχαρνέα, σωρόν τε κνάμων καταλαβὼν,
ἀρπάσας τούτων ἀνέτραγον· ὁ δ' ὄνος ἡμᾶς ὡς ὄρα
ὁ . . . Κηφισόδωρος πρὸς τὸ βῆμ' ἐπέρδετο.

Corruptum in his nomen Θούδιππος ὁ λέων mutandum duxi in οὐ φιλπος λεῶς⁸⁾, quod eodem modo dictum, ut apud Aristophanem in Pace v. 921. ὁ γεωργικὸς λεῶς. Scilicet equites ea fabula irriserat Timocles, ut reete observavit e fragmento Alexidis apud Athenaeum p. 120. A. Eichstaedtius p. 80., modo ne illud fragmentum corrigere conatus esset:

τοὺς Χαιρεφίλου δ' υἱεῖς Ἀθηναίους, ὅτι
εἰσήγαγεν τάριχος, οὗς καὶ Τιμοκλῆς

8) Porsonus Thudippi nomen apud Plutarchum inveniri T. II. p. 189. A. monuit. Ac veri simile est, recte apud Athenaeum legi εἶτα Θούδιππος, nec nisi ultimas huius versus voces ὁ λέων corruptas esse.

*ἰδὼν ἐπὶ τῶν ἵππων, δύο σκόμβρους ἔφη
ἐν τοῖς σατύροις εἶναι.*

Verum in eo accedere Eichstaedtio vereor, quod satyrorum habitu in scenam productos a Timocle equites putat. Sed ut hoc fecerit Timocles, inde hoc certe non efficietur, ut fabulam, quam reliquiae inde servatae comoediam faisse osténdunt, ad genus satyricum pertinuisse censeamus.

Sed de his satis. Quod si hos Eichstaedtio eripuimus dramatis comicosatyrici auctores, restat solus Sositheus (nam Alcaei tragodocomoediam silentio a nobis praeteriri patietur) qui ex isto sit numero eximendus. Atque ipse puto Eichstaedtius eum hinc segregasset, si epigramma Dioscoridis XXIX. inspexisset, e quo argumenta, quibus ista opinio refellatur, evidentissima petere licebat. Celebrat Dioscorides Sositheum tragicum, unum e Pleiade, propter revocatam veterem tragoediam ac satyros. De tragoedia maximam partem epigrammatis intelligendam esse, tum Sophoclis commemoratio ostendit, tum similitudo, quae est huius epigrammatis et eius, quod praecedit. Satyrus enim in utroque loquitur, ut a quo tragoedia originem duxerit. Sed quae maxime e re nostra sunt, adscribere visum est:

*κῆμὲ τὸν ἐν καινοῖς τεθραμμένον ἦθεσιν ἤδη
ἦγαγεν εἰς μνήμην, πατρίδ' ἀναρχαῖσας.
καὶ πάλιν εἰσώρμησα τὸν ἄρσενα Λωρίδι Μούσῃ
ῥυθμὸν, πρὸς τ' αὐδὴν ἐλκόμενος μεγάλην,
εὐαδέ μοι θύρσων τύπος ἐν χειρὶ, καινοτομηθεὶς
τῇ φιλοκινδύνῳ φροντίδι Σωσιθέου.*

Me, inquit satyrus tragoediae et satyrici dramatis partes agens, novis iam moribus accommodatum, in memoriam hominum revocavit Sositheus, patriamque Alexandriam ad antiquitatis exemplum conformavit: itaque reduxi masculos Dorici carminis numeros, et ad sonoros versus saltans, renovatos manibus teneo thyrsos audaci poetae conatu. Τὸν ἄρσενα Λωρίδι Μούσῃ ῥυθμὸν quum dicit, non ubique Doricam linguam adhibitam esse vult, ut putat Iacobsius, sed chori usum restauratum significat. Quae autem sequuntur, πρὸς τ' αὐδὴν ἐλκόμενος μεγάλην, proxime

coniungenda sunt cum sequentibus, mutata constructione eo modo, quem ad Sophoclis Electram v. 480. illustravit Brunckius. *Θύρσων* praeclara est Iacobsii emendatio, sed, quod idem volebat reponi, *κτύπος*, eo non opus est. Colligimus ex illo epigrammate, veterem tragoediae formam a Sositheo instauratam esse, quae instauratio sive aliquem habuit successum, sive in ipso conatu constitit, eam certe vim habet, ut Lytiersam Sosithei ad veterum satyrorum morem expressum esse merito suspicari nobis videamur. Sed quid multa? Ipsa Lytiersae fragmenta adeo nos dubitare non sinunt, quin illud carmen e tragico genere satyrorum fuerit, ut, qui sermonem tragicorum cognitum habeat, fateri cogatur, multo magis tragicum in his Sosithei versibus, quam in Cyclope Euripidis, sermonem inveniri. Sed antequam ad ipsa illa fragmenta aggrediar, gratum me tibi facturum arbitror, Becki, si ea attulero, quae de Lytiersa leguntur in Photii lexico MS. *Λιτυέρσαν* ᾠδὴν τινα, ἣν ᾄδουσιν οἱ θερίζοντες ὡς ἐπίσημόν τινα γεγονόςτα τῶν παλαιῶν τὸν *Λιτυέρσαν* ἀνακαλούμενοι. ἣν δὲ οὗτος μὲν δανός (scripsit *Μίδου* υἱός) νόθος. οἰκῶν δὲ ἐν *Κελαιναῖς* τῆς *Φρυγίας* τοὺς παριόντας ἠνάγκασεν (scribi debet ἠνάγκαζεν, ut infra) σὺν αὐτῷ θερίζειν. *Εἶτα* ἀποκόπτων τὰς κεφαλὰς τῶ δρεπάνῳ τὸ λοιπὸν σῶμα τοῖς δράγμασιν ἐνειλῶν ἤδεν. *Ἀνηρέθη* δὲ ὑπὸ *Ἡρακλέους*. ἡ δὲ ᾠδὴ βάρβαρος. *Φρύγες* γὰρ αὐτὴν ἤδον. *Λιτυέρσης* εἶδος ᾠδῆς. *Μένανδρος Χαλκηδονίῳ*.

ᾄδοντα Λιτυέρσῃν ἐπ' ἀρίστου τέας.

οἱ δὲ ἀγλήσεως γένος. *Μήδου* δὲ ἦν ὁ *Λιτυέρσης* νόθου υἱός. κατοικῶν δὲ ἐν *Κελαιναῖς* τοὺς παριόντας ὑποδεχόμενος ἠνάγκαζεν μετ' αὐτοῦ θερίζειν. *εἶτα* ἀποκόπτων τὰς κεφαλὰς τὸ ἄλλο σῶμα συνείλει ἐν τοῖς δράγμασιν. *Ἀπέθανε* δὲ ὑπὸ *Ἡρακλέους*. εἰς τιμὴν δὲ τοῦ *Μήδου* θεριστικός ὕμνος ἐπ' αὐτῷ συνετέθη.

Iam ipsum Lytiersae prologum sic afferam, ut eum scribendum existimo.

*Ἄιδ' αἱ Κελαιναί, πατρίς, ἀρχαία πόλις,
Μίδου γέροντος, ὅστις ὡτ' ἔχων ὄνου*

- ἦνασσα, καὶ νοῦν φωτὸς εὐήθους ἄγαν.
 οὗτος δ' ἐκείνου παῖς, πατρὶ πλαστός νόθος,
 5 μητρὸς δ' ὅποιας ἡ τεκοῦς ἐπίσταται,
 ἔσθαι μὲν ἄρτου τρεῖς ὄνους κανθηλίους
 τρεῖς τῆς βραχείας ἡμέρας, πίνει δ' ἅμα
 καλῶν μετρήτην τὸν δεκάμφορον πίθον.
 ἐργάζεται δ' ἐλαφρὰ πρὸς τὰ σιτία,
 10 ὄγμους θερίζων· τῇ μιᾷ δ' ἐν ἡμέρᾳ
 Διόνυσον ὄμπνη συντίθησιν εἰς τέλος.
 χῶταν τις ἔλθῃ ξείνος ἢ παρεξίη,
 φαγεῖν τ' ἔδωκεν, εἶτα κάπεχόρτασεν,
 καὶ τοῦ ποτοῦ προὔτεινεν, ὡς ἂν ἐν θέρει,
 15 πλέον· φθονεῖν γὰρ τοῖς θανουμένοις ὀνεῖ.
 ἐπισκοπῶν δὲ πεδία Μαιάνδρου ῥοαῖς
 κηπευμάτων ἀρδευτὰ δαψιλεῖ ποτῶ,
 τὸν ἀνδρομήκῃ πυρὸν ἠκονημένη
 ἄρπῃ θερίζει· τὸν ξένον δὲ δράγματι
 20 αὐτῷ κυλίσας, κρατὸς ὄρφανὸν φέρει,
 γελῶν θεριστὴν ὡς ἄνονν ἠρίστισεν.

In huius fragmenti emendatione Eichstaedtius ut caeteris audacior, ita etiam aliquanto infelicior fuit. Ac primum quidem quum recte intellexisset, prologi partem esse hos versus, non debebat eos, mea quidem sententia, a principio prologi, quod intercidisse putat, remove. Nam quod ait, οὗτος v. 4. a spectatoribus non potuisse intelligi, nisi quid antea de Lytiersa interrogasset, minime verum est. Quippe hic vel adstare in scena poterat, ita ut ab eo qui prologum ageret ostenderetur spectatoribus, vel, quod magis credibile est, vino somnoque oppressus conspiciebatur. Nam οὗτος non poterat nisi de praesente dici. Quo minus opus est, ut aliquam interrogationem excidisse censeamus: quae etiam si adesset, non potuisset οὗτος, nisi praesente Lytiersa, responderi. At vero illa loci demonstratio, qua hoc fragmentum incipit, adeo propria est principiis prologorum, ut, qui vel Sophocleae Electrae meminerit, dubitare vix possit, quin ipsum hic ante oculos habeamus Lytiersae exordium. Ac quod v. 5. Eichstaedtius aliquem interrogare facit μητρὸς δ' ὅποιας; multo magis miror, eum

adeo exiguam non modo venustatis, verum etiam Graecae linguae curam habuisse. Nam quis interroget id, quod interrogare nihil attinet? aut quis *μητρός δ' ὁποίας* dicat, quod Graeci homines *μητρός δὲ ποίας* dicebant? Immo omnis versus eiusdem verba continet, qui reliqua narrat. Hic quum matris Lyttersae nomen ignoraret, apte, ut in satyrico carmine, eam rem ad risum traduxit:

V. 4. equidem non intelligo, quo pacto *περίπλαστος* aut *παράπλαστος* possit spurium significare. Quamobrem scribendum existimavi *πατρὶ πλαστὸς νόθος*. Manifesta in his imitatio Sophoclis est: emendatio autem facilitatem habet summam, quandoquidem *πατρὶ* in codd. MSS. per *πρι* lineola supra scripta indicari constat. Neque enim *νόθος* expulerim. Non idem est, *ἐκείνου παῖς νόθος, πλαστὸς πατρὶ*, quod ad numeros quidem elegantius foret, et *ἐκείνου παῖς, πατρὶ πλαστὸς νόθος*. Nam in his, *ἐκείνου παῖς νόθος, πλαστὸς πατρὶ*, *νόθος* adiectivum est, ut inutilia sint quae sequuntur: in his autem, *ἐκείνου παῖς, πατρὶ πλαστὸς νόθος*, *νόθος* substantivum est, et significat omnino spurium, a quo diversum est, quod additur adiectivi loco, *πατρὶ πλαστός*, i. e. huic Lyttersae suppositus.

V. 6. in Arnaldi coniectura acquiescendum puto. Nam Eichstaedtii correctio, *ἄρτους τρεῖς ὄνου κανδηλίου*, non modo vehementer ambigua est, quum non appareat, utrum tres panes an singuli dicantur onus esse asini clitellarii, sed etiam ineptam panum istorum magnitudinem indicat, quoniam; si ita parvi sunt, ut clitellis imponi possint, plures poterunt quam tres imponi; sin autem paullo maiores sunt, non possunt omnino imponi clitellis. Quid ergo asini clitellarii mentio fit? Quamobrem multo commodior Arnaldi correctio est, onus tantum, non magnitudinem panum indicans.

V. 10. *θερίζει* in *θερίζων* mutavi. *Ὄγμους* autem *θερίζειν* quum dici non posse videbatur Eichstaedtio, quia Valckenarius ad decem idyllia Theocriti p. 150. dubitet an *ὄγμος* simpliciter segetem significare nequeat, non observavit diversam esse Theocritei loci rationem, in quo Musgravius non de ordine aristarum, sed de laeta segete

omnino ὄγμον dici putabat. Verum ὄγμος uti proprie sulcum significat, ita deinde usurpatur etiam de segete, plantis, arboribus ordine, quasi in sulco, satis: id quod idonea locorum multitudine demonstrarunt H. Stephanus in indice Thesauri, et interpretes Hesychii. Inde ὄγμον ἄγειν apud Homerum Iliad. XI. 68. Photius in lexico MS. ὄγμος, ἡ κατὰ στίχον ἔφοδος τῶν θεριστῶν, καὶ ὄγμοι σταχύων. Itaque ὄγμους θερίζειν non est segetem demetere, sed sulcorum ordinem sequi metendo. Similis est celebratus plurimorum scriptorum commemoratione Aeschyli locus in Septem contra Thebas:

*βαθειᾶν ἄλοκα διὰ φρενῶν καρπούμενος,
ἀφ' ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.*

Quae sequuntur, in iis non attinet temerarias doctorum virorum coniecturas refellere, ubi multo lenior medicina eas reddit superfluas. Eius lectionis, quam supra posui, sensus et aptissimus et facillimus est. Sunt etiam dies, inquit, quibus ille Bacchum cibo a mane usque ad vesperam coniungit. Hesychius: ὄμπνη, τροφή.

V. 13. quae viri docti coniecerunt, partim longius a codicis lectione recedunt, partim ab elegantia dictionis haud sane magnam habent commendationem. Nostra emendatio et mutationem exigebat levissimam, et ad sensum est accommodatissima. Cibus, inquit, apponere solet: mox etiam saginat. Nec mirum videri debet τὲ sequente εἶτα. Non enim nimis in harum usu particularum diligentes sunt Graeci, sed haud raro aliam particulam, quae quidem ad sensum eandem vim habeat, uni illarum substituunt. Ita Sophocles in Oedipo Rege v. 367.

*πρὶν μὲν γὰρ αὐτοῖς ἦν ἔρωσ, Κρέοντι τὲ
θρόνου εἶσθαι, μηδὲ χραίνεσθαι πόλιν.*

V. 16. et seqq. mira quum aliorum, tum maxime Eichstaedtii audacia nescio an corrupti magis, quam emendati fuerint. Quam ego supra posui lectionem, ea eiusmodi est, ut conatibus illis omnibus minime indigeamus, nec quidquam sit, quod aut obscurum aut ambiguum videri queat. Campos, inquit, invisens, a Maeandri fluentis largo rigatos

frugum potu. *Κηπεύματα* vocabulum est saepius ab antiquis scriptoribus adhibitum. Pollux IV. 140. iungit *κηπούς* et *κηπεύματα*. Idem I. 222. *φυτεύματα*, *μοσχεύματα*, *κηπεύματα*. Vnde Munthius in specimine defectus lexicorum non male coniicit, *κηπεύματα* etiam fructus hortenses significare. De hortis adhibuerunt Diodorus Sic. III. 44. et Athenaeus p. 682. D. Incertum utrum de hortis an de frugibus, Aristophanes in Avibus v. 1099.

ἤρινά τε βοσκόμεθα
παρθένια λευκότροφα
μύρτα Χαρί-
των τε κηπεύματα.

Et Diodorus Sic. II. 37. *χωρίς δὲ τούτων ἄλλο πλῆθος ποταμῶν παντοδαπῶν διαρρέει, καὶ ποιεῖ κατάρρυτον πολλοῖς κηπεύμασι καὶ καρποῖς παντοδαποῖς τὴν χώραν*. Hic quidem fruges commode intelligentur. Ac verbum *κηπεύειν* maxime de frugibus humore nutriendis usurpatur: v. Valcken. ad Eurip. Hippol. p. 173. b. Lectio *καρπευμάτων* inde nata videtur, quod quis explicationis caussa *καρπῶν* adscripserat. Reliquorum verborum facillima est explicatio. Neque enim quemquam ita invenustum fore arbitror, ut *πυρὸν ἀνδρομήκη* de hospite intelligat, cuius interpretationis ne mentionem quidem facerem, nisi fuisset cui ea in mentem veniret.

In altero fragmento (nam verba *ὅτι δὲ ἀπέθανεν ὑφ' Ἡρακλέους φησι λέγων* manifestoscholiae sunt) equidem non possum satis mirari, qui sibi interpretes in animum inducere potuerint, litteras *πυθιο* partem esse vocabuli *πυθιονίης*. Namque, ut de metro taceam, quid tandem caussae sit, quare hoc in loco Hercules *πυθιονίης* dicatur? aut quis adeo sagax sit, ut, si quem nominari Pythicum victorem audiat, eum Herculem potius, quam quemvis alium esse intelligat? Profecto huiusmodi commenta miram arguunt ingenii paupertatem. Si hic de urbe Pythone omnino cogitandum censebant interpretes, quidni ὁ *πυθόχορηστος* reponere in mentem venit? Poterat certe a Pythico oraculo Hercules Lytiersae occisor praedictus esse, ut fa-

cile, ubi *πυθόχρηστος* vocaretur, Herculem agnoscere aliquis posset. Verum nec constat de eiusmodi oraculo quidquam, nec veri similis emendatio foret. Immo ita videtur scripsisse Sositheus:

A. *θανῶν μὲν εἰς Μαίανδρον ἐρρίφη ποδός,
ὥσπερ σόλος τις. ἦν δ' ὁ δισκεύσας ἀνήρ —*

B. *τίς δὴ; A. πύθοι' ἄν. τίς γὰρ ἀνθ' Ἡρακλέους;*

Dalecampii correctionem, *σόλος τις ὥσπερ*, quod ad verba ipsa attinet, verissimam arbitror, sed debebant recentiores critici ordinem verborum mutare. Quis enim credat, duriorum collocationem placuisse Sositheo, ubi lenior in promptu esset? Ac *δίσκος*, quod post *ὥσπερ* legitur in codice, quum sit interpretatio nominis *σόλος*, aperte huius veram sedem indicat.

DE FRAGMENTO CLYTAEMNESTRAE
SOPHOCLIS IN DVOBVS CODD.
REPERTO. *)

In Beckii Commentariis Societatis philologicae vol. III. P. I. p. 94.

Edidit nuper Chr. Aug. Lobeck., A. M., Vitebergae duas dissertationes hoc indice: *dū veterum adspectu corporum examinium non prohibiti*. In earum dissertationum secunda haec scripta sunt in ultima pagina: *ab hac enim origine horrendas illas Pelopidarum calamitates profluxisse con-*

*) Miserat Lipsiam Chr. Frider. de Matthaei brevem relationem de illo fragmento, quae diariis litterariis insereretur. Ea quum cum communicata esset, obstiti ne imprimeretur, priusquam admonitus esset de errore suo Matthaei: nolebam enim risui doctorum exponi virum optimum. Itaque ei scripsi, videri eum ludere velle eos, qui nescirent Sophoclem a scriptore minimum mille et quingentis annis recentiore distinguere. Verum ex iis, quae respondit, cognovi serio eum credere istos versiculos ab Sophocle esse scriptos, id quod postea comprobavit edito isto fragmento. Ergo ubi dimoveri eum ab ista sententia nolle animadverti, hanc dissertatiunculam non apposito nomine meo Commentariis Societatis philologicae inserendam misi, ut vel ex tribus illis versibus, quid exspectandum esset cognosceretur, riderentque viri docti Sophoclem istum et Aristotele posteriorem et cuius imperitissimo doctrina parem. Lobeckius quidem quum quae eo loco, quem apposui, scripsit, viro sibi amico gratum fecit. Nam vel tum temporis plus ille in his litteris profecerat, quam ut crederet, quod non credere si falsus esset, debitam bono, sed periracundo seni reverentiam laessisset.

stanter poetae tragici tradiderunt, tum alii, tum inprimis Sophocles in Clytaemnestra, inedita adhuc tragoedia, cuius tricentos versus Matthaei, Musarum ille sospitator Illustrissimus, quae est summa eius liberalitas, mecum communicatus est. Prologum agit Tisiphone, et inter varias illas causas etiam hanc commemorat :

ἀφ' οὗ γ' ἐκείνος δυστυχέστατος γέρων
ἤψησ' ἑαυτοῦ παιδας θεοὺς λαβὼν ξένους,
καὶ δῶκεν αὐτοῖς παιδίου φαγεῖν μάλῃ.

Sperare etiam vir incomparabilis me iussit, brevi illud elegantissimi poetae fragmentum ex tenebris proditurum esse. Quo avidius expectent hanc editionem Graecarum litterarum amantes, brevem hic eius notitiam dabimus. Nobis enim illud innotuit e cod. bibliothecae Augustanae, qui est in catalogo Reiseri p. 79. n. 9., in quo complectitur quinque folia et dimidiatam paginam. Ibi versus, quos Lobecius attulit, non procul ab initio leguntur. In his ἤψησ' ἑαυτοῦ et καὶ δῶκεν facile quis imperitia librarii pro ἤψησεν αὐτοῦ et κἄδωκεν scripta censeat. Gravior quaestio est, cur δυστυχέστατος potius quam δυσσεβέστατος dicatur Tantalus. Scilicet Sophocles, bene gnarus δυστυχίαν in tragoedia ab Aristotele requiri, maiorem putavit facinoris atrocitatem esse, si id quod illo scelere esset effectum, quam si ipsum scelus nominaret. Aliter etiam εὐτυχέστατος dicere poterat: felix enim erat Tantalus, cuius filium, quamvis mactatum et elixum, dii in vitam revocassent. Mox γέρων quoque habet, in quo quis haereat. Quippe aut hoc voluit Sophocles indicare, illa tempestate homines robustiores fuisse, ut etiam proveciores aetate liberis procreandis operam dare possent: puer enim Pelops erat, nec repente consenuit Tantalus: aut, quod probabilius est, Homeri more γέρων dicitur vir primarius, qui bibit γερούσιον οἶνον. Ac notum est, multa ex Homero furatum esse Sophoclem. Docta mox sequitur et addenda lexicis locutio θεοὺς λαβὼν ξένους, quod monemus, ne quis forte λαχὼν pro λαβὼν scribendum putet. In ultimo versu quod vocabulum occurrit, παιδίον, id familiaris vitae esse putabamus, nec di-

gnum quo uterentur tragici. Ter illud quidem in fragmentis Euripidis legitur, in Melanippae fragm. XXI. et XXIII. et in Phaethontis fragm. VI. Sed de his quid statuendum esset, etiam tacens sapientem sat monuit eruditissimus Valckenarius in diatriba de fragm. Eur. p. 183. Nimirum, si nunc viveret, aliter emendaret istum Euripidis locum. Itaque critici in posterum, si quando *παῖς* iusto brevior ad metrum erit, puerum poterunt, etiam antequam adoleverit, proceriorem facere. Nisi falcem in alienas messes immittere iniquum duceremus, alios quosdam versus ex illo fragmento apponeremus. Nunc vero hoc tantum addere visum est, finiri fragmentum carmine chori. In eo, ut in aliis quibusdam locis, plurima sunt, quae egregie confirment doctrinam metricam Ahlwardtii.

COMMENTATIO DE VERBIS, QVIBVS GRAECI IN-
CESSVM EQVORVM INDICANT, AD XENOPHON-
TEM DE RE EQVESTRI CAP. VII.

Xenophontem artis equitandi peritissimum fuisse, unusquisque, qui eius artis non est ignarus, fateatur necesse est. Atque in eo libro, quem ille de re equestri scripsit, quum plurima continentur, quae apud omnes gentes atque omni tempore a praestantissimis artis magistris probata et commendata sunt, tum quaedam insunt singularia, quae quis merito miretur nunc fere negligi solere. Vt illud, quod equum a calone non frenis, sed eo loro, quod *ὄτραγωγὸς* Graece vocatur, duci vult, ne os equi laedatur. Alia vero, neque pauca occurrunt, quae quum male intellecta essent, nunc Xenophonti reprehensionem pepererunt, nunc ita sunt cum artis praeceptis conciliata, ut longe alia, quam fuit, mens fuisse scriptori existimetur. Omnino enim omnium Xenophontis librorum hic est difficillimus, partim interpretum vitio, partim ob rei ipsius obscuritatem. Atque interpretum quidem plerique aut rei equestris, aut Graeci sermonis omninoque antiquitatis rudes fuerunt: in rebus autem, quas tractat Xenophon, hoc maximam habet difficultatem, quod multorum nominum significationem divinare tantum licet, in qua re hoc facilius est falli, quod grammatici veteres, in primis Pollux, ita rerum ad equitationem pertinentium imperiti fuerunt, ut saepe contraria eorum quae debebant attulerint. Documenti caussa duos afferam locos e capite VII. libri Xenophontei, quorum prior quum sit facillimus, non videtur tamen plane intellectus ab interpretibus fuisse,

alter autem, qui est multo obscurior, etiam emendatione indiget. Igitur quomodo conscendendus sit equus, his verbis docet Xenophon: *πρῶτον μὲν τοίνυν τὸν ῥυταγωγέα χρῆ ἐκ τῆς ὑποχαλινιδίας ἢ ἐκ τοῦ ψαλίου ἡρητημένον εὐ-
 τρεπῆ εἰς τὴν ἀριστερὰν χεῖρα λαβεῖν, καὶ οὕτω χαλαρόν,
 ὡς μὴτ' ἂν ἀνιμῶν τῶν τριχῶν παρὰ τὰ ὦτα λαβόμενος
 μέλλη ἀναβῆσθαι, μῆτε ἂν ἀπὸ δόρατος ἀναπηδᾷ,
 σπᾶν τὸν ἵππον· τῇ δεξιᾷ δὲ τὰς ἡνίας παρὰ τὴν ἀκρω-
 μίαν λαμβανέτω ὁμοῦ τῇ χεῖρτι, ὅπως μὴδὲ καθ' ἓνα τρό-
 πον ἀναβαίνων σπᾶσῃ τῷ χαλινῷ τὸ στόμα τοῦ ἵππου.
 ἐπειδὴν δὲ ἀνακουφίσῃ ἑαυτὸν εἰς τὴν ἀνάβασιν, τῇ μὲν
 ἀριστερᾷ ἀνιμάτω τὸ σῶμα, τὴν δὲ δεξιὰν ἐκτείων συν-
 πειρέτω ἑαυτὸν· οὕτω γὰρ ἀναβαίνων οὐδὲ ὀπισθεν
 αἰσχροὺς θείαν παρέξει· συγκακαμμένῳ δὲ τῷ σκέλει, καὶ
 μὴδὲ (ita, non μῆτε, scribendum) τὸ γόνυ ἐπὶ τὴν ῥάχιν
 τοῦ ἵππου τιθέτω, ἀλλ' ὑπερβησάτω ἐπὶ τὰς δεξιάς πλευ-
 ρὰς τὴν κνήμην. ὅταν δὲ περιενέγκῃ τὸν πόδα, τότε καὶ
 τὸ γλόυτω καθέτω ἐπὶ τὸν ἵππον.* Tam haec sunt facilia,
 ut vix possit intelligi, quid Heubelio, rei equestris magistro,
 qui Xenophontis librum Germanice vertit, adeo obscurum
 fuerit in hastae usu ad conscendendum equum, ut de nexu
 lori in hasta cogitaret, in quem pede immisso equum conscendissent veteres. Cuiusmodi lorum si quibus in hastarum imaginibus conspicitur, non pedi, sed manui immittendae, quo firmiter et teneri hasta posset et retrahi, inserviebat. Namque ad equum conscendendum si tali adiumento usi essent, ea nec satis expedita ratio fuisset, praesertim in bello; neque expers periculi in equo animoso aut ferociente. Xenophon quae de conscendendo equo praecipit, haec sunt. Posse equum duobus modis conscendi, aut sine hasta, aut hastae auxilio. Sed sive hoc, sive alterum placeat, lorum ductorium sinistra manu, habenas dextra tenendas esse. Quod si quis sine hasta equum conscendat, sinistra manu iubam propter aures equi prehendi debere; sin cum hasta, hastam. Dextrae manus in utroque genere idem esse officium, ut extremam iubam ad summos armos una cum habenis teneat. Deinde librato pedum digitis corpore, (id est ἀνακουφίσαι ἑαυτὸν εἰς τὴν ἀνάβασιν) sinistrae

manus sive iuba implicatae, sive hasta nitentis auxilio subsiliri, simulque extenso dextro brachio corpus sustineri, atque ita dextrum pedem in dextrum latus equi traici oportere. Haec ratio, quae ab nostra consuetudine multum diversa est, etsi habet quae possint reprehendi, docte tamen et perite inventa est. Ac primum quod sinistra manu iubam propter aures prehendi vult Xenophon, id tale est, ut ad subsiliendum in equum magno sit adiumento. Nam quo altius suspensa est sinistra manus, eo facilius enitur eques. Itaque etiam apud nos certe in medio equi collo iuba prehendi solet ab iis, qui in equum insiliunt. Sed si iuxta aures, ut Xenophon praecipit, necessario habenae dextra manu tenendae sunt, quia, si sinistra, ut nos solemus, tenerentur, aut laxae nimiam libertatem equo concederent, aut adstrictiores non possent equo inquieto satis et celeriter remitti, et simul firmiter adduci, quippe multo breviores, quam ut manus equitis in eo, in quo debet loco, collocari posset. Quod si sinistra manu non poterant habenae teneri, dextra debebant: sed si dextra, non conveniebat eam dorso imponi, ut nos solemus, sed extremitati armorum, ut iuba simul comprehendi posset. Nam si iubae non est implicata manus, equo ferociente excuti potest, quo facto equi os frenis percuti necesse est. Multo minus, si quis hasta enitens equum conscendat, sinistra manu, quae hastam tenet, habenas poterit prehendere, nisi et regimen omne equi omittere, et oris laedendi periculum subire volet.

Alter locus, de quo dicere constitui, pertinet ad varios equi incessus. Ibi primo haec leguntur: *ὅταν δὲ προχωρεῖν σημήνη τῷ ἵππῳ, βάδην μὲν ἀρχέσθω· τοῦτο γὰρ ἀταρακτότατον.* Mox addit haec: *μετὰ δὲ ταῦτα τὸν αὐτοφῆ διατροχάζων, διαχαλῶν τ' ἂν ἀλυπότατα τὸ σῶμα, καὶ εἰς τὸ ἐπιραβδοφορεῖν ἤδιστ' ἂν ἀφικνοῖτο. ἐπειδὴ περὶ καὶ ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν ἀρχεσθαι εὐδοκιμώτερον, ὧδ' ἂν μάλιστα ἀπὸ τούτων ἀρχοιτο, εἰ διατροχάζοντος μὲν ὁπότε ἀναβαῖνοι τῷ δεξιῷ, τότε σημαῖνοι τῷ ἵππῳ τὸ ἐπιραβδοφορεῖν. τὸ γὰρ ἀριστερὸν μέλλον αἶρειν, ἐκ τούτου ἂν ἀρχοιτο· καὶ ὁπότε ἐπὶ*

HERM. OP. I.

E

τὰ εὐώνυμα ἀναστρέφοι, τότε καὶ τῆς ἐπικλίσεως ἂν ἄρ-
χοιτο. καὶ γὰρ πέφυκεν ὁ ἵππος, εἰς μὲν τὰ δεξιὰ στρε-
φόμενος, τοῖς δεξιοῖς ἀφηγεῖσθαι, εἰς εὐώνυμα δέ, τοῖς
ἀριστεροῖς. Camerarius caute hunc locum vertit, ut magis
ambiguitate reprehensionem evitasse, quam perspicui-
tate sensum declarasse videatur. Heubelius, quem ut artis
equestris magistrum aliquid lucis afferre par erat, vereor
ne locum etiam obscuraverit. Is ita vertit: *Soll das
pferd vorwärts, so treibe man es sanft an, denn dieses
macht es unerschrocken. — Wenn es nachher in sei-
nem natürlichen gang ist, so wird es seinen körper
leicht zusammen nehmen und zum laufen fähig ma-
chen, und man wird es nur mit einer ruthe anzutrei-
ben nöthig haben. Da man es für schön hält, dass
das pferd mit der linken seite zu laufen anfängt, so
muss man ihm, damit es dieses gern thue, nur die ru-
the zeigen, wenn es mit dem rechten fuss auszuschrei-
ten sich anschicket. Will es den linken fuss aufheben,
so lasse man es mit ihm zu schreiten anfangen, und wie
es sich links kehret, so oft lasse man es auch sich zu
wenden anfangen. Denn das pferd pflegt sich natür-
lich nach der rechten seite zu bewegen, wenn es sich
nach rechts hinkehret, und links, wenn es sich links
wendet.* Vix credibile est, hominem rei equestri dedi-
tum tam ineptas sententias a peritissimo equite profectas
credidisse. Videamus singula. Est enim hic locus pro-
pterea in primis notabilis, quod nomina diversorum equi
incessuum continet. Igitur primo, ubi procedendi signum
datum sit equo, simplici passu incedendum esse dicit Xe-
nophon. Id genus nostri *schrift* vocant, Graeci βάδην.
Eaque consuetudo incipiendi curriculi etiam apud nos in
scholis equestribus servatur, atque ob eandem causam,
quam a Xenophonte clare expressam non intellexit Heu-
belius, ne equus, statim ab initio ad celeriores cursum in-
citatus, ferociorem se praebeat. Solent enim equi, nisi
plane ignavi, si ab initio concitatius ingredi cogantur, in-
quieti et ad lasciviam prони esse: quod contra, si satis
tranquille initium fiat, etiam ferocissimi facile obediunt.

De qua re erudite disseruit Xenophon IX. 3. 4. Passum et apud nos et secundum Xenophontem excipit illud genus, quod pedibus decussatim tollendis continetur. Id nostri *trab* vocant, Graeci *διατροχάζειν*, vel *τὸν αὐτοφνῆ διατροχάζειν*. Id quod satis clare e Xenophontis verbis intelligitur. Est enim huius generis vere haec duplex virtus, quam commemorat Xenophon, ut et mobilia reddat equi membra, et aptissimum sit, unde equus ad gradum tolutilem incitetur. Sequitur ergo secundum hoc genus et nostra et Graecorum consuetudine gradus tolutilis, quem nostri dicunt *galop*, Graeci *ἐπιραβδοφορεῖν*, id quod e Xenophontis loco tam est apertum, ut mirum sit, de propria verbi significatione cogitasse interpretes. Nam etsi a virgae incitatione ductum est nomen, non tamen percussio eo nomine indicatur, sed genus ingrediendi, ad quod equus virga impellebatur. Eodem modo etiam apud Pollucem I. 220. *ἐπιραβδοφορεῖν* dicitur. Eius verba haec sunt: *τὸ δὲ ἐπιραβδοφορεῖν τὸν ἵππον, ὅπερ γίνεται, εἴ τις εἰς δρόμον ἐξελαύνει, οὐ πάνυ ἐπαινοῦσιν οἱ ἵππικοί.* Scilicet homo rei equestris imperitus obscure loquutus est, nec satis intellexit quare hoc reprehenderetur. Citatus cursus fit tolutum: inde *ἐπιραβδοφορεῖν τὸν ἵππον* (id est, ut nos dicimus *das pferd galopiren*) necessarium est ad effusum cursum. Quod si solutum ire non nimis laudant artis periti, caussa haec est, quod nimia huius generis frequentatione pedes equi anteriores laeduntur. Sed accedimus ad eam, quae maxima est in Xenophontis loco obscuritas. Rationem enim explicaturus, qua ad gradum tolutilem incitetur equus, ita perplexe loqui visus est interpretibus, ut mentem eius vix intelligi posse faterentur. Ac primum illud, *ἀπὸ τῶν εὐωνύμων ἀρχεσθὰι εὐδοκιμώτερον*, Heubelius, nostram scilicet consuetudinem, qua prius dextra quam sinistra tolutum itur, veteribus probatam ratus, de sinistro pede intellexit. Nam equus dextra tolutum incedens primum sinistram pedem posteriorem, inde dextrum simul posteriorem atque sinistram anteriorem, postremo dextrum anteriorem tollit. Recte vero Cameraarius in hippocomico p. 61. vidit, laudatissimum perhiberi

a Xenophonte, si initium fiat equo in laevam circumagendo. Id vero est sinistra tolutum ire, in quo genere contraria est pedum tollendorum ratio, ut ab dextro pede posteriore initium fiat, et postremus tollatur sinister anterior. Hanc explicationem veram esse, et ipsa rei ratio, et veterum monumenta docent. Apud nos enim, quorum omnis ars equestris a bellico usu originem et leges accepit, nihil mirum est, si magis in dextram quam in laevam circumagi equos docemus, quia dextri gyri frequentior et magis necessarius usus erat in dimicationibus, quae hasta et gladio committebantur. Eamdem rationem Graeci quoque tenuissent, nisi apud hos prior fuisset curulis exercitatio. Nam in curulibus certaminibus laevo gyro solebant metam ambire. Apud Homerum Iliad. XXIII. 334. ita Nestor filio praecipit:

τῷ σὺ μάλ' ἐγχρίμψας ἐλάαν σχεδὸν ἄρμα καὶ
ἵππους,

αὐτὸς δὲ κλινθῆναι εὐπλέκτῳ ἐνὶ δίφρῳ
ἦν' ἐπ' ἀριστερά τοῖν· ἀτὰρ τὸν δεξιὸν ἵππον
κένσαι ὁμοκλήσας, εἷξαι τέ οἱ ἦνία χερσίν.
ἐν νύσῃ δέ τοι ἵππος ἀριστερὸς ἐγχριμψθήτω,
ὡς ἂν τοι πλήμνῃ γε δοάσσειται ἄκρον ἰκέσθαι
κύκλου ποιητοῖο· λίθου δ' ἀλέασθαι ἐπανρεῖν,
μήπως ἵππους τε τρώσῃς, κάτα θ' ἄρματα ἄξις.

Sophocles in Electra v. 722.

κεῖνος δ' ὑπ' αὐτὴν ἐσχάτην στήλην ἔχων
ἔχριμπτ' αἰεὶ σύριγγα, δεξιὸν τ' ἀνεῖς
σειραῖον ἵππον, εἶργε τὸν προσκείμενον.

Et v. 745.

ἔπειτα λύων ἦνιαν ἀριστερὰν
κάμπτοντος ἵππου, λανθάνει στήλην ἄκρον
παίσας· ἔθραυσε δ' ἄξονος μέσας χρούας,
καὶ ἀντύγων ὄλισθε.

Nam in flexu sinistra habena adduci debet, quo sinister equus retineatur, dextra autem laxari, quo dexter equus, cui maius percurrendum est spatium, effusius currere possit. Itaque curari solebat, ut ad dextram equus qui fortior esset iungeretur: omninoque, si trinis equis cer-

taretur, funalis dextrum latus tenebat. Hinc Aeschylus *σειραφόρον κριθῶντα πῶλον* dixit, quum fortem et validum vellet indicare, et Sophocles Martem vocavit *δεξιόσειρον*, ut impetuosum, dextri equi more, significaret. Non est autem consuetudo illa equos in curulibus certaminibus in laevam flectendi temere orta. Nam equi nulla arte et disciplina eruditi natura fere solent totum sinistra ire, quia sic in utero gestantur, ut dextro armo magis coarctato liberior sit sinister. Quare in sinistrum magis incumbunt. Id igitur quum animadvertissent Graeci, cursum videntur sic instituisse, ut equos id, quod natura monstraret, sequi paterentur. Nam si ab dextra parte metam ambire voluissent, verendum erat, ne equi, quos e curru difficile est ita regere, ut contra naturam dextra totum eant, in flexione aut laberentur, si sinistra totum irent, aut, si, quod equi omnes natura duce in brevi flexu faciunt, repente mutata pedum glomeratione, dextra ire inciperent, non modo turbaretur cursus, sed cursus etiam succussu, quem inde oriri necesse esset, everteretur. Itaque sinistro flexu per certamina curulia nobilitato, mansit haec consuetudo etiam postea, quum equitandi ars coli coepisset, ut ab sinistro cursu fieret initium. Sed redeamus ad Xenophontem, qui quum servato hoc more, quomodo sinistra totum iri debeat ostendere vult, ita loquitur: *ἐπειδὴ περ καὶ ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν ἄρχεσθαι εὐδοκιμώτερον, ὧδ' ἂν μάλιστα ἀπὸ τούτων ἄρχοιτο, εἰ, διατροχάζοντος μὲν ὁπότε ἀναβαίνοι τῷ δεξιῷ, τότε σημαίνοι τῷ ἵππῳ τὸ ἐπιραβδοφορεῖν*. Interpretes fere putant hoc dicere Xenophontem, si equus, quum debeat sinistra totum incedere, dextra velit, virga coerendum esse. Atqui si *ἐπιραβδοφορεῖν* est totum ire, falsa est ista explicatio, ut taceam, tam ineptum esse tale praeceptum, ut errorem equi non corrigat, sed augeat. Heubellii autem interpretatio se ipsa refellit, in qua quum alia sunt perversa, tum hoc maxime, quod *ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν ἄρχεσθαι* et *τῷ δεξιῷ διατροχάζειν* eandem rem esse putat. Sed etiam si quis meliora afferre possit, habebit tamen hic locus, in quo quis haereat. Nam quum

docere velit Xenophon, quomodo equus sinistra tolutim agitandus sit, quid hoc est, quod tolutim incipiendum dicit, dum equus dextra decussatim incedat? Cur enim dextra, quod et naturae repugnat, et ipsius Xenophontis verbis? Addit enim, τὸ γὰρ ἀριστερόν μέλλων αἶρειν, ἐκ τούτου ἂν ἄρχοιτο: et mox, καὶ γὰρ πέφυκεν ὁ ἵππος εἰς μὲν τὰ δεξιὰ στρεφόμενος, τοῖς δεξιοῖς ἀφηγεῖσθαι, εἰς εὐώνυμα δὲ, τοῖς ἀριστεροῖς. Neque quod Heubelio dixisse videtur Xenophon, probabile est, equum esse paullum ad dextram flectendum, quo facilius et commodius sinistrorsum agi possit. Quae sententia neque in verbis Xenophontis inest, neque est periti equitis ¹⁾. Non est in verbis, quia, quod hic dicitur, equo dextra incedenti significandum esse gradum tolutilem sinistrum, non modo his verbis contrarium est, quae modo apposuimus, sed etiam, et multo magis, iis, quae eodem in loco leguntur, καὶ ὁπότε ἐπὶ τὰ εὐώνυμα ἀναστρέφοι, τότε καὶ τῆς ἐπικλίσεως ἂν ἄρχοιτο. Equitis autem imperiti tale praeceptum esse contendimus, quia dextra ire, ut deinde sinistrorsum acto equo tolutim incipias, inutile est, multoque operosius quam opus habeas, quia nulla tamen re, nisi flexu ad laevam, ut vere monuit Xenophon, tolutim ire impellitur equus. Quo minus dubitari posse arbitror, quin hic Xenophontis locus gravi vitio laboret. Ipsum enim Xenophontem tantae imperitiae accusare, quantam vix in homine vel aliqua equitandi exercitatione culto invenias, non modo iniquum, sed stultum videtur. Quare ita scripsisse Xenophontem existimo: ἐπεὶ περ δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν ἄρχεσθαι εὐδοκίμωτερον, ὧδ' ἂν μάλιστα ἀπὸ τούτων ἄρχοιτο, εἰ διατροχάζοντος μὲν, ὁπότε ἀναβαίνοι, τῷ ἀριστερῷ, τότε σημαίνοι τῷ ἵππῳ τὸ ἐπιραβδοφορεῖν. (τὸ γὰρ ἀριστερόν μέλλων αἶρειν, ἐκ τούτου ἂν ἄρχοιτο) καὶ ὁπότε ἐπὶ τὰ εὐώνυμα ἀναστρέφοι, τότε καὶ τῆς ἐπισκλίσεως ἄρχοιτο. In his primum,

1) Nisi quum sine flexu recta quis linea incedens gradum tolutilem incipit.

quum ἐπεὶ δὲ περ Aldina habeat, cuius lectionem male indicavit Zeunius, ἐπεὶ περ δὲ scribendum duxi, ut XII. 8. connectendae orationis causa; deinde τῷ ἀριστερῷ pro τῷ δεξιῷ; tum ἐπισκελίσεως ²⁾ e Polluce pro ἐπικλίσεως; denique, mutata interpunctione, delendum ἄν ante ultimum verbum. Atque ἄν ante ἄρχοιτο abesse in cod. Lips. notavit Sturzius, modo is indicasset, utrum hoc quod ego delevi, an illud quod praecedit, quando verba ἄν ἄρχοιτο bis in hoc loco leguntur. Xenophontis sententia haec est: quoniam laudatissimum habeatur, sinistra cursum incipere, velle se ostendere, quo pacto ad gradum tolutilem equus incitari sinistra debeat: id vero si quis sinistra didicerit, eodem modo dextra faciendum esse Xenophon intelligit, pariter ac nostri de dextra praecipunt, ut inde de sinistra concludi possit. Atque hic observari velim, alium videri apud Graecos equitationum ordinem fuisse, atque apud nos. Nos enim posteaquam dextra sinistraque vel etiam iterum dextra decussatim ire equum fecimus, pausa facta, tolutim dextra et sinistra, vel etiam ut iterum ad dextram perveniatur, incedimus. Graeci autem passu incipiebant sinistra, eademque manu deinde decussatim, denique tolutim ibant, tum eodem ordine dextra cursum instituebant ³⁾. Igitur Xenophon, quomodo tolutim iri

2) Scripseram ubique ἐπισκέλησις, ut est apud Pollucem. At et analogia et corrupta Xenophontis scriptura docent, scribendum esse ἐπισκέλισις, atque ita dederunt editores nonnulli.

3) Id mihi videbar colligere ex iis, quae hic praecipi a Xenophonte putabam. At eam interpretationem hodie non probo, ut mox ostendam. Quum ab laeva incipi decere dicit Xenophon, ambiguum est, utrum id ad solum gradum tolutilem, de quo hic loquitur, an ad omne genus incessus spectet. Si ad solum gradum tolutilem, dextra fortasse manu primum passu, deinde decussatim corrente equo processerunt; tum autem ad laevum gyrum conversi tolutim egerunt equum; sin omnis incessus ab laeva inceptus est, videntur prima duo genera primo laeva manu, deinde dextra peracta esse; inde autem eodem ordine tolutim.

debeat monstraturus, totum incipiendum dicit ab sinistra, et quidem equo sinistra decussatim incedente, quia sinistrum pedem anteriorem ad cursum totum proiecturus equus ab laevo flexu initium faciat; esse autem totum sic incipiendum, ut non modo sinistra incedens equus, sed in ipso ad laevam flexu ad gradum totum incitetur 4). Quod

4) Recepti scripturae mutationem, quam in hac dissertatione proposui, Fr. Jacobsius, Friderici f., in editione libri Xenophontei, sed ut coniungeret verba *ὁπότε ἀναβαίνοι τῷ ἀριστερῷ*, verteretque *sobald es den linken fuss aufhebt*. At id per significationem verbi *ἀναβαίνειν* fieri non potest, neque ego ita volueram, sed *ὁπότε ἀναβαίνοι* de equite intelligebam, qui equum conscendisset. Verum enimvero ne hoc quidem probari potest. Nam et *ἀναβαίη* potius dicendum fuisset, et tamen ne id quidem scriptum fuisse a Xenophonte credibile est, quia prorsus inutile est hoc additamentum. Accedunt autem tria alia, quae coniecturam meam labefaciant, unum quod audacior est et violentior illa verborum *τῷ δεξιῷ* in *τῷ ἀριστερῷ* commutatio; alterum quod *διατροχάζειν τῷ ἀριστερῷ* non videtur significare posse, sinistra manu, quod nos dicimus, incedere, i. e. sic ut ad flexum in laevam compositus sit equus; tertium, quod mox Xenophon non *στρέφοι*, sed *ἀναστρέφοι* dicit, quod non est convertere equum, sed rursus convertere, ideoque redire in gyrum aliquantisper relictum. Ex eo autem, quod secundo loco posui, consequitur, etiam *τῷ δεξιῷ διατροχάζειν* perperam dici, coniungere debere verba sic, ut fecit Jacobsius, modo vel explicentur aliter, vel emendantur. Atqui explicari quomodo possint, fateor me non intelligere: emendari vero posse existimo, et quidem ita, ut neque in verbis ulli sit reprehensioni locus, neque artis equestris periti inventuri sint, quod verius aptiusque dictum esse velint. Etenim sic est, nisi egregie fallor, scribendum: *ἐπέπειρο δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν ἀρχεσθαι εὐδοκίμωτερον, ὡδ' ἂν μάλιστα ἀπὸ τούτων ἀρχοιτο, εἰ διατροχάζοντος μὲν, ὁπότε ἀποβαίνοι τῶν δεξιῶν, τότε σημαίνοι τῷ ἵκπῳ τὸ ἐπιβαθρορεῖν*. I. e. quandoquidem autem ab sinistra incipere convenientius habetur, sic ab ea manu aptissima incipiat, si equo decussatim currente, quum a dextro gyro abit, tum equo totum significet. Namque abire ab dextro gyro nihil est aliud, quam commutare manum quod vocant, et ad laevum orbem transire. Iam in his, quae sequuntur, nulla est parenthesis, sed duo illa, quae dici oportebat, ordine memorata sunt: *τὸ γὰρ ἀριστερῶν μέλλων αἴρειν, ἐν τούτου ἂν ἀρχοιτο, καὶ ὁπότε ἐπὶ τὰ σύωνυμα ἀναστρέφοι, τότε*



qua caussa fieri debeat, deinde explicat, atque rectissime. Nam ad laevam flexus equus natura duce non nisi sinistra, ad dextram autem non nisi dextra tolutum ire solet. Itaque in flectendo maxime equi rudes ad tolutilem cursum instigari solent, quia sic non est metuendum, quod recta currentibus accidere solet, ut pedibus perverse alternatis aut dextra, quum sinistra debent, sinistra, quum debent dextra, aut denique anterioribus pedibus dextra, posterioribus sinistra, vel contrario modo incedant. Sed dicendum nunc est de ἐπισκέλει, quod verbum Iungermannus ad Pollucem I. 214. rectissime Xenophonti restituit. Nam quod legebatur ἐπικλίσεως, ineptissimum est: quod verbum quum non possit aliud quiddam nisi flexum significare, quid attinebat dicere, flectendum esse equum, quum flecteretur? Sed de ἐπισκέλει obscurius loquitur Pollux. Στηρικτέον δὲ αὐτόν, inquit, ὅταν ὁ ἵππος ἀρχῆται τῆς ἐπισκέλεισεως· ἐπισκέλισιν δὲ Ξενοφῶν καλεῖ τὴν ἀρχὴν τῆς τῶν ποδῶν κινήσεως. Patet vero, eum rei ignarum fuisse. Non enim ἐπισκέλισις in Xenophontis loco significare potest initium pedum promovendorum, quippe quod etiam in passum et quemvis alium incessum quadraret, sed illius pedum motus initium indicat, qui est in gradu tolutili. Id nos in equo *anspringen*, et equum ad id incitare *ansprengen* appellamus.

Sequuntur haec apud Xenophontem: ἵππασίαν δ' ἐπαινοῦμεν τὴν πέδην καλουμένην. ἐπ' ἀμφοτέρας γὰρ

καὶ τῆς ἐπισκέλεισεως ἀρχοῖτο. Postulatum est tolutum sinistra. Itaque equus ab dextro gyro ad laevum transgrediens, quum sinistra tolutum iturus sinistram pedem anteriorem tollere debeat, hoc pede incipiet, non altero; simulque eo ipso momento, quo sinistrorsum flectitur, motu pedum mutato tolutum prosiliet. Ἀναστρέφοι autem dicit, quod quum initium curriculi ab laeva factum esset primum passu, deinde celeriore cursu, in quo transitum erat ad dextrum orbem, quum ex eo orbe rursus ad laevum gyrum reditur, tolutum imperat.

debeat monstraturus, totum incipiendum dicit ab sinistra, et quidem equo sinistra decussatim incedente, quia sinistrum pedem anteriorem ad cursum tolutilem proiecturus equus ab laevo flexu initium faciat; esse autem totum sic incipiendum, ut non modo sinistra incedens equus, sed in ipso ad laevam flexu ad gradum tolutilem incitetur ⁴). Quod

4) Recepti scripturae mutationem, quam in hac dissertatione proposui, Fr. Iacobsius, Friderici f., in editione libri Xenophontei, sed ut coniungeret verba *ὅποτε ἀναβαλνοὶ τῷ ἀριστερῷ*, verteretque *sobald es den linken fuss aufhebt*. At id per significationem verbi *ἀναβαλναι* fieri non potest, neque ego ita volueram, sed *ὅποτε ἀναβαλνοὶ* de equite intelligebam, qui equum conscendisset. Verum enimvero ne hoc quidem probari potest. Nam et *ἀναβαλη* potius dicendum fuisset, et tamen ne id quidem scriptum fuisse a Xenophonte credibile est, quia prorsus inutile est hoc additamentum. Accedunt autem tria alia, quae coniecturam meam labefaciant, unum quod audacior est et violentior illa verborum *τῷ δεξιῷ* in *τῷ ἀριστερῷ* commutatio; alterum quod *διατροχάζειν τῷ ἀριστερῷ* non videtur significare posse, sinistra manu, quod nos dicimus, incedere, i. e. sic ut ad flexum in laevam compositus sit equus; tertium, quod mox Xenophon non *στρέφοι*, sed *ἀναστρέφοι* dicit, quod non est convertere equum, sed rursus convertere, ideoque redire in gyrum aliquantisper relictum. Ex eo autem, quod secundo loco posui, consequitur, etiam *τῷ δεξιῷ διατροχάζειν* perperam dici, coniungique debere verba sic, ut fecit Iacobsius, modo vel explicenter aliter, vel emendatur. Atqui explicari quomodo possint, fateor me non intelligere: emendari vero posse existimo, et quidem ita, ut neque in verbis ulli sit reprehensioni locus, neque artis equestris periti inventuri sint, quod verius aptiusque dictum esse velint. Etenim sic est, nisi egregie fallor, scribendum: *ἐπίπερ δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν ἀρχεσθαι εὐδοκιμώτερον, ὧδ' ἂν μάλιστα ἀπὸ τούτων ἀρχοιτο, εἰ διατροχάζοντος μὲν, ὅποτε ἀποβαλνοὶ τῶν δεξιῶν, τότε σημαίνου τῷ ἵππῳ τὸ ἐπιραβδοφορεῖν*. I. e. quandoquidem autem ab sinistra incipere convenientius habetur, sic ab ea manu aptissime incipiat, si equo decussatim currente, quum a dextro gyro abit, tum equo totum significet. Namque abire ab dextro gyro nihil est aliud, quam commutare manum quod vocant, et ad laevum orbem transire. Iam in his, quae sequuntur, nulla est parenthesis, sed duo illa, quae dici oportebat, ordine memorata sunt: *τὸ γὰρ ἀριστερὸν μέλλον αἶρειν, ἐκ τούτου ἂν ἀρχοιτο, καὶ ὅποτε ἐπὶ τὰ εὐώνυμα ἀναστρέφοι, τότε*

qua caussa fieri debeat, deinde explicat, atque rectissime. Nam ad laevam flexus equus natura duce non nisi sinistra, ad dextram autem non nisi dextra totulim ire solet. Itaque in flectendo maxime equi rudes ad totulilem cursum instigari solent, quia sic non est metuendum, quod recta currentibus accidere solet, ut pedibus perverse alternatis aut dextra, quum sinistra debent, sinistra, quum debent dextra, aut denique anterioribus pedibus dextra, posterioribus sinistra, vel contrario modo incedant. Sed dicendum nunc est de *ἐπισκέλισσι*, quod verbum Iungermannus ad Pollucem l. 214. rectissime Xenophonti restituit. Nam quod legebatur *ἐπισκέλισεως*, ineptissimum est: quod verbum quum non possit aliud quiddam nisi flexum significare, quid attinebat dicere, flectendum esse equum, quum flecteretur? Sed de *ἐπισκέλισσι* obscurius loquitur Pollux. *Στηρικτέον δὲ αὐτόν, ὅταν ὁ ἵππος ἀρχῆται τῆς ἐπισκέλισεως· ἐπισκέλισιν δὲ Ξενοφῶν καλεῖ τὴν ἀρχὴν τῆς τῶν ποδῶν κινήσεως.* Patet vero, eum rei ignarum fuisse. Non enim *ἐπισκέλισις* in Xenophontis loco significare potest initium pedum promovendorum, quippe quod etiam in passum et quemvis alium incessum quadraret, sed illius pedum motus initium indicat, qui est in gradu totulili. Id nos in equo *anspringen*, et equum ad id incitare *ansprengen* appellamus.

Sequuntur haec apud Xenophontem: *ἵππασίαν δ' ἐπαινοῦμεν τὴν πέδην καλουμένην. ἐπ' ἀμφοτέρως γὰρ*

καὶ τῆς ἐπισκέλισεως ἀρχοῖτο. Postulatum est totulim sinistra. Itaque equus ab dextro gyro ad laevum transgrediens, quum sinistra totulim iturus sinistram pedem anteriorem tollere debeat, hoc pede incipiet, non altero; simulque eo ipso momento, quo sinistrorsum flectitur, motu pedum mutato totulim prosiliet. *Ἀναστρέφοι* autem dicit, quod quum initium curriculi ab laeva factum esset primum passu, deinde celeriore cursu, in quo transitum erat ad dextrum orbem, quum ex eo orbe rursus ad laevum gyrum reditur, totulim imperat.

τὰς γνάθους στρέφουσαι ἐθίξει· καὶ τὸ μεταβάλλεσθαι δὲ τὴν ἵππασίαν ἀγαθόν, ἵνα ἀμφότεραι αἱ γνάθοι καθ' ἑκάτερον τῆς ἵππασίας ἰσάζωνται. ἐπαινοῦμεν δὲ καὶ τὴν ἑτερομήκη πέδην μᾶλλον τῆς κυκλοτεροῦς. ἥδιον μὲν γὰρ οὕτως ἀναστρέφοιτο ὁ ἵππος, ἤδη πλήρης ὢν τοῦ εὐθέος, καὶ τό τε ὀρθοδρομεῖν καὶ τὸ ἀποκάμπτεν ἅμα μελετῶν ἄν. Multum dubitarunt interpretes, quid vel πέδη esset, vel μεταβάλλεσθαι τὴν ἵππασίαν. Atque Heubelius, qui Haynischium sequutus, πέδην putat esse eam equitationem, quae *schlangenschule* Germanice vocatur, non video quomodo hanc interpretationem cum verbis Xenophontis aut cum iis quae Pollux habet conciliare possit. Idem quum verba τὸ μεταβάλλεσθαι τὴν ἵππασίαν vertit *den ritt verändern*, et insolenter est et obscurissime loquutus. Vtrumque genus equitationis quale fuerit, e duobus Xenophontis et, uero Pollucis loco erui debebit. Ac Pollux I. 214. ita scribit: πέδη δὲ ἵππασία, ἢ κυκλοτερῆς· ἐπιμήκης πέδη, ἢ μήκος τῶ κύκλω προσιθεῖσα. Facile vel ex his potest intelligi, πέδην non esse eam, quae *schlangenschule* dicitur, sed gyrum, quem nunc *volte* vocant. Eaque est πέδη κυκλοτερῆς. Sed hic gyrus si est oblongus, ut in summa tantum atque ima parte gyri speciem habeat, in utroque autem latere linea recta procedatur, πέδη ἐπιμήκης dicitur. Cum hac explicatione bene congruunt quae de hoc genere equitationis praedicat Xenophon: ἐπ' ἀμφοτέρας γὰρ τὰς γνάθους στρέφουσαι ἐθίξει. Nam perpetuo flexu in circulum agitur equus, nunc dextra, nunc laeva. Afferam nunc alterum Xenophontis locum, qui est III. 5. Is ad eandem explicationem ducit. Τούς γε μὴν ἑτερογνάθους μὴνύει μὲν καὶ ἡ πέδη καλουμένη ἵππασία, πολὺ δὲ μᾶλλον καὶ τὸ μεταβάλλεσθαι τὴν ἵππασίαν. πολλοὶ γὰρ οὐκ ἐγχειροῦσιν ἐκφέρειν, ἣν μὴ ἅμα συμβῆ ἢ ἄδικος γνάθος καὶ ἢ πρὸς οἶκον ἐκφορά. Verissimum est enim, equos, qui sunt impari ore, optime in gyris cognosci. Nam qua oris parte molliores sunt, facilius in gyrum flectuntur; qua duriores, aegre flecti possunt, atque interdum resistunt. Vt multi dextrum gyrum, quidam sini-

strum adspernantur. Difficilior quaestio est, quid sit μεταβάλλεσθαι τὴν ἵππασίαν. Id videtur esse variare gyros, id est e dextro ad sinistrum, et ab hoc ad dextrum transire, quod nostri *changiren*, *wechseln*, *auf die andere hand gehen* appellant. Non sum nescius, posse hoc μεταβάλλεσθαι τὴν ἵππασίαν etiam sic intelligi, ut significetur id quod nunc *renvers* vel *volte renversée* dicitur, et quidem has maxime ob caussas, primum quod illa, τὸ μεταβάλλεσθαι τὴν ἵππασίαν ἀγαθόν, ἵνα ἀμφοτέραι αἱ γνάθοι καθ' ἑκατέραν τῆς ἵππασίας ἰσάζωνται, optime in hoc genus equitationis quadrent, ut quum in laevum gyrum dextra tolutim itur, ubi dextris frenis, quamquam in laevo flexu, maxime opus est; deinde quod, si μεταβάλλεσθαι τὴν ἵππασίαν est simpliciter mutare gyrum, quod *changiren* vocant, id ipsa illa exercitatione, quae πέδη dicitur, comprehensum esse videatur, quae, ut ait Xenophon, ἐπ' ἀμφοτέρας τὰς γνάθος στρέφεσθαι ἐθίζει. Tamen quo minus inversum gyrum, eum dico quem *volte renversée* appellant, intelligendum putem, quaedam, eaque non levia obstant. Primum eo in loco, ubi Xenophon illud μεταβάλλεσθαι τὴν ἵππασίαν in primis aptum esse dicit ad equos, qui altera oris parte duriores sint cognoscendos, non satis video, si inversus gyrus intelligi debeat, quomodo hic ad eum finem magis sit idoneus quam rectus gyrus. Immo plurimi equi, qui dextro freno se dextrorsum flecti recusant, sinistro facilius flectuntur, quippe adempta ad resistendum vi, sinisteriore armo coarctato. Et sic etiam qui ad laevam flecti nolunt. Praeterea quum Xenophon ibi de emptiore equorum scribat, vix potuit gyrum inversum intelligere, quem equus non potest, nisi arte eruditus, peragere. Deinde si verba illa inversum gyrum significarent, mirum foret, si Xenophon in altero loco, ubi illud μεταβάλλεσθαι τὴν ἵππασίαν oris erudiendi caussa commendavit, alias utilitates, quas hoc genus habet, easque et multo maiores, et, quo maxime solet respicere, militares, omisisset. Quo magis adducor, ut μεταβάλλεσθαι τὴν ἵππασίαν de mutatione gyri, quum a dextro ad laevum, ab laevo ad dextrum

transitur, id quod ipsa verborum significatio suadet, accipiendum esse putem. Quod si quis, ut supra commemoratum est, mutationem gyri partem esse *πέδη*s censeat, in promptu est ratio, qua contrarium evinci possit. Nam ut apud nos in quibusdam scholis equestribus haec est consuetudo, ut dextro gyro peracto consistatur, quo equus possit respirare et requiescere, tum autem sinistro gyro procedatur: eodem modo etiam Graeci videntur peracto sinistro cursu constitisse, inde, pausa facta, ad dextrum accessisse. Licet hoc cognoscere e Xenophonte, qui IX. 6. ita scribit: *καὶ αἷ τε μακροὶ ἐλάσεις μᾶλλον ἢ αἷ πυκναὶ ἀποστροφὰὶ πρᾶϋνοναὶ τοὺς ἵππους.* Nam *ἐλάσις*, quae apud nos dicitur *reprise*, cursum significat continuum et nulla pausa distinctum. Deinde alterius *ἐλάσεως* initium vocatur *ἀποστροφή*, ita ut hoc nomen etiam *ἐλάσιν* significare possit, modo ne de prima *ἐλάσει* dicatur. Male enim hoc vocabulum ab interpretibus, in iisque a Sturzio, de flexu intellectum esse, patet ex duobus aliis locis: III. 5. *δεῖ γε μὴν εἰδέναι καὶ εἰ ἀφεθεῖς εἰς τάχος ἀναλαμβάνεται ἐν βραχεῖ, καὶ εἰ ἀναστρέφασθαι ἐθέλει.* Et VII. 18. *καὶ ἐν τοῦ ἐστάναι δὲ στρέψαντα δεῖ πάλιν ὀρμαῖν.* Quod si pausa facta ab laeva ad dextram vel ab dextra ad laevam transiri solebat, mutatio gyri in medio cursu non pertinebat ad *πέδη*n. Sed reliquum est ut videamus ea, quae de hac gyri mutatione praedicat Xenophon. *Τοὺς γε μὴν ἑτερογενῶθους*, inquit, *μηνύει μὲν καὶ ἡ πέδη καλουμένη ἵππασία· πολὺ δὲ μᾶλλον καὶ τὸ μεταβάλλεσθαι τὴν ἵππασίαν.* *Πέδη* enim qui equi altera parte duriores sint eo monstrat, quod nunc ad laevam, nunc, pausa facta, ad dextram flectuntur. Mutatio gyri etsi natura sua nihil est aliud quam flexus qui est in simplici gyro, ut non videatur magis esse idoneus quam *πέδη* ad os equi cognoscendum, tamen, si est in gradu tolutili, verissima est Xenophontis sententia. Nam equi quoniam, quum tolutim gyrus mutatur, pedum alternatione facta, rapidius solent atque effusius currere, hoc facilius explorari os eorum potest, quo magis cohibendi et retinendi sunt. Atque de gyro tolutim mutando loqui Xenophontem, ex iis quae

sequuntur colligi potest: πολλοὶ γὰρ οὐκ ἐγχειροῦσιν ἐκφέρειν, ἢ μὴ ἅμα συμβῆ ἢ τε ἄδικος γνάθος καὶ ἡ πρὸς οἶκον ἐκφορά. Neque enim facile mordicus arreptis frenis aufugere solent equi, nisi in gradu tolutili. Caeterum vix credibile est, obscurum fuisse quibusdam interpretibus quid esset συμβαίνειν τὴν τε ἄδικον γνάθον καὶ τὴν πρὸς οἶκος ἐκφοράν. Quae verba sic vertit Haynischius, ut eam partem oris intelligeret, quae illuc spectaret, quo via domum duceret. Heubelius autem plane alia, quam quae scripsit Xenophon, expressit. Oris partem Xenophon intelligit eam, quam artis periti pro ratione gyri interiorerem vocant, id est in dextro gyro dextram, in sinistro sinistram. Etenim si ad dextram stabulum sit, equus, quamvis duro sit dextro ore, facile dextrorsum flectetur. Sed si sinistrum habeat durum, nolet ad laevam se averti a stabulo. Itaque ἡ ἄδικος γνάθος non est ab ea parte, qua domum via ducit, sed a parte opposita. Accedimus ad alterum Xenophontis locum: καὶ τὸ μεταβάλλεσθαι δὲ τὴν ἵππασίαν ἀγαθόν, ἵνα ἀμφοτέραι αἱ γνάθοι καθ' ἐκάτερον τῆς ἵππασίας ἰσάζωνται. Horum verborum non potest alius esse sensus, quam hic, mutatione gyri effici, ut equus in dextro pariter atque sinistro gyro utraque maxilla facile frenis pareat. Primum enim mutando gyro fit, ut equus in medio gyro non modo interiori freno, sed, quoties ad alteram manum flectitur, etiam exteriori parere discat, eamque ob causam, praesertim si crebro mutatur gyrus, semper ad utrumque frenum debeat attendere. Quod quam sit necessarium, maxime ad usum belli, nemo non intelliget. Ac qui equos rudes non nisi pausa facta ad alteram manum transire adsu faciunt, facile sentiunt, si quando in medio cursu gyrum mutant, titubare equum nec firmiter lineam tenere. Deinde vero hoc quoque spectasse Xenophon videtur, quod in crebra gyri mutatione, quod genus multo rectius quam πῆδη *schlangenschule* dici potest, habenae aequali longitudine teneri debent, quo ne remissio alterius aut adductio moram afferat. Ea vero re non minus quam illa, quae ante commemorata est, os equi exaequatur.

Vnum adhuc Pollucis errorem, quem huius auctoritate moti interpretes sequuti sunt, castigabo, partim quia ad eundem locum Xenophontis, de quo disputatum est pertinet, partim ut hoc quoque exemplo id quod supra dixi imperitum rei equestris fuisse Pollucem appareat. Ita igitur Xenophon scribit: *δεῖ δὲ καὶ ὑπολαμβάνειν ἐν ταῖς στροφαῖς· οὐ γὰρ ῥάδιον τῷ ἵππῳ, οὐδ' ἀσφαλές, ἐν τῷ τάχει ὄντα κάμπτειν ἐν μικρῷ, ἄλλως τε καὶ ἀπὸ κροτον ἢ ὀλισθηρὸν ἢ τὸ χωρίον. ὅταν γὰρ μὴν ὑπολαμβάνῃ, ὡς ἤμιστα μὲν χρῆ τὸν ἵππον πλαγιοῦν τῷ χαλινῷ, ὡς ἤμιστα δ' αὐτὸν πλαγιοῦσθαι· εἰ δὲ μὴ, εὖ χρῆ εἰδέναι, ὅτι μικρὰ πρόφασις ἀρκέσει κείσθαι καὶ αὐτὸν καὶ τὸν ἵππον.* Tam clare haec atque perspicue scripta sunt, ut dubitari non possit, quin *ὑπολαμβάνειν* significet equum a celeriore cursu cohibere et lentius magisque confertim, quod *ἀθρόφῳ τῷ ἵππῳ* Graece vocatur, cogere incedere. Idem verbi usus est etiam IX. 5. *ἦν δὲ καὶ εἰς τὸ θᾶπτον ὀρμώμενον τοῦ καιροῦ ὑπολαμβάνειν βούλη τὸν θυμοειδῆ, οὐ δεῖ ἐξαπιναιῶς σπᾶν, ἀλλ' ἡρεμαίως προσάγεσθαι τῷ χαλινῷ, πραῦνοντα, οὐ βιαζόμενον ἡρεμεῖν.* Nostri hoc *verhalten* vocant, et res ipsa in scholis equestribus *halbe parade* dicitur, vel *demi-arret*. At vero Pollux alia huic verbo addit: *ἐν δὲ ταῖς στροφαῖς, inquit, οὐ δεῖ ἐξελαύνειν τὸν ἵππον, ἀλλὰ ἀναλαμβάνειν, ὅπερ καὶ ὑπολαμβάνειν λέγεται, καὶ κατέχειν, καὶ ἡρεμίζειν, καὶ ἀνέχειν.* In his alia aperte falsa, alia vix vera sunt. Ac falsum est, quod *ἀναλαμβάνειν* putat idem esse quod *ὑπολαμβάνειν*: in quo male eum sequuti sunt interpretes, atque in iis Sturzium. *Ἀναλαμβάνειν* enim est facere ut equus e cursu consistat, non, ut lentius incedat, quod est *ὑπολαμβάνειν*. Itaque *ἀναλαμβάνειν* Graeci dicunt quod nos *anhaltten, arretiren, pariren*: et rem ipsam vocamus *arret, parade*. Confirmant hanc explicationem duo loci Xenophontis, III. 5. *δεῖ γὰρ μὴν εἰδέναι, καὶ εἰ ἀφ᾽ ἑθῆς εἰς τάχος ἀναλαμβάνεται ἐν βραχεῖ.* Et VIII. 7. *χρῆ γὰρ ὀρμῶντος μὲν ἐξαίφνης ἵππου προνεύειν· ἦπτον γὰρ ἂν καὶ ὑποδύοι ὁ ἵππος, καὶ ἀναβάλλοι τὸν ἀναβά-*

την· ἐν μικρῷ δὲ ἀναλαμβανομένου ἀναπίπτειν· ἦτον γὰρ ἂν αὐτὸς κόπτοιο. Quae nemo est equitationis non plane imperitus, quin de equo in medio cursu consistere coacto intelligenda esse fateatur. Quae praeterea verba commemorat Pollux, in his quod primum posuit, κατέχειν, vereor ne non sit artis equestris proprium. Occurrit in Symposio Xenophonteo, ubi haec de Socrate scripta sunt: ὅτι, ἔφη, ὁρῶ καὶ τοὺς ἵππικοὺς βουλομένους γενέσθαι, οὐ τοὺς εὐπειθεστάτους, ἀλλὰ τοὺς θυμοειδεῖς ἵππους κτωμένους· νομίζουσι γὰρ, ἦν τοὺς τοιοῦτους δύνωνται κατέχειν, ραδίως τοῖς γε ἄλλοις ἵπποις χρῆσεσθαι. Ἡρεμίζειν recte potuit afferri, ut idem quod ἀναλαμβάνειν significans. Xenophon VII. 18. καὶ ἐκ τοῦ ταχέως αὐτὸς ὡς ἐγγυτάτω ἡρεμίζειν. Nisi ἀναλαμβάνειν simpliciter in cursu consistere, ἡρεμίζειν ita consistere, ut aliquantisper in eodem loco maneat, indicat. Sequitur enim apud Xenophontem: καὶ ἐκ τοῦ ἐστάναι δὲ στρέψαντα δεῖ πάλιν ὀρμαῖν. Ac firmat hanc interpretationem cognatum vocabulum ἡρεμεῖν, quod significat retinere equum, ut tranquillus stet, ante cursum. Xenophon VII. 8. ἐπειδὴν γε μὴν καθίζηται, πρῶτον μὲν ἡρεμεῖν δεῖ διδάσκειν τὸν ἵππον, ἕως ἂν καὶ ὑποσπάσῃται, ἦν τι δέηται, καὶ τὰς ἡνίας ἰσώσῃται, καὶ τὸ δόρυ λάβῃ ὡς ἂν εὐφορώτατον εἶη. (Exciderat articulus ante ἡνίας et ante δόρυ.) IX. 3. ἐπειδὴν δ' ἀναβῆ, ἡρεμήσαντα πλείω χρόνον ἢ τὸν ἐπιτυχόντα, οὕτω προκινεῖν αὐτὸν ὡς πραοτάτοις σημείοις. Id apud nos halten dicitur. Ceterum ἡρεμεῖν et de tranquillo equi incessu intelligitur, IX. 5. ἦν δὲ καὶ εἰς τὸ θᾶττον ὀρμώμενον τοῦ καιροῦ ὑπολαμβάνειν βούλη τὸν θυμοειδῆ, οὐ δεῖ ἐξαπιναιῶς σπᾶν, ἀλλ' ἡρεμαίως προσάγεσθαι τῷ χαλινῷ, πρᾶννοντα, οὐ βιαζόμενον ἡρεμεῖν, et de equite, qui immotus sedet in equo, IX. 9. Ἀνέχειν denique, commemoratum a Polluce, non mihi legere in re equestri. Quod quidem verbum, si fuit usurpatum ab artis peritis, credibile est idem quod ἡρεμεῖν, stare equo tranquillo ante cursum, significasse. Sed vereor magno opere, ne hoc non magis sit artis

vocabulum, quam, quod non adiecit Pollux, *ἐπιλαμβάνειν*. Eo usus est Xenophon IX. 8. *ἐπιλαμβάνειν δὲ χρὴ ἵππον θυμοειδῆ καὶ τοῦ εἰς τὸ τάχιστα ὀρμᾶν* ⁵.)

5) Arcendum dicit equum animosum ab effuso cursu.

DE DIFFERENTIA PROSAE ET POETICAE ORATIONIS DISPUTATIO.

P A R S I *)

Disciplinas artium praegrediuntur ipsae artes. Inventrix enim artium natura vel necessitas, perfectiorque usus est: disciplina vero otii est et meditationis opus. Quare alias artes tunc maxime floruisse videmus, quum aut nulla earum, aut tenuis admodum disciplina esset; ab aliis autem ita sprete animadvertimus omnem disciplinam, ut, quam ea viam monstraret, hanc etiam vitare viderentur. Neque immerito. Magis enim disciplina quam ars obnoxia est erroribus, quia vel male positis fundamentis, vel rationibus non recte conclusis, specie ordinis cuiusdam fallere doctorem solet: quod contra ars, quae ducem naturam, admonitorem autem effectum habet, difficilius a vero abduci se patitur. Itaque quum exultis iam artibus disciplinae paulatim invenirentur, non raro accidit, ut aut disciplinae accessio molesta quadam exilitate pristinam artibus dignitatem detraheret, aut ipsae disciplinae, ubi earum inventores naturam artium non recte intellexissent, tum non omnem ar-

*) Publice defensa est ad locum in Ordine Philosophorum Lipsiensi obtinendum die IX. Martii a. MDCCLXXXIII. socio Eduardo Platnero, Lipsiensi, qui nunc Professor iuris est in Academia Marburgensi.

tem complecterentur, tum, falsis alienisque admixtis, mirum in modum depravarentur. Horum omnium ars rhetorica luculentissimum exemplum exstitit. Quae quum primum apud Graecos, plerumque artium et doctrinarum repertores, exorta esset, initio in exercitatione quadam copiose ornatique dicendi constitit; mox vero hominum eloquentiae laude florentium opera disciplinae quaedam ratio et praeceptorum subtilitas accessit. Sed quum universa dicendi vis et facultas potissimum in caussis judicialibus, 2 in negotiis publicis, in sollemnibus laudationibus versaretur, fieri non potuit, quin his in rebus solis disciplina se contineret, caetera autem dicendi genera non solum negligeret, verum etiam excludere videretur. Historiarum expositio, philosophiae explicatio, familiarium sermonum elegans imitatio disciplinam habebant nullam. Nam qui in his rebus elaborabant, aut a declamationum exercitatione aliquem usum dicendi afferebant, aut in eorum exempla, qui antea in his generibus excelluissent, intuebantur, aut suoapte denique ingenio sensuque adiuti, quid verum et aptum esset, intelligebant. Itaque quum Aristoteles, eximii vir ingenii, ad explicandam illustrandamque artis rhetoricae doctrinam accederet, hic quoque, priores sequutus magistros, neglectis reliquis dicendi generibus, orationum scribendarum artem et scientiam persequi satis habuit. Quamquam hic non ita viam ab illis patefactam tenuit, ut non et nova et subtiliter excogitata afferret. Naturam enim atque officium rhetoricae, quod illi fere in flectendis commovendisque hominum animis versari stantiebant, alio transferendum esse censuit. Nam quum rhetoricam, quam e dialectica oriri putabat, facultatem esse existimaret perspiciendi quid in quaque re probabile esset, primariam eius vim in probando demonstrandoque positam esse contendit. Alii deinde alias rhetoricae definitiones attulerunt, ut facile possit aestimari, qualem esse oportuerit disciplinam artis de cuius natura non constaret. Quin ipse Quintilianus, in quo praeclarum fuit atque eximia eruditione politum ingenium, in eo loco, in quo plurimas aliorum de fine rhetoricae sententias commemo-

rat et refellit, optimam ex his, quae Isocratem habet autorem, amplexus, rhetoricam bene dicendi artem esse existimat. Sed neque haec definitio, neque illa Cleanthis et Chrysippi, rhetoricam recte dicendi artem esse censentium, quae Quintiliano eandem habere vim atque illa Isocratis, nobis autem etiam propius verum accedere videtur, satis idonea est. Etenim, ut dicam quod sentio, omnes istae artis rhetoricae definitiones duplici maxime vitio laborant. Quippe ex una parte iusto latius patent, ex altera parte angustiores re definienda sunt. Ac latius patent primum eo, quod dialecticae aliquam partem admiscunt arti rhetoricae, ut Aristotelica, reprehensa a Quintiliano II. 15, 13. et a grammatico quodam in Biblioth. Coisl. p. 593. Neque enim hoc est artis eius officium quae dicendi praeceptis continetur, ut, quid cogitandum sit et quomodo, ostendat, sed ut cogitata recte eloqui doceat. Deinde eo quoque latius quam debet extenditur rhetoricae descriptio, quod a poesi non satis distingui solet. Nam definitiones, cuiusmodi illae sunt Isocratis et Chrysippi, quidni etiam in artem poeticam quadrent, quae et bene et recte dicendi ars, non minus quam rhetorica, est? Nec meliores hoc in genere sunt illae definitiones, quae copiose ornateque dicendi scientiam esse tradunt: in quibus hoc quoque vitiosum est, quod ne ad eam quidem, quae universe vocatur eloquentia, accommodatae sunt. Saepe enim ea est maxima oratoris virtus, omnique copia et ornatu excellentior, breviter scire et simpliciter loqui. Contra, quod etiam angustiores, ac debebant, esse istas definitiones diximus, id spectat ad vim et usum artis, quem doctores omnes in orationibus quae proprie dicuntur expromi putant. Nam quis tandem finis sit, quo hae orationes ab aliis dicendi scribendique generibus ita differant, ut dictionem requirant plane singularem et ab aliis sermonum scriptionumque formis alienam? Manifestum est, quidquid hic discriminis reperiri possit, id non in dictione atque elocutione, quae tamen propria est rhetoricae, sed in materia dicendi argumentoque versari. Quare illi denique pene ridiculi sunt, qui eloquentiae fa-

cultatem positam putant in rebus intelligentiae communi accommodatis. Nam quae tandem est illa communis intelligentia, aut quousque pertinet? quosnam quasi terminos habet, intra quos debeat consistere? aut quid est, quod ab hac intelligentia communi segregandum sit atque excludendum, quandoquidem gradibus quidem illa quibusdam distinguitur, sed circumscriptionem non habet aliam, quam quae rerum omnium in cogitationem et sermonem cadentium circumscriptio est? Nam et rusticorum quaedam est communis intelligentia, et medio-criter cultorum, et eruditorum, et philosophorum denique.

4 Sed operae pretium est quaerere, quae tantarum de artis rhetoricae natura dissensionum causa fuerit atque origo. Eam vero non in ipso dicendi officio, quod sive bene sive recte sive apposite ad persuadendum dicendo continetur, simplex est neque ambiguum, sed in materia dicendi argumentoque positam existimaverim. Hoc enim quum artis doctores negligi non posse viderent, quia, qui recte dicere vellet, etiam rem, de qua diceret, apte tractare deberet, quaerendum putarunt, quae materia esset arti rhetoricae subiecta. Atque quum alii, usum maxime atque exempla respicientes, eam artem in caussis civilibus versari censuissent, alii, qui latius patere eloquentiae vim animadverterent, quoniam infinitam esse materiae copiam videbant, aut potissima tantum atque usu tritissima argumenta disciplinae quadam ratione consequuti sunt, aut definitionem materiae talem posuerunt, quae reprehensionem ambiguitate sua videretur effugere. Ita factum est, id quod pene est incredibile, ut etiam qui nullo in argumento non usum aliquem artis rhetoricae esse putarent, non haberent tamen, quo pacto omnem illam materiae argumentorumque vim una quadam certaue notione comprehenderent. Cui vitio si volumus occurrere, altius repetenda erit artis rhetoricae definitio.

Atque quum omnis orationis duae sint formae, una, quae poesis dicitur, altera, quae prosae orationis nomen habet, artem rhetoricam prosae orationis condendae scientiam esse iudicamus. Quae definitio minus verendum est

ne falsa, quam ne non satis clara esse videatur. Nam de eo quidem neminem a nobis dissensurum putamus, nullum esse dicendi genus, si a poesi discesseris, quin artis rhetoricae praeceptis indigeat, quandoquidem non solum eos, qui proprio nomine oratores vocantur, sed historicos, philosophos, epistolarum scriptores, omnino quoscumque prosa oratione utentes, arte quadam dicendi, diversa illa quidem in diversis generibus, sed simili tamen et ex uno quodam fonte derivata, opus habere videmus. Illud vero, in quo summa huius disputationis versatur, differentiam dico prosae et poeticae orationis, obscurius est et maioribus obnoxium dubitationibus. De quo si satis per-5
 spicue explicari poterit, non dubitamus fore, quin et illa, quam posuimus, rhetoricae definitio plane intelligi queat, et ipsa haec dicendi ars aptiorem quamdam et certiora disciplinam sibi vindicatura sit. Sed non sum nescius, tam late patere hanc quaestionem de prosae orationis et poeseos differentia, tantisque impeditam esse difficultatibus, ut, si quis penitus exhaurire hunc locum voluerit, ei vix magnum volumen sufficere videatur. Ac mihi quidem quum academicarum scriptionum brevitatem optionem fecisset, utrum singulas argumenti istius partes singulis datis opportunitatibus pertractare copiosius, an brevem universae disputationis adumbrationem uno vel duobus coniunctis libellis comprehendere vellem: consultius visum est, et ad perspicuitatem rei, praesertim antea non satis diligenter expositae, accommodatius, totius argumenti quamdam quasi delineationem exhibere. Hanc vero disputationem ita instituendam putamus, ut Engelii, Sulzeri, aliorumque sententiis, qui ante nos in eodem argumento elaborarunt, praetermissis, nova quadam ratione rem ab iis, quae prima eius elementa sunt, repetamus. Quod hoc minus vitio nobis speramus datum iri, quod, quum illi, utpote rei natura non plane perspecta, vix ad popularem captum satis apte disseruisse videantur, haud facile quemquam fore existimamus, qui aut refelli illos postulet, aut ipse in illorum sententiis acquiescere velit.

Ac quae duae sunt omnis orationis partes, cogitationes et sermo, harum de utraque dicendum erit singulatim. Sed quoniam utraque harum partium ex his duobus constat, materia formaque, quarum materiam dicimus, quae cogitationes et sermo id ipsum sunt, quod sunt, formam autem vocamus rationem, quae pro diversis finibus diversam vim induunt: apertum est, de forma cogitationum sermonisque, non de materia, nobis exponendum esse. Quam enim materiam cogitationum et sermonis nominamus, ea quia communis est omnis orationis, non habet, quod ad poesin et prosam orationem inter se distinguendas adhiberi possit. Atque huius generis duae sunt doctrinae, una, quae cogitationum arte continetur, quam dialecticam vocant, altera, quae sermonis usum explicat, cui nomen grammaticae est. Quod si quae sunt, certe quod ad cogitationes attinet, diversitates materiae, e quibus ad constituenda orationis genera aliquid momenti accedat, hae quoque, quoniam eadem sunt in prosa oratione atque in poesi, merito hic quidem a nobis praetermittentur. Ac de his dixi in commentatione de tragica et epica poesi, quam Aristotelis libro de arte poetica addidi, cap. XIII—XVI.

Erit autem haec de forma orationis, de qua sola dicendum nobis est, tripartita disputatio. Quae enim duae sunt orationis partes, cogitationes ac sermo, harum altera, sermonem dico, quia media est inter cogitationem loquentis et sensum audientis, duplici modo considerari debet. Nam quod dixi, mediam esse inter loquentis cogitationem et audientis sensum, id huiusmodi est. Vocabula, e quibus constat sermo, signa sunt, ad eum finem inventa, ut notitias animi et cogitationes declarent. Itaque primo loco in iis spectandum est, qua ratione quidque expriment, quaeque vis eorum sit et significatio. Idque dictionem vocamus. Sed quoniam vocabulorum natura voce continetur, quae pro sonorum diversis conformationibus diverso modo animum afficit ac movet, ea quoque, quae vocis propria sunt, considerari oportebit. Id vero dicimus elocutionem. Itaque his tribus factis partibus,

· primo de cogitationum conformatione, deinde de dictionis forma, postremo de elocutionis ratione aperiemus.

D e c o g i t a t i o n i b u s .

Ac quoniam a cogitationibus, quae primarium in omni oratione locum tenent, initium fieri par est, in his quae prima est et maxima poeseos ac prosae orationis differentia, eo censetur, quod notitias, in quibus exponendis sermo versatur, in prosa oratione ad aliquam rem extra nos positam, in poesi ad nosmet ipsos nostrumque sensum referimus. Est autem referre notitias ad res extra nos positas, cognoscere; ad nosmet ipsos, sentire. Itaque qui prosa oratione utuntur, cognosci aliquid ab auditoribus suis volunt; qui poesi, ad voluptatem orationem componunt. Ac quemadmodum poesis, quae nihil ad animi sensum voluptatemque afferret, non esset poesis: sic ne prosa quidem ea dici posset oratio, quae nulli rei cognoscendae inserviret. In poesi quidem res aperta est; obscurior paullo in prosa oratione. Nam haec quoque, non secus ac poesis, movere animum ac perturbare conatur. At tantum abest, hac in re ut aliquid mutuetur a poesi, ut magis, quantum ab ea differat, videatur ostendere. Nam quod paullo ante dicebamus, in prosa oratione notitias ad res extra nos positas referri, id vel maxime ibi licet cognoscere, ubi oratores aliquem animi motum, ut indignationem, miserationem, metum, in animis auditorum excitare student. Neque enim orator, ut poeta, iis rebus, quae in quaque cogitatione expertes sunt clarae cognitionis, sed iis, quae cognosci demonstrarique possunt, animos commovet. Docet ille, argumentisque ostendit, utile aliquid vel noxium, admirabile vel contemnendum, exoptandum vel fugiendum esse: quae argumenta quia in vi rerum externarum ad animos hominum posita sunt, petit ea ab sensu cuiusque, eumque ut commoveat, nunc eorum facit mentionem, quae grata vel ingrata auditoribus esse debent, nunc se ipsum ita commotum iis ostendit, ut non possint non ad eiusdem perturbationis societatem abripi. Quare,

ut brevi complectar, ubi orator animos commovere studet, hoc ei curandum est, ut studia auditorum ab iis rebus, in quibus ea versantur, ad eas res, de quibus orationem habet, transferat: id vero est facere, ut aliquis intelligat, cum iis rebus, quas magni faciat, quas expetat, quas metuat, quas oderit, alias esse coniunctas, quae eiusdem curae ac sollicitudinis communionem requirant. Duobus haec illustrare volo, sed iis sat luculentis exemplis. *O Spartace, quem enim te potius appellem? cuius propter nefaria scelera tolerabilis fuisse videtur Catilina.* Ἐγὼ μὲν δὴ ταῦτα λέγω, ταῦτα γράφω· καὶ οἶμαι καὶ νῦν ἔτι ἐπανορθωθῆναι ἂν τὰ πράγματα, τούτων γιγνομένων. εἰ δέ τις ἔχει τούτων τι βέλτιον, λεγέτω καὶ συμβουλευέτω. ὃ τι δ' ὑμῖν δόξειε, τοῦτ', ὧ πάντες θεοί, συνενέγκοι. Haec quamvis magna cum vi atque animi commotione dicta sint, nihil tamen habent, quod poetae potius, quam oratoris videri debeat. Omnia enim, quae in his verbis animum pellunt ac perturbant, ex ipsa rei cognitione nascuntur, quae quia magnam partem cognitio est eius, quod sperandum metuendumque sit, eo paratur, quod spem illam metumque in ipso oratore expressum et quasi praesentem ante oculos collocatum videmus. Confidens eorum veritate, quae antea dixerat, ταῦτα λέγω, ταῦτα γράφω, inquit. Necessitatem obsequendi, celeritatemque, qua ad eam rem opus sit, magnitudinem periculi, sollicitudinem denique, ne consilia sua cunctando irrita reddantur, ostendit iis, quae sequuntur: καὶ οἶμαι καὶ νῦν ἔτι ἐπανορθωθῆναι ἂν τὰ πράγματα, τούτων γιγνομένων; et magis etiam additis his: εἰ δέ τις ἔχει τούτων τι βέλτιον, λεγέτω καὶ συμβουλευέτω. Postremo metuens, ne alia placeat sententia, non solum his verbis, ὃ τι δ' ὑμῖν δόξειε, τοῦτο συνενέγκοι, vehementer se dubitare de felici alius consilii successu, sed his interpositis, ὧ πάντες θεοί, re plane desperata mentem et cogitationem ab imminentibus malis avertere demonstrat.

Sed porro quaerendum est, si in prosa oratione notitiae ad res extra nos positas, in poesi ad nosmet ipsos re-

rantur, quomodo hoc, et quibus mentis viribus, et per suas comprehensiones fiat. Facile enim intelligitur, tam diversa officia non solum diversis animi viribus peragi debere, sed genus quoque comprehensionum aliud esse, ut res externas, aliud, quo animi nostri statum percipiamus. Atque illud quidem in promptu est, perceptiones animi ad res externas per intellectum, et quae huiusmodi propriae sunt notionis, referri. Quare cognoscendi negotium totum in notionibus inter se comparandis positum est. Quod si verum est illud, quod supra diximus, pro ore orationis naturam censi cognitione comparanda, non poterit illa non intellectum notionisque sibi proprias vincere. Sed hoc quidem tam clarum est, ut dubitationem neminem excludat. Difficilior de poesi disputatio est, quae enim quum non ad rerum cognitionem, sed ad animi statum spectet, neque ad intellectum referri potest, quae in notionum tractatione et comparatione versabitur, quae in his nihil, quod ad animi sensum pertineat, reperitur. Nihilominus minus poesin et easdem res tractare volumus, quas prosa oratione exponere licet, et notitiis uti videmus, quibus in prosa quoque oratione locus est. Quare illud quaerere oportebit, qui fiat, ut rerum notitiae ac perceptiones non ad res externas, sed ad animi sensum referri possint. Ea vero praeclara est ac divina phantasiae vis, quae easdem animi perceptiones, quas intellectus per notionem ad res externas refert, per suas quasdam ideas (ita enim appellare liceat) ad excitandum animi sensum idoneas reddit. Sunt autem hae, quas ideas phantasiae vocamus, notationes quaedam eorum, quae in quaque re praeter notionem eius insunt: quae si tam multa, tam magna, tam varia sunt, ut certa notio, quibus ea complectamur, inveniri nequeat, excitant hac materiae copia et varietate animum, ut in iis comparandis iudicandisque vires suas experiatur. Quae virium animi exercitatio quia certis notionibus destituta est, nihil nisi sensum aliquem virium illarum procreare potest. Haec quoque exemplis illustrare placet. Mnasilcae epigramma est hoc:

ut brevi complectar, ubi orator animos commovere studet, hoc ei curandum est, ut studia auditorum ab iis rebus, in quibus ea versantur, ad eas res, de quibus orationem habet, transferat: id vero est facere, ut aliquis intelligat, cum iis rebus, quas magni faciat, quas expetat, quas metuat, quas oderit, alias esse coniunctas, quae eiusdem curae ac sollicitudinis communionem requirant. Duobus haec illustrare volo, sed iis sat luculentis exemplis. *O Spartace, quem enim te potius appellem? cuius propter nefaria scelera tolerabilis fuisse videtur Catilina.* Ἐγὼ μὲν δὴ ταῦτα λέγω, ταῦτα γράφω· καὶ οἶομαι καὶ νῦν ἔτι ἐπανορθωθῆναι ἂν τὰ πράγματα, τούτων γιγνομένων. εἰ δέ τις ἔχει τούτων τι βέλτιον, λεγέτω καὶ συμβουλευέτω. ὅ τι δ' ὑμῖν δόξειε, τοῦτ', ὃ πάντες θεοί, συνενέγκοι. Haec quamvis magna cum vi atque animi commotione dicta sint, nihil tamen habent, quod poetae potius, quam oratoris videri debeat. Omnia enim, quae in his verbis animum pellunt ac perturbant, ex ipsa rei cognitione nascuntur, quae quia magnam partem cognitio est eius, quod sperandum metuendumque sit, eo paratur, quod spem illam metumque in ipso oratore expressum et quasi praesentem ante oculos collocatum videmus. Confidens eorum veritate, quae antea dixerat, ταῦτα λέγω, ταῦτα γράφω, inquit. Necessitatem obsequendi, celeritatemque, qua ad eam rem opus sit, magnitudinem periculi, sollicitudinem denique, ne consilia sua cunctando irrita reddantur, ostendit iis, quae sequuntur: καὶ οἶομαι καὶ νῦν ἔτι ἐπανορθωθῆναι ἂν τὰ πράγματα, τούτων γιγνομένων; et magis etiam additis his: εἰ δέ τις ἔχει τούτων τι βέλτιον, λεγέτω καὶ συμβουλευέτω. Postremo metuens, ne alia placeat sententia, non solum his verbis, ὅτι δ' ὑμῖν δόξειε, τοῦτο συνενέγκοι, vehementer se dubitare de felici alius consilii successu, sed his interpositis, ὃ πάντες θεοί, re plane desperata mentem et cogitationem ab imminentibus malis avertere demonstrat.

Sed porro quaerendum est, si in prosa oratione notitiae ad res extra nos positas, in poesi ad nosmet ipsos re-

ferantur, quomodo hoc, et quibus mentis viribus, et per quas comprehensiones fiat. Facile enim intelligitur, tam diversa officia non solum diversis animi viribus peragi debere, sed genus quoque comprehensionum aliud esse, quo res externas, aliud, quo animi nostri statum percipiamus. Atque illud quidem in promptu est, perceptiones mentis ad res externas per intellectum, et quae huius propriae sunt notiones, referri. Quare cognoscendi negotium totum in notionibus inter se comparandis positum est. Quod si verum est illud, quod supra diximus, prosae orationis naturam censi cognitione comparanda, non poterit illa non intellectum notionesque sibi proprias vindicare. Sed hoc quidem tam clarum est, ut dubitationem omnem excludat. Difficilior de poesi disputatio est. Poesis enim quum non ad rerum cognitionem, sed ad animi statum spectet, neque ad intellectum referri potest, neque in notionum tractatione et comparatione versabitur, quia in his nihil, quod ad animi sensum pertineat, reperitur. Nihilo tamen minus poesin et easdem res tractare videmus, quas prosa oratione exponere licet, et notitiis uti iisdem, quibus in prosa quoque oratione locus est. Quare illud quaerere oportebit, qui fiat, ut rerum notitiae ac perceptiones non ad res externas, sed ad animi sensum referri possint. Ea vero praeclara est ac divina phantasiae vis, quae easdem animi perceptiones, quas intellectus per notiones ad res externas refert, per suas quasdam ideas (ita enim appellare liceat) ad excitandum animi sensum idoneas reddit. Sunt autem hae, quas ideas phantasiae vocamus, notationes quaedam eorum, quae in quaque re praeter notionem eius insunt: quae si tam multa, tam magna, tam varia sunt, ut certa notio, quibus ea complectamur, inveniri nequeat, excitant hac materiae copia et varietate animum, ut in iis comparandis iudicandisque vires suas experiatur. Quae virium animi exercitatio quia certis notionibus destituta est, nihil nisi sensum aliquem virium illarum procreare potest. Haec quoque exemplis illustrare placet. Mnasalcae epigramma est hoc:

Ἄσπις Ἀλεξάνδρου τοῦ Φυλλέος ἱερὸν ἄδε
 δῶρον Ἀπόλλωνι χρυσοκόμῳ δέδομαι,
 γηραλέα μὲν ἵττυν πολέμων ὑπο, γηραλέα δὲ
 ὀμφαλόν· ἀλλ' ἀρετᾷ λάμπομαι, ἃς ἔτυχον
 ἀνδρὶ κόρυσσομένα σὺν ἀριστεί, ὃς μ' ἀνέθηκεν.
 ἐμὲ δ' ἀήσατος πάμπαν, ἀφ' οὗ γενόμεν.

Eo epigrammate quae continentur, si quis prosa oratione complecti voluerit, habebit certis notionibus descriptam clipei istius cognitionem. Alexandri cuiusdam fuisse sciet, consecratum esse Apollini, versatum fuisse in praeliis, numquam victum. Eadem tradit poeta, sed si sic, ut nunc relata sunt, poesis nulla foret. Hic ergo, ut placeat ista clipei descriptio, iis utitur notitiis, in quibus plurima sint, quae lector amplius persequi cogitatione possit. Primo formam clipei propius ob oculos adducit his verbis, ἵττυν et ὀμφαλόν, quo maiori alacritate deinde reliqua, quae commemorat, percipi possint atque animo comprehendendi. Tum γηραλέαν vocat, in quo verbo et cruoris, quo conspersus fuit clipeus, et sanctitatis quae-
 10 dam e vetustate oriundae significatio est. Deinde virtutem, quae possessoris fuerat, clipeo tribuit, idque sic, ut ab luce, quae ipsa est cum plurimis iucunditatis et magnificentiae cogitationibus coniuncta, ducat similitudinem. Denique possessorem describens, paucis verbis, sed magnam excellentium imaginum varietatem continentibus, virum lectori ostendit armorum splendore et corporis maiestate conspicuum. Addam huic exemplo descriptionem lascivientis equi ex Homero, quae bis in Iliade occurrit, semel, nisi fallor, posita ab antiquo poeta:

ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος, ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ,
 δεσμὸν ἀπορρήξας θείει πεδίοιο κροαίνων,
 εἰωθὼς λούεσθαι ἐϋρρέϊος ποταμοῖο,
 κυδιόων· ὑποῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χαίται
 ὤμοις αἴσσονται, ὃ δ' ἀγλαΐφει πεποιθὼς,
 ῥίμφα ἐγούνα φέρει μετὰ τ' ἤθηα καὶ νομὸν ἵππων.

Nolo singula in his persequi: illud tantum notari velim, mentionem caudae, quam equus vinculis ruptis ferociens

sublatam gestare solet, a poeta, diligentissimo alias naturae observatore omissam esse: in qua re curiosior fuit Plato in Phaedro cap. 77. p. 254. D. Sed quid sit, quod in illa descriptione poesis sibi vindicet, optime poterit intelligi, si quis equi illius imaginem pictura expressam cum imagine equi tolutum, ita ut equiso docuit, incedentis comparare volet. Equus enim, qualem Homerus describit, erecto capite, fluctuante iuba, luxuriante pedum glomeratione alacritatem, ferociam, terrorem spirat: alter iste, etiam si eximia sit pulcritudine, nihil nisi docet, quid sit gradus tolutilis.

Tertio loco de nexu cogitationum dicemus, cuius non potest non alia ratio in prosa oratione atque in poesi esse. Quum enim prosae orationis proprium sit, perceptiones referre ad res externas, idque notionum auxilio, quas format et constituit intellectus: apertum est omnem naturam cognitionis, quae hoc modo oritur, eo contineri, quod singularia per generalia comprehendimus atque intelligimus. Notiones enim comprehensiones sunt eorum, quae plurium rerum communia sunt. Itaque per notiones 11 aliquid cognoscere, id est intelligere esse aliquid in earum rerum numero, in quas notio aliqua quadret. Contraria poeseos ratio est. Haec quia perceptiones non ad res externas, sed ad sensum nostrum, nec per notiones, sed per ideas refert, a singularibus ad generalia adscendit, eaque singularium exemplorum auxilio ante mentem atque oculos adducere conatur. Ideae enim, quae poeseos omninoque pulcrarum artium propriae sunt, quum comprehensiones sint eorum, quae praeter notionem rei in quaque perceptione insunt, non possunt comprehendi notionibus atque exprimi, sed indicari tantum debent, atque exemplis demonstrari, quo animus multitudinem illam varietatemque perceptionum amplius persequi, comparare, coniungere queat. In quo negotio ob id ipsum, quod certis notionibus destituitur, iudicat varietatem illam pro ratione, qua ad ipsam iudicandi facultatem apta sit atque accommodata. Eam vero iudicandi rationem sensum pulcritudinis vocamus: qui propterea, quod ad plura perti-

net, quam in cuiusque rei notione insunt, generalium est per singularia perceptio. Tendit enim animus ad summum quoddam atque absolutissimum pulcritudinis exemplar, in idque intuens speciem quamdam deformare conatur, quae id, quod nulla specie satis exprimi potest, quasi e longinquo monstret, mentemque propius spectandi avidam fugiendo alliciat. Sensit hoc, de quo nunc disputamus, prosae orationis et poeseos discrimen Aristoteles, qui in artis poeticae cap. IX. quum quaereret, poeta quid ab historico distaret, historicum singularia, poetam generalia tractare docuit. Ita is loquitur: *ἡ μὲν γὰρ ποιήσις μᾶλλον τὰ καθόλου, ἡ δ' ἱστορία τὰ καθ' ἕκαστον λέγει. ἔστι δὲ καθόλου μὲν, τῷ ποίῳ τὰ ποι' ἅττα συμβαίνει λέγειν ἢ πράττειν κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀνάγκαιον· οὗ στοχάζεται ἢ ποιήσις ὀνόματα ἐπιτιθεμένη· τὰ δὲ καθ' ἕκαστον, τί· Ἀλκιβιάδης ἔπραξεν, ἢ τί ἔπαθεν.* Quae hic τὰ καθ' ἕκαστον dicit, ea sunt, quae singularia vocamus. Est enim historici, ut prosa oratione utentis, officium, de certa re sic exponere, ut generalibus usus notitiis cognitionem comparet lectoribus. Poeta vero, qui generalia curat, quae τὰ καθόλου dicit Aristoteles, non id agit, ut rem cognoscant auditores, sed ut cognoscenda re maiorem quamdam, multoque latius patentem imaginem animo concipiant. Vt, si quis historicus ea narraret, de quibus in Iliade expositum est, Achillem acciperemus Pelei et Thetidis filium fuisse, virum in Graeco exercitu fortissimum. Longe diversus Homeri Achilles est. Nihil curamus, utrum ille sit Achilles e Peleo et Thetide, an alius ex aliis natus; nihil utrum hos, qui tum ad Troiam militabant, virtute superaverit, an alios; nihil utrum ea, quae fecisse eum poeta refert, fecerit, an alia: sed simulacrum eum habemus atque effigiem viri nobilitate generis, animi et corporis virtutibus, factorum magnitudine et claritate excellentioris, quam alii sunt. Ita Herodotus, cuius historia quasi viam ab epica narratione ad eam, quae vere est historia, munivit, quum non solum cognitionem rerum gestarum, sed etiam vim ad animi sensum spectaverit, interdum ultra prosae orationis ter-

minos egreditur. Vt in ipso operis initio: *Ἡροδότου Ἀλικαρνησῆος ἱστορίας ἀπόδειξις ἦδε· ὡς μῆτε τὰ γενόμενα ἐξ ἀνθρώπων τῷ χρόνῳ ἐξίτηλα γένηται, μῆτε ἔργα μεγάλα τε καὶ θωμαστά, τὰ μὲν Ἕλλησι, τὰ δὲ βαρβάροισι ἀποδεχθέντα, ἀκλεᾶ γένηται.* Et cap. V. *τὸν δὲ οἶδα αὐτὸς πρῶτον ὑπάρξαντα ἀδίκων ἔργων ἐς τοὺς Ἕλληνας, τοῦτον σημήνας, προβήσομαι ἐς τὸ πρόσω τοῦ λόγου, ὁμοίως σμικρὰ καὶ μεγάλα ἄστεα ἀνθρώπων ἐπεξιῶν· τὰ γάρ τοπάλοι μεγάλα ἦν, τὰ πολλὰ αὐτέων σμικρὰ γέγονε· τὰ δὲ ἐπ' ἐμεῦ ἦν μεγάλα, πρότερον ἦν σμικρὰ. τὴν ἀνθρωπηϊήν ὧν ἐπιστάμενος εὐδαιμονίην οὐδαμᾶ ἐν τούτῳ μένουσαν, ἐπιμνήσομαι ἀμφοτέρων ὁμοίως.* Sed redeo, unde digressus sum. Singularia per generalia intelligere est cognoscere, generalia singularibus indicata persequi est cogitando ludere. Itaque prosae orationis propria cognitio est, poeseos animi lusus. Nexus notionum, quae sunt in prosa oratione, definitur legibus iis, quae ad cognitionem rerum pertinent, unde obiectivae a philosophis vocantur: iisque legibus constituitur veritas. Nexus idearum, quae sunt in poesi, leges habet, quae ad animi sensum spectant, quas leges subiectivas dicunt philosophi: per has vero pulcritudo efficitur. Itaque quae in descriptionibus, in narrationibus, in demonstrationibus falsa sunt et veritati repugnantia, demonstrari argumentisque refelli possunt: quae vero ad pul- 13
critudinem minus polita, vel etiam inepta sint, indicare licet, si alii idem sentiant, probari autem, si quis dissentiat, non potest. Afferam exempli caussa epigramma Mnasalcae, simile ei, quod supra commemoratum est.

*Ἦδη τὰδε μένω πολέμου δίχα, καλὸν ἄνακτος
στέρνον ἐμῷ νότῳ πολλάκι ῥυσαμένα,
καίπερ τηλεβόλους ἰούς, καὶ χερμάδι αἰνὰ
μυρία, καὶ δολιχὰς δεξαμένα κάμακας.
οὐδέ ποτε Κλείτοιο λιπεῖν περιμάκεια πᾶχυν
φραμί κατὰ βλοσυρὸν φλοῖσβον Ἐνναλίου.*

Neminem puto fore, cui placeat καλὸν στέρνον viro bella-

tori tributum, praesertim quum idem *περιμάκεια πάχυν* habuisse dicatur. Tamen quis neget, pulcrum pectus posse etiam tale intelligi, quale vel maxime virum valentem et robustum deceat? Nihilominus quis non persuasissimum sibi habeat, illud *καλὸν* non esse a manu Mnasalcae profectum? Hic, nisi fallor, *κάμνον* scripserat.

Ab iis quae hactenus disputata sunt, postremo ad eam deducimur cogitationum in prosa oratione et poesi differentiam, quae in vi posita est, quam utrumque genus ad animum habet. Apertum est enim, cognitionis finem atque effectum persuasionem esse, lusu autem oblectationem gigni. Vnde persuasio propria est prosae orationis cuius artem qui scientiam accommodate ad persuadendum dicendi esse censent, definiunt rectissime. Poeseos autem est oblectatio, atque ars poetica continetur facultate apposite ad sensum pulcritudinis dicendi. Haec quidem etsi satis per se clara sunt atque perspicua, paucis tamen exponendum videtur de persuasionem. Persuasum esse est credere convenire aliquam rem cum nostra eius rei perceptione. Est autem haec triplex convenientia, pro tribus illis viribus, quibus universa animi natura continetur: intelligendi facultatem dico, et sensum, et voluntatem. Ac res ad intelligendi facultatem ita referuntur, ut appareat, quales per se sint; ad sensum ita, ut intelligatur, quo effectu ad iucunditatem sint; ad voluntatem denique ita, ut mutua efficientiae ratio inter res externas atque animum intercedens perspicatur. Itaque omnis orationis, 14 quae ad persuadendum spectat, triplex officium, triplex forma est. Etenim aut in simplici rerum externarum expositione versatur, ut historicorum, philosophorum, eorum, qui artes ac disciplinas tradunt: aut in animi affectionibus et motibus excitandis expromitur, ut in laudationibus, omnique illo genere dicendi, quod *ἐπιδεικτικὸν* Graeci vocant: aut ad agendum denique et negotia hominum, studiis et cupiditatibus vel commovendis vel flectendis, refertur, ut in iudiciali orationum genere, omninoque in admonitionibus atque adhortationibus. Ac facile intelligitur, primum genus ex his, quod ad solam

rei, qualis per se est, cognitionem spectat, maxime omnium simplex ac planum esse. Secundum genus, quia vim declarare debet, quam aliqua res ad animi sensum habeat, concitatione quadam indiget. Pellendus enim et commovendus est animus, ut rem non tamquam ab se alienam consideret, sed aliquod momentum habere ad iucunditatem intelligat. Id igitur sic efficiendum est oratori, ut sive apertius sive tectius ea in mentem auditoribus revocet, quae simul et cum re, de qua dicit, coniuncta esse, et ab auditoribus eo studio, quod pro caussa sua commovere vult, accipi videat. In qua re illud efficacissimum est adiumentum, quod homines, uti alios animo affectos vident, ita ipsi iisdem motibus tangi perturbarique solent. In illo denique orationis genere, quod tertio loco numeravimus, quum non solum sensu aliquo afficiendi sint animi, sed studia etiam excitanda, cupiditatesque incendendae, etiam maior vis, motusque vehementior requiritur, quam in secundo genere. Neque enim satis est oratori, demonstrando efficere, ut eligere, quid faciant, auditores possint, sed deducere debet mentes eorum, unde velit, et, quo velit, compellere, atque omnino ita constrictas tenere, ut contraria consilia ne posse quidem sequi videantur. Itaque in hoc quidem genere maxima vis oratoris virtusque elucescit.

D e d i c t i o n e .

Sed posteaquam de cogitationibus explicavimus, ad sermonem adgrediemur, cuius quas fecimus duas partes, dictionem atque elocutionem, ex iis primo de dictione exponemus. Ac dictionem eum vocamus vocabulorum usum, quem notitiae et cogitationes, quae vocabulis indicantur, exigunt. Hunc pro fine prosae orationis et poeseos quattuor modis considerare oportebit. Etenim et ipsa vocabula, quae utriusque generis propria sunt, spectari convenit et qualitates vocabulorum, id est significationes, et nexum, qui positus est in constructione, et eam denique

totius orationis conformationem, quae animi varias affectiones prodit.

Ac primum quod ad ipsa vocabula attinet, neminem fugit, alia prosae orationis, alia poeseos propria esse vocabula. Horum ea, quae ad poesin pertinent, ob hanc ipsam causam, quod in communi sermone non sunt usitata, admonent lectorem vel auditorem, non solum rem de qua sermo est, sed alia etiam, quae cum ea re coniuncta sint atque cognata, cogitari debere. Est autem duplex horum ratio vocabulorum. Alia enim tota sunt poeticae orationis: ut *λυκάβας*, quo verbo non modo annum spatium, sed quidquid in tali temporis tractu praeterea cogitari potest, indicatur, veluti longa duratio, indefessus dierum decursus, mensura immensae aeternitatis. Ad idem genus infinita etiam compositorum multitudo pertinet. Alia formam tantummodo aliam in poesi, quam in prosa oratione, accipiunt, quae forma nunc aliquid ad vim significationis confert, nunc significationem quidem non mutat, sed tamen, quoniam ad solam poesin adhibetur, animum ad ea, quae in omni oratione ad pulcritudinis sensum apta sint, iubet advertere. E priori genere formae sunt antiquiores et rariores, quibus vel vetustas vel insolentia gravitatem aliquam ac dignitatem addit.

Olli respondet rex Albai longai.

Et apud Graecos poetae dialecti mutatio, ut *Ἀθάνα* in tragicorum trimetris, atque omnino Doricae linguae in tragoedia et comoedia usus. Est enim ipso sono grandior haec comuni. Ad alterum genus pertinent illae formae, quae poeticis flexionibus continentur, ut *δεξιτερός, ἐλάσασκε* *), quorum infinita multitudo in epico Graecorum sermone invenitur.

*) Hoc verbum ita tantum commemorari potuit, si communis quae vocatur Graecorum dialectus spectaretur. Neque enim natura sua istae verborum in *ασκον* et *εσκον* terminationes a prosa oratione abhorrent, sed formae sunt frequentativae Ioni-
bus usitatae.

Secundo loco de significatione verborum dicendum 16 est. Huius duae sunt formae, una simplex, altera translata, quam vocant tropicam. Vtraque et in prosa oratione et in poesi usurpatur, sed simplicem tamen illam, quia ad cognitionem rerum accommodatissima est, praecipue ad prosam orationem pertinere, tropicam autem in poesi quasi domicilium habere suum in promptu est. Ac de illa quidem forma, quam simplicem dicimus, nihil est quod hic disputetur. Quae ubi in poesi usurpatur, verba non suapte quadam vi, sed ob sententiam quae in iis inest poetica sunt. Tropos vero diligentius considerare operae pretium est. Ac tropos ita dicimus, ut quemcumque intelligamus verborum usum, qui a simplici et naturali significatione recedit. Nam qui tropos eo a figuris differre putant, quod tropi singulorum verborum, figurae coniunctorum sint, non plane verum videntur consequuti. Etenim nullum est verbum, quod utrum tropicam an non tropicam significationem habeat, aliter possis quam comparatione coniunctorum vocabulorum intelligere. Sunt autem troporum genera quattuor.

Primum genus ad numeri significationem spectat, eiusque tres formae sunt: pluralis numerus singularem significans,

αὐτόξυλόν γ' ἔκρωμα, φλαυρούργου τινὸς
τεχνήματ' ἀνδρός:

singularis pluralem indicans,

Phrygium ut nemus citato cupide pede tetigit:

pluralis singularem, simulque singularis pluralem denotans,

καὶ Σκύθης ὄμιλος, οἱ γὰρ
ἔσχατον πόρον ἀμφὶ Μαί-
ῶτιν ἔχουσι λίμναν.

Secundum genus troporum gradus notationem habet. Huius quoque tres formae sunt; prima, imminuto significationis pondere maiorem gradum indicans, quod est in deminutivis iis, quae vocantur ὑποκοριστικά, secunda forma minorem gradum aucta significatione notans:

maximus Atlas;

17 Tertia talis est, ut verbum limitatam duabus contrariis significationibus vim accipiat. Quod quidem non potest aliter fieri, nisi sic, ut altera significatio in alterius locum succedat. Vt quod de Vettio monumentum patris exarante dixit Caesar Augustus, *hoc est vere monumentum patris colere*. Nam *colere* ita dixit, ut, quum arationem vellet intelligi, honorem nominaret, quum autem honorem intelligeret, significaret arationem.

Tertium genus troporum spectat ad nexum, qui est inter res ipsas, in quibus significandis versantur tropi. Atque huius quoque generis tres formas numeramus. Prima est, qua nota rei pro re ipsa, vel res ipsa pro nota rei ponitur. Ac nota quidem pro re ipsa, ut *sceptrum* pro imperio, *Pelides* pro Achille. Aeschylus de Persis et Graecis:

πότερον τόξου ῥῦμα τὸ νικῶν,
ἢ δαρυκράνου
λόγῃς ἰσχυρὸς κερράτηκεν.

Secunda forma est, qua caussa pro effectu nominatur, ut *uva* pro vino, vel effectus pro caussa, ut *palma* pro victoria. Tertia denique forma est, qua totum pro parte, vel pars pro toto ponitur, ut quum populus pro rege eius, vel dux pro exercitu, equi, ut apud Homerum, pro curru cum equis nominantur.

Quartum denique genus troporum continet translationes a vi, quam res ad animum habent, factas. Atque apertum est, propriam huius generis esse similitudinem. Similia enim sunt, quae eandem vim ad animi cogitationem vel sensum habent. Est autem hoc quoque genus trium formarum. Prima ad similitudinem eam spectat, quam cogitatione comprehendimus. Exemplum afferam ex Aeschyli Agamemnone v. 1387. ita legendum: *)

πῶς γὰρ τις ἐχθροῖς ἐχθρὰ πορσύνων, φίλοις
δοκοῦσιν εἶναι, πημονῆς ἀρκυστάτων
φράξει' ἂν ὕψος κρείσσον ἐκπηδήματος;

*) Explicatione, non correctione indigebat vulgata scriptura.

Secunda forma rerum ipsarum nullam habet comparationem, sed similitudinem indicat affectionum animi, quae 18 e diversis rebus nasci solent.

Ἀρτέμιδος χιονοτρόφον ὄμμα Κιθαιρών.

Tertia denique forma similitudinem indicat affectionis animi propter opinionem aliquam necessariae. Eiusmodi sunt illi tropi, qui in blanditiis et conviciis inveniuntur. Qui primus, quem amaret, mel suum vel corculum, quem contemneret vel odisset, stipitem vel belluam vocavit, similitudinem vel ab animi sensu, vel ab rerum istarum natura petiit. Sed posteaquam ista verba usu certam significationem adepta sunt, vis, quae est in huiusmodi comparatione, non tam ex similitudine, quam ex opinione hominum iudicatur, et minus, quid sit simile, quaeritur, quam quid existimetur simile esse.

Sed redeundum est ad illud, unde egressa est haec de tropis disputatio. Tropos poeticae orationis proprios esse dicebamus. Est enim haec troporum natura, ut, quum aliud pro alio nominetur, animo quasi campus aliquis aperitur, in quem aliarum rerum varietate allectus libere possit excurrere. Id ipsum vero poeseos officium esse supra ostendimus, ut cogitatione aliarum rerum, quam quae argumentum carminis constituunt, mentem oblectet. Quod contra prosa oratio, quae unice ad cognitionem comparata est, evitare magis tropos, ut qui animum alio avocent, debere videtur. Quare si haec quoque tropis utitur, alia horum, quam quos poesis habet, ratio sit necesse est. Ac sane, ut prosa oratio a poesi, ita etiam tropi prosae orationis a poeticis differunt. Prosae orationis est cognitionem rerum afferre: itaque tropi, quibus utitur, tales sunt, ut res, a qua petita est translatio, ad cognitionem rei, ad quam adhibetur, referri debeat. In poesi vero, quae animum libero cogitationum lusu oblectare studet, haec est troporum vis, ut res, quae tropice per aliam rem significatur, per eam rem, unde ducta est translatio, ad animi sensum variis cogitationibus excitandum adhibeatur. Exemplo haec declarabimus. Lucere virtutem

hominis alicuius et prosae orationis scriptor et poeta dicere
 19 potest, sed uterque suo quodam modo dicit. Nam in prosa oratione tropus unice cognitioni inservit: quare si qua praeclara res lucere dicitur, tantum ex hac lucis significatione ad rem istam transfertur, quantum ad eius cognitionem opus est. Est autem hoc id, in quo cernitur similitudo. Lumen conspicuum est, conspicua est egregia res. Itaque lucere est conspicuum esse. In poesi vero quia tropus ad animi lusum refertur, non solum illud spectatur, quod lux cum illa re commune habet, sed ad ea quoque animum attendimus, quae propria sunt lucis, fulgorem, magnificentiam, vigorem, incunditatem, tum etiam ad opposita, tenebras, obscuritatem, languorem. Vt alio utar, palmam aliquis ferre in prosa oratione sic dicitur, ut illud tantum respiciatur, quod is cum eo qui vere palmam fert commune habet. Id est autem vicisse. Sed poeta quum loquitur de iis, quos *palma nobilis*

terrarum dominos evehit ad deos,

non victoriam, sed vere palmam, non victorem quemcumque, sed palma donatum dicit: quo fit, ut, quum vellet tamen quemcumque sacròrum ludorum victorem intelligi, animus lectoris latius vagari cogitatione, eaque omnia complecti possit, quae illa palmae mentio quasi e longinquo demonstret. Ex his intelligitur, qui fiat, ut idem tropus longe minorem in prosa oratione, quam in poesi, vim habeat. Atque omnino troporum prosae orationis non alia est virtus, quam ut significationem rei per tropum indicatae leviter augeant. Quare ii maxime probantur, qui usu ita sunt triti, ut vis eorum neminem latere possit. Minus laudantur novi atque audaciores, quia in his animus magis ad tropum, quam ad id, quod per tropum significatur, attendere solet. Quare id inprimis ante oculos habere in prosa oratione convenit, ut tropi, sicubi iis utimur, cognitionem rei adiuvent. Quod qui negligunt, prosae orationi poesin admiscent, ut Longinus in his: *μέτρον δὲ πατὴρ ὀυθμὸς καὶ θεός.*

Progredimur ad tertiam earum rerum, quibus prosa

dictio a poetica differt. Est ea in nexu verborum, quem constructionem vocamus, posita. Ac quoniam in aliis linguis alia est constructionis ratio, non potest prosae et 20 poeticae constructionis differentia ita explicari, ut singulae formae praeceptis illustrentur. Sed hoc tamen apertum est, prosae orationis constructionem copia vocabulorum, usu, collocatione, membrorum denique comparatione talem esse debere, quae quam maxime ad claram idonea sit perfectamque rerum intelligentiam. Poetica vero constructio, quae, ut ipsa poesis, ad animi oblectationem accommodata esse debet, liberior est, luxuriosior, audacior, illamque diligentiam, quam rerum accurata cognitio exigit, etiam vitare et studiosius effugere solet, tum novitate orationis, tum quadam etiam perturbatione. Rem exemplis quibusdam illustrabo. In scoliolorum collectionibus leguntur hi versiculi:

*συνετῶν ἔστιν ἀνδρῶν,
πρὶν γενέσθαι τὰ δυσχερῆ,
προνοῆσαι ὅπως μὴ γένηται·
ἀνδρείων δέ, γεγόμενα εὖ θέσθαι.*

Pene incredibile est, tam invenustos fuisse tot eruditos viros, ut haec carminis loco numerarent, in quibus nec verba, nec numeri, neque constructio quidquam habent, quod vel minima cognatione poesin contingat. Constructionem quidem patet plane ad prosae orationis morem conformatam esse, membris aequabili proportionem, et quidem accuratissime, disiunctis atque inter sese oppositis. Similes versus olim legebantur in Aeschyli Septem ad Thebas, v. 886.

*οὐκ ἐπὶ φιλίᾳ,
ἀλλ' ἐπὶ φόβῳ διακρίθητε,*

omissi nunc nostro monitu a Schützio. Cum his comparet aliquis velim haec Pindari:

*ἄριστον μὲν ὕδωρ, ὃ δὲ
χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ
ἄτε διαπρέπει νυ-
κτὶ μέγανος ἕξοχα πλούτου·*

- 21 εἰ δ' ἄεθλα γαρούεν
 ἔλδεται, φίλον ἦτορ,
 μηκέθ' ἁλίου σκόπει
 ἄλλο θαλπνότερον ἐν ἀμέρα φαινὸν ἄστρον ἐρή-
 μας δι' αἰθέρος
 μηδ' Ὀλυμπίας, ἀγῶνα φέρτερον αὐδάσομεν.

Nullum hic membrum alteri simile: omnia nova, non expectata, libero verborum decursu luxuriantia. Talis constructionum varietas quo longius ab omni regularum necessitate remota est, eo minus e conditione rerum, quae sermone exponuntur, petita esse, ad eamque referri videbitur. Nam quo quaeque adstrictior regulis quibusdam oratio est, vel maiore aequabilitate constructionum composita, hoc accuratius, quasi definitione quadam vel partitione facta, conditionem rerum exhaustire velle existimatur. Quare intelligentiae magis, quam oblectationi inservit, pro-samque orationem, non poesin decet. Praeterea vero quaedam constructiones plane sunt propriae poeseos, quibus in oratione prosa nullus locus conceditur, ut illa,

ἀλλὰ Δωριῶν ἀπο φόρ-
 μιγγα πασσάλου
 λάμβανε,

omninoque tmesis, quae vocatur. Et apud Romanos, ut,

*desine mollium
 tandem querelarum.*

Aliae contra non inveniuntur, nisi in prosa oratione, veluti talis: *mens aequa in adversis rebus, non secus moderata in secundis.* Nam et aequabilis membrorum comparatio, et omissio duorum verborum in altero membro, quae e primo repeti cogitatione debent, eam et diligentiae cuiusdam et brevitalis speciem prae se fert, quae ad rem clare describendam accommodatissima, ad animum autem oblectandum ineptissima est. Horatius scilicet (quis putasset?) ita loquutus fertur:

- 22 *Aequam memento rebus in arduis
 servare mentem, non secus in bonis*

*ab insolenti temperatam
laetitia, moriture Delli.*

Non melior aut magis poesin decens constructio existet, si quis cum Bentleio e duobus codicibus *non secus ac* reposuerit. Quid ergo? Itane scripsisse elegantissimum poetam credemus, an potius videbitur, una non littera, sed lineola deleta, emendationem experiri? Nam quanto ille pulcrius ita scripsisset:

*Aequam memento rebus in arduis
servare mentem: non secus in bonis
ab insolenti temperato
laetitia, moriture Delli.*

Perventum denique est ad ultimam dictionis partem, quae est totius orationis ad animi sensum conformatio. Ea vero figuris continetur. Sed de his quum mihi aperiendum est, non mediocriter me difficultate rei impeditum sentio. Tantum enim abest, ut hic locus, quantumvis operae in eo consumpserint veteres magistri, satis pertractatus videatur, ut ne illud quidem, quid omnino sit figura, plane habeamus expositum. Namque, ut aliorum sententias praeteream, si Quintilianum, acutissimum virum, sequuti, figuram diceremus conformationem quamdam orationis esse, remotam a communi et primum se offerente ratione, descriptio quidem haec figurae, non etiam definitio foret. Quenam enim existimari communis ratio deberet? aut quanam minus communis? aut quid esset, quo cognosceremus, utrum aliqua ratio primum se offerret, an quaerenda esset studiosius? Iisdem fere dubitationibus locum relinquit alia definitio, quam recentioribus quoque magistris placuisse vehementer miror. Hi, nec sine antiquorum auctoritate, figuram esse quamdam orationis vulgaris et simplicis cum virtute immutationem dicunt. Qui quidem, etsi virtutem illam quodammodo explicant, illud tamen non docent, quae sit vulgaris illa et simplex oratio, a qua ista virtus absit. Quae quum ita 23 sint, desertis aliorum sententiis, aliam figurarum definitionem quaerendam esse putamus. Atque quum universa

figurarum vis et virtus ad animi sensum referatur, quumque non in verborum significatione, sed in quadam conformatione totius orationis insit: figuram censemus eam esse dictionis rationem, quae praeter id, quod verborum significatu comprehensum est, aliquid aliud ipsa conformatione orationis exprimat. Hanc definitionem ita comparatam esse existimamus, ut simul et ea, quae in aliorum definitionibus vera sunt, contineat, et naturam figurarum finemque plane ac perspicue declarat. Verissimum scilicet est, quod iam veteres observarunt, recedere figuras a communi ratione dicendi: at nimirum hoc non explicarunt, quatenus esset illa communis ratio. Est vero, quam illi communem rationem non satis apte vocant, haec, qua aliquid ita exprimitur, ut id ipsum, neque aliud praeterea significetur. Id autem vel simpliciter fieri potest, vel per tropum. Nam tropus quoque hunc finem habet, ut id, quod verbi significatione continetur, non aliud, in cogitationem veniat. Quare, quum tropus quoque ista ratio complectatur, non satis commode communis dicitur, siquidem tropica dictio non est communi usu comprehensa. Hinc valde laborarunt artis rhetoricae doctores in constituendo figurarum et troporum discrimine: quoniam, si figuras a communi ratione dicendi recedere contendebant, ea definitio non poterat non etiam ad tropos spectare. Natura vero figurarum quae sit, et qui finis, planissime nostra definitio designat. Nam si praeter illud, quod significatu verborum continetur, aliquid expriment figurae, sponte patet, id non posse in ipsis rebus, de quibus aliquis loquatur, cerni, sed ad animi sensum, quo earum rerum notitias percipiamus, spectare debere.

Sed quoniam semel de figuris exponi coeptum est, age videamus an hic locus aliqua saltem ex parte obscuritate illa, qua hactenus premebatur, liberari possit. Quamquam enim et antiqui et recentiores artis rhetoricae doctores satis copiose de figuris disseruerunt, non est tamen mirum, si, natura figurarum non plane perspecta, non sunt
 24 certa quadam via et ratione ingressi. Atque illi non solum in enumerandis figuris temere versati sunt, sed multas

etiam posuerunt figuras, in quas minime quadrat figurarum appellatio. Planeque, si illorum vestigia sequi vellemus, nulla denique usquam non figurata oratio foret. Sed id quidem recte obseruarunt, duo esse figurarum genera, unum, quas verborum figuras, alterum, quas sententiarum vocant. Quamquam quid inter utrasque interesset, non plane aperuerunt. Figurae verborum, nostra quidem sententia, sunt quaedam conformationes orationis, quibus ea, quae materia est enunciationum, certam ad animi sensum vim accipit; figurae sententiarum, quibus forma enunciationum accommodate ad animi sensum mutatur. Vtrumque genus in quosdam locos videtur describi posse, ita ut, quidquid usquam sit figurarum, modo vere figurae sint, ad aliquem ex his locis referri debeat.

Atque in verborum figuris primo copia spectatur, qua aliquid enunciamus. Ea talis est, ut aut in iisdem vocabulis, quibus aliqua res designatur, sese contineat, aut plura adiungat, aut omnia, ex quibus constat ea res, explicet. Hae figurae sunt anadiplosis, pleonasmus, periphrasis. Anadiplosis,

*τῷ δ' ἐγὼ ἀντίος εἶμι, καὶ εἰ πύρι χεῖρας ἔοικεν,
εἰ πύρι χεῖρας ἔοικε, μένος δ' αἰθῶνι σιδήρῳ.*

Et quaecumque exstant similes formae, sive statim repetito verbo, sive aliis interiectis. Pleonasmus, *ποσὶ βάλειν, ἐν ὀφθαλμοῖς ιδέσθαι.* Periphrasis,

πατὴρ ἑμοῖο πατήρ.

Deinde aliae figurae ad veritatem rei pertinent. Harum prima, quae *λιτότης* vocatur, aliquid negat, sed ita, ut plus etiam affirmet, veluti quum non contemnendus dicitur, qui faciendus est plurimi. Secunda est ironia, quae ita affirmat aliquid, id ut potius neget. *P. Clodii mortem aequo animo nemo ferre potest:* et quae sequuntur. Tertia repugnantibus utitur, quae quum se invicem tollere videantur, non plane tamen tollunt. Haec vocatur oxymorum:

*ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα.
νάες ἄναες.*

Ad eandem formam etiam sarcasmus pertinet, qui conjunctione repugnantium quidem, sed verorum tamen praedicatorum continetur.

Porro nexus quoque verborum suas habet figuras. Copulantur enim verba aut sic, ut singula per se constant, quae figura dicitur synathroesmus:

στεναγμός, ἄτη, θάνατος, αἰσχύνη:
 Ἔκτορα δ' ἐκ βελέων ὑπαγεν Ζεὺς, ἐκ τε κούρης,
 ἐκ τ' ἀνδροκτασίης, ἐκ θ' αἵματος, ἐκ τε κυ-
 δοιμοῦ;

aut ut aliud ex alio pendeat, quae epizeuxis est,

viderat hanc, visamque cupit, potiturque cupita:

eoque pertinet etiam climax; aut ita denique ut conjunctione simul et distinctione singulorum totum quiddam efficiatur, quae figura partitio est: *hoc et ratio doctis, et necessitas barbaris, et mos gentibus, et feris natura ipsa praescrispsit.*

Postremo consideranda est ratio, quae rebus cum animi cogitatione sensuque intercedit. Ea ratio continetur notatione personarum. Nulla enim res est, quin pro diversitate modi, quo cogitatur, primae, secundae, tertiae personae esse possit. Ac quoniam nihil omnino, nisi personae notatione praeditum, cogitamus, si quae sunt in hoc genere figurae, eas permutatione personarum censerī necesse est. Aliter enim omnis personarum notatio figura foret. Iudicanda vero est harum ratio figurarum ex eo personarum discrimine, quod in quaque oratione fundamenti loco constitutum est. Id huiusmodi est, ut prima sit oratoris persona; secunda eius, quem alloquitur; tertia rei, de qua loquitur. Itaque tribus modis personae permutari inter se possunt. Namque aut secunda persona pro prima vel tertia ponitur, quum orator se ipsum vel rem, de qua sermo est, alloquitur, quod genus dicitur apostrophe: aut tertia persona primae vel secundae locum
 26 tenet, quum orator vel de se vel de eo quicum loquitur, tamquam de re quae argumentum sit orationis, exponit,

quod per risum vel in indignatione fieri solet: aut per primam personam secunda vel tertia indicatur, quum orator aut eum, quicum loquitur, aut rem, de qua explicat, loquentem introducit, quod genus nomen habet. prosopopoeiae. Duo huius praeclara exempla in prima Catilinaria sunt cap. VII. et XI.

Sequuntur figurae sententiarum, quas vocant. Harum naturam supra diximus in eo positam esse, quod formam enunciationum accommodate ad animi sensum mutant. Nam quum nulla cogitari possit enunciatio, quin quasdam habeat formas ex iis, quas logicas philosophi vocant, figurae, quae sunt in hoc genere, istarum permutatione formarum censentur.

Ac primo enunciationes omnes, quod ad materiam earum attinet, vel singulares sunt, vel particulares, vel generales. Harum formae ita inter se permutantur, ut vel particularis singularem, vel singularis particularem, vel generalis singularem pariter ac particularem designet. Itaque prima in his ea figura est, quae comparatio vocatur. Haec enim quum plurium rerum similitudinem et communitatem contineat, uni tamen rei cognoscendae inservit:

*λύκος γὰρ ὡστ' ὠμόφρων.
ἄσαντος ἐκ ματρὸς ἐστὶ θυμός.*

Secunda forma, quae singularis est particularem enunciationem notans, exemplum dicitur. Nimirum exemplum, si figura est, angustiore. quodam significato accipitur: quippe e multis rebus, quarum conditionem indicare volumus, una tantum nominatim affertur, nulla reliquarum mentione facta:

*ἦ γὰρ ξυνεισβάς πλοῖον εὐσεβῆς ἀνὴρ
ναύτησι θερμοῖς καὶ πανουργίᾳ τινί,
ὄλωλεν ἀνδρῶν ξὺν θεοπτύστῳ γένει.
ἦ ξὺν πολίταις ἀνδράσιν, δίκαιος ὢν,
ἐχθροξένοις τε καὶ θεῶν ἀμνήμοσιν,
ταύτου κυρήσας ἐνδίκως ἀγρευματος,
πληγῆς θεοῦ μάστιγι παγκοίνῳ δάμη.*

27 Tertia forma est, quae gnome dicitur. Ea sic usurpatur, ut, quum nominentur generalia, intelligi singularia debeant. Vt apud Aeschylum Robori Vulcanum adhortanti, ut vincula Prometheo iniiciat, ita respondet Vulcanus:

τὸ συγγενές τοι δεινόν, ἢ θ' ὀμιλία.

Sequuntur figurae ad qualitatem enunciationum, quam logici vocant, pertinentes. Hae tales sunt, ut aut non dicendo dicamus aliquid, aut dicendo faciamus, ut ad formam totius orationis aliquid pro non dicto sit, aut ita denique aliquid dicamus, ut, quum id deinde veluti pro indicto habuerimus, aliud eius loco inferri possit. Prima ex his figura est ea, qua non dicendo aliquid dicimus. Ea est ellipsis:

quos ego.

οὐκ εἰς ὄλεθρον;

Eodemque pertinet anacoluthon:

*μητέρα δ', εἴ οἱ θυμὸς ἐφορμᾶται γαμέεσθαι,
ἄψ ἴτω ἐς μέγαρον πατρὸς μέγα δυναμένοιο.*

Secunda figura est, qua dicimus aliquid ita, ut ad formam totius orationis pro indicto sit. Ea vero parenthesis est. Haec enim si omittitur, nihil deesse videbitur orationi, quia ad constructionem plane non pertinet parenthesis. Tertia denique figura est, qua aliquid pro indicto habendum significamus, addita quasi per parenthesin alia re, quae priorem istam tollat. *Vivit? immo etiam in senatum venit.* Clariora etiam huiusmodi exempla sunt, ut, *bona, immo optima caussa.*

Est porro aliud genus figurarum, quo ratio coniunctionis rerum inter sese per formarum orationis permutationem indicatur. In his prima figura est, quae rem ex nulla conditione pendentem per conditionem aliquam significat: *si quid est in me ingenii, aut si qua exercitatio dicendi.* Secunda figura est, qua res ex aliqua conditione suspensa sine conditionis significatione enunciat:

negat quis, nego: ait, aio.

Tertia figura antithesis est, cuius haec est ratio, ut alio²⁸ posito aliud opponatur: *ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia; illinc stuprum; hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc scelus; hinc constantia, illinc furor; hinc honestas, illinc turpitude; hinc continentia, illinc libido*: et quae sequuntur, aliter paullo conformata.

Postremum genus earum est figurarum, quae ad modum spectant quo enunciationes ad animi sensum referuntur. In his figuris primum locum tenet interrogatio. Sed non omnis interrogatio figura est, verum ea tantum, quae res, quae vel est certa, vel sumitur esse, per interrogationem denotatur. Interrogatio enim dubitationis est significatio. *Quis te ex hac tanta frequentia, et tot tuis amicis ac necessariis salutavit?*

Negat quis? nego: ait? aio.

Neque enim interrogatio pro conditione ponitur, sed videtur tantum ita poni, quia etiam sic dici potest: *si quis negat, nego*. At proprie per interrogationem non hoc, sed illud indicabatur: *sumo aliquem negare: tum ipse nego*. Secunda figura est exclamatio, qua aliquid, quod incertum est, quia non nisi sensu cuiusque aestimari potest, ut certum atque indubitatum enunciamus: *o tempora, o mores*.

O genus infelix humanum, talia divis quum tribuit facta, atque iras adiunxit acerbis; quantos tum gemitus ipsi sibi, quantaque nobis vulnera, quas lacrimas peperere minoribus nostris.

Ultima denique figura est ea, qua aliquid ita dicimus, ut id propter ipsam orationis conformationem ab omnibus accipi probarique debeat. Haec vero figura usu continetur noti vel celebrati dicti, quod ad nostram causam transferimus:

• *O Tite, si quid ego adiuro, curamve levasso, ccquid erit praemi?*

Ad hoc genus pertinent etiam proverbia, sed ita plerum-

que, ut simul aliam figuram, quae gnome est complectantur.

29 Quae hactenus de figuris dicta sunt, nihil esse aliud volui, nisi brevem huius loci adumbrationem, ex qua perspici posset, ad quod genus quaeque figura, quae quidem vere figura esset, referri deberet. Facile enim intelligi potest, in tanto, qui ab rhetoricis inventus est, figurarum numero multas esse, quae ad unum idemque genus pertinent; multas, quae e diversis generibus compositae sint; multas denique, quae ne sint quidem omnino figurae. Sed aperiendum est nunc de eo, quid sit, quo prosa oratio et poesis in usu figurarum differant. Ac figurarum haec universe vis est, ut orationem alacriorem reddant. Quare quum fere nulla sit figura, quin pariter in poesi atque in prosa oratione usurpetur, alacritas illa vigorque quem dictioni addunt figurae, pro diverso poeseos et prosae orationis fine diversam vim habebit. Nam in prosa oratione id, quod praeter verborum significationem figurae indicant, ad cognitionem, in poesi ad animi oblectationem accommodatum erit. Itaque eadem figura si in poeticis cogitationibus, in poetica dictione est, animi sensum; si in sententia et oratione prosa, cognitionem alacritate dictionis adiuvabit atque augebit. Vtar exemplo synathroesmi. Illa de Oedipo,

*στεναγμός, ἄτη, θάνατος, αἰσχύνη, κακῶν
ὅς' ἐστὶ πάντων ὀνόματ', οὐδέν ἐστ' ἀπόν,*

vel quae ipse dicit,

*ὦ γάμοι, γάμοι,
ἐφύσαθ' ἡμᾶς, καὶ φυτεύσαντες πάλιν
ἀνεῖτε ταῦτ' ὄνομα, κἀπεδείξατε
πατέρας, ἀδελφούς, παῖδας, αἴμ' ἐμφύλιον,
νύμφας, γυναῖκας, μητέρας τε, χῶπόσα
αἰσχιστ' ἐν ἀνθρώποισιν ἔργα γίνονται:*

haec igitur figura est oratoria, non poetica, quia finice ad id spectat, ut multarum rerum commemoratione malorum atrocitas magis intelligi comprehendique possit. Id

enim agit Oedipus, ut rem explicet atque demonstret. Aliter illud:

ἄμ φόνον, ἄν νέκρας, διά τ' ἔντεα καὶ μέλαν αἷμα.

Non est in hoc versu aliquod persuadendi studium expressum, sed animus poetae, pugnae contemplatione abreptus, cumulat ea, quae sensum maxime tangant, et ex quibus illa, quae reticet, coniectando praecipere mens queat. Clarius etiam diversitas prosae orationis et poeseos, quae est in figuris, perspicui ex eo potest, quod figurae quaedam in poesi, a qua persuadendi studium abest, aliam atque in prosa oratione constructionem admittunt. Vt synathroesmus in prosa oratione aequabilitatem structurae exigit, quo clarius pateat persuadendi cupiditas: cuiusmodi est illud modo commemoratum,

στεναγμός, ἄτη, θάνατος, αἰσχύνη.

In poesi vero non solum haec forma, expers illa quidem persuadendi conatu, usurpatur, ut in hoc,

*λάξετο δ' ἔγχος,
βριθύ, μέγα, στιβαρόν,*

sed etiam aliae liberiores et aperte ad animi lusum atque oblectationem accommodatae:

*ἐκατογκάρηνον πρὸς βίαν χειρούμενον
Τυφῶνα θοῦρον.*

Haec synathroesmi forma neque cum ea figura, quam partitionem appellavimus permutari potest, quia haec rei descriptionem partibus factis exhaurit, ut in hoc:

*εἰ δ' οὖν τις ἀπτις ἡλίου νιν ἱστορεῖ
χλωρόν τε καὶ βλέποντα,*

quod non est in hoc, *ἐκατογκάρηρόν τε καὶ θοῦρον*, ita ut, qui sic diceret, inepte diceret; neque una adiecta copula sic potest conformari, *ἐκατογκάρηνον καὶ θοῦρον*, quia haec forma non modo figura est nulla, sed etiam soli cognitioni inservit, id quod hic abesse debet. Quod si etiam copula iteratur, contrario modo se res

habet, quia in ipsa repetitione copulae alia figura, anadiplosin dico, inest:

αἰ δὲ μετ' αὐτούς,
*Κῆρες κνάναι, λευκοὺς ἀραβεῦσαι ὀδόντας,
 δεινωποί, βλοσυροί τε, σαφρινοί τ', ἀπλητοί τε.*

31 Quare diligenter caverunt Graeci poetae, ne duo epitheta, quae quidem nihil nisi ornarent orationem, copulae auxilio coniungerent. Bene enim intelligebant, hanc rationem non poeseos, sed prosae orationis propriam esse. Quo certius de hac re constet, exempla quaedam Aeschyli, quae in contrariam partem afferri possunt, corrupta esse ostendam. Horum duo iam alibi emendavi, unum, quod est in Septem ad Thebas v. 316. in observationibus criticis p. 46., ubi pro verbis languidissimis,

ἀνδρολέτειραν
 καὶ τὰν ῥίψοπλον ἄταν,

ita scribendum esse docui,

ἀνδρολέτειραν
 ἄταν, ῥίψοπλον ἄταν:

alterum, quod est in extremis Choephoris, alio loco, ubi in his,

παιδόβοροι μὲν πρῶτον ὑπῆρξαν
 μόχθοι τάλανές τε Θυέστου,

verba τὲ Θυέστου, ut manifeste ex interpretatione orta, omittenda censui. Sed alios nunc locos addam. Igitur in Prometheo v. 403., ubi recentiores critici ediderunt,

πρόπασα δ' ἤδη στονόεν
 λέλακε χώρα,
 μεγαλοσχήμενα κάρχαι-
 σπρεπῆ στένουσα τὰν σὰν
 ξυνομαιμόνων τε τίμαν,

quis non sentiat quam languide et frigide addita sit copula? Sed bene est. Nam aliter Aeschylum scripsisse non solum lectio librorum *μεγαλοσχήμενά τ' ἀρχαιοσπρεπῆ*, sed etiam verba, quae sunt in strophæ, *λειβομένα et ἔτεγξα*,

quorum alterum iniuria eiecerunt, alterum mutarunt critici, clare demonstrant. Accedit quod in plurimis libris non *στένουσα* est, sed *στένουσι*. Quare, ut brevi comprehendam, tantum abest, ut in stropha aliquid eiiciendum sit, ut in antistropha id, quod verbo illi male eiecto respondit, exciderit. Itaque servata librorum lectione, copula ab epitheto ad verbum transferetur, hoc modo:

μεγαλοσχήμονά τ' ἀρχαιοπρεπῆ
 * * * στένουσι τὰν σάν
 ξυνομαιμόνων τε τίμαν.

32

Credibile est nomen populi cuiuspiam interiisse: quamquam ne *στένουσα* quidem damnandum est, si quidem non gentis nomen, sed verbum ad *χώρα* pertinens excidit. Paulo post similis locus est de Atlante,

ὅς αἰὲν ὑπέροχον σθένος
 κραταιὸν οὐράνιον τε πόλον
 νῶτοις ὑποστενάξει.

In quibus verbis non modo haec, *κραταιὸν οὐράνιον τε πόλον*, merito displicebunt, sed reliqua etiam omnia quo pacto vel construenda sint, vel intelligi queant, haud facile quisquam explicaverit. Neque enim dubitari potest, quin haec ita corrupta sint, ut sine librorum novis auxiliis vix queant sanari. Equidem ne in loco saepius frustra tentato nimium tribuere coniecturis videar, non tam emendare eum, quam emendandi viam ostendere conabor. Atque illud primum facile persuasero iis, qui tragicorum lectione exercitati sunt, verba *ὑπέροχον σθένος*, quum sequantur haec *οὐράνιον τε πόλον*, de Atlantis robore, non de pondere caeli esse intelligenda. Quo magis nomine aliquo, vel etiam verbo, opus est, quod et regat verba ista, et aliquo modo ad ipsum Atlantem spectare indicet. Eius verbi sedem ut in nomine *κραταιὸν* quaerendam arbitremur, duobus adducimur, iisque non levibus argumentis. Nam et metrum (carmen enim antistrophicum est) vocem illam corruptam esse arguit, et, si aliud vocabulum reponi possit, copulae usus, qui nunc ineptus est, reprehensione caruerit. Atque haec ipsa copula su-

spicionem obliterati alicuius participii, quam universa huius loci ratio excitat, magnopere videtur confirmare, si quidem Aeschylus, ut ad Vigerum p. 753. docui, copulam inferre post participium consuevit. Certi quidem nihil in tanta loci corruptione afferri potest, sed litterarum vestigia sequentibus videndum erit, ne hic lateat participium verbi *καρταίνειν*, quod ex Hesychio in lexica receptum, sed nondum in quoquam alio scriptore repertum

33 est. Illud certe crediderim, si omnino istud verbum vitio caret, explicationem *καρτείν*, quam Hesychius et Favorinus adscripserunt, ut a forma verbi alienam, corruptam esse, et in *καρτύνειν* mutari debere. Vt cumque est, (dabitur enim haec venia, ut certe in exemplum emendationis isto participio utamur) hanc propemodum loci istius formam fuisse probabile est.

*Ἄτλανθ', ὃς αἰὲν ὑπέροχον σθένος
καρταίνων, οὐράνιον τε πόλον
νώτοις ὑποστεγάζει* *).

Alia exempla in Choephoris exstant, quorum unum, quod erat in v. 389. in editione Glasguensi novissima sublatum est. Sed restant tres alii loci. V. 587.

*πτῆνά τε καὶ πεδοβά-
μονα ἀνεμοέντων
αἰγίδων φράσαι κότον.*

Vbi quis adeo erit invenustus, qui vel verbo monitus copulas istas ferri posse sibi persuadeat? Sed hic quidem locus emendationis nullam habet difficultatem. Scribendum ita:

*πτᾶνα δὲ καὶ πεδοβάμον' ἀπ' ἀνεμοέντων
αἰγίδων φράσαι κότον.*

Hic *καὶ* non copula est, sed ad verbum pertinet, *ἀπ' ἀνεμοέντων* autem hoc facilius est correctio, quia in codice Guelferbyitano ita scriptum est: *πεδοβάμον' ἀπ' ἀνεμοέντων*. Sequitur hic locus v. 722.

* In huius loci emendatione verum est *ὑποστεγάζει*. Caetera hodie aliter constituenda puto.

*νῦν γὰρ ἀκμάζει Πειθῶ δολία
 ξυγκαταβῆναι, χθόνιον δ' Ἐρμῆν
 καὶ τὸν νύχιον τοῖσδ' ἐφοδεῦσαι
 ξιφοδηλήτοισιν ἀγῶσιν.*

Nihil profecto frigidius potuit neque languidius dici, quam *χθόνιον Ἐρμῆν καὶ τὸν νύχιον* *). At adeo manifesta hic sunt interpretationum indicia, ut ne dubitari quidem posse putem, quin ita scripserit Aeschylus:

νῦν γὰρ ἀκμάζει Πειθῶ δολίαν 34
*ξυγκαταβῆναι, νύχιόν θ' Ἐρμῆν
 τοῖσδ' ἐφοδεῦσαι
 ξιφοδηλήτοισιν ἀγῶσιν.*

Νύχιος enim idem est, quod magis usitatum *χθόνιος*, ut *ἐννυχίων* pro *χθονίων*, et *ἐννυχον ἄδαν* pro *χθόνιον* dixit Sophocles Oed. Col. 1556. Trach. 501. Porro mesodus est in Choephoris haec v. 802.

*τόδε καλῶς κτάμενον, ᾧ
 μέγα ναίων στόμιον εὖ
 δὸς ἀνιδεῖν δόμον ἀνδρός,
 καὶ νιν ἐλευθερίως
 λαμπρῶς τ' ἰδεῖν φιλίσις
 ὄμμασιν, δνοφεράς
 καλύπτρας.*

In his non solum insolens verbum *ἀνιδεῖν*, praesertim sequente statim *ἰδεῖν*, omninoque nexus verborum, sed etiam illa, *ἐλευθερίως λαμπρῶς τε*, quae satis manifestam prosae orationis speciem habent, lectori creant molestiam. *Τε* quidem in duabus veterrimis editionibus et codice Guelferbytano abest. Sed amplius progredi debet emendatio. Nam utrumque adverbium, et *ἐλευθερίως* et *λαμπρῶς*, interpretatio est alius adverbii, *ἀνέδην*, quod scri-

*) Non minus putidum est, quod apud Euripidem legitur Iph. T. 399. *τὸν εὐνδρον καὶ δονακόχλοα λιπόντες Εὐρώταν*. Recte vero duo codd. omittunt *καί*: corruptam autem vocem emendavit Elmsleius.

pturae depravatione mutatum fuit in *ἀνιδεῖν*. Argumenta huic coniecturae satis luculenta tum Suidas et Favorinus, tum Eustathius ad Homerum p. 168, 36. suppeditant. Quanto iam omnia non modo facilius, sed etiam elegantius procedunt:

*τόδε καλῶς κτάμενον, ὦ μέγα ναίων
στόμιον, εὖ δὸς ἀνέδην δόμον ἀνδρὸς
καί νιν ἰδεῖν φιλίοις
ᾄμμασιν ἐκ δνοφερᾶς καλύπτρας.*

DE DIFFERENTIA PROSAE ET POETICAE ORATIONIS DISPUTATIO.

P A R S II.

D e e l o c u t i o n e .

Denique ad elocutionem adgredimur. Nam quum orationis haec sit natura, ut cogitata vocis auxilio significantur, non solum ea sunt in vocibus considerata, quae hominum arbitrio usuque ad cogitatorum rationem indicandam constituta sunt, (nam haec etiam in alio signorum genere locum habitura essent) sed illa etiam respicere convenit, quae propria sunt vocis, neque ad argumentum et materiam cogitationum, sed ad vim spectant modumque, quo ad animi sensum accipiuntur. Tanta enim inter cogitationes est vocemque necessitudo, ut non modo in sermonibus, quos audimus, convenientiam quamdam vocis et sententiarum requiramus, sed etiam in iis, quae tacite legendo cognoscimus, si quid occurrat, quod ad vocis sonum in pronunciando aut ingratum esset aut insigniter suave futurum, statim aut offendamur, aut maiorem in modum delectemur. Sunt autem hae vocis conformationes, quas elocutionis nomine comprehendimus, quattuor generum. Primum genus pro ipsa sonorum natura constituitur: secundum in modulatione vocis positum est: tertium numeros complectitur: quartum denique ad assae vocis et concentus discrimen spectat.

Ac primo, quod ad ipsam vocum naturam attinet, eius duae sunt formae, una, quae cantus vocatur, altera, quae expers cantu est. Harum sive quis diversam ad animos vim, sive eam, quae ipsarum est conditio, spectet, cantum fateatur necesse est ad poesin, vocem quae sine cantu est ad prosam orationem referendam esse. Apertum est enim, sine cantu eos loqui, qui cognosci aliquid ab aliis volunt: cantum autem ea esse vi praeditum, ut unice ad suavitatem atque oblectationem factus videatur. Quin etiam ipsa vocis quae est sine cantu, et eius quae cantus dicitur diversitas, qui sit utriusque finis, clare indicat. Nam, si quidem ego aliquid in hac re video, vocis, quae non habet cantum, ea est ratio, ut sonos confusius, neque accurato et aequabili aeris pulsu distinctos proferat. Quare quae sic pronunciantur, in his satis habemus, si illa vocum discrimina notari possunt, quae ad vocabulorum significationem et vim percipiendam audiri atque discerni necesse est. Id vero est eius orationis, quae ad cognitionem composita est: quae quia nihil curat aliud, nisi ut notitiae rerum animo comprehendi queant, omnem vim suam in eo expromit, ut has quam efficacissime mentibus insinuet. Aliter se res habet in cantu. Hic quoniam voces edit aequabili aeris pulsu discretas, non tam ad id, quod vocibus significatur, animum subigit attendere, quam puritatem earum et discriminata certis proportionibus intervalla observare. Itaque, ut ipsa natura ad suavitatem factus, totus ad animi oblectationem adhibetur. Vnde proprius est poeseos. Sed est hic nobis ad duas quaestiones respondendum. Nam etiamsi haud temere quisquam dubitabit, quin cantus ad poesin, vox cantu expers ad prosam orationem pertineat, erunt tamen fortasse, qui id usui magis et consuetudini, quam necessitati cuidam tribuendum esse existiment. Hi igitur neque cur prosa oratio semper et ubique cantum adspernari, neque cur poesis non esse sine cantu debeat, intelligere sese fatebuntur. De utraque re nos aliter sentimus. Atque a prosa quidem oratione cantum abesse debere hoc facilius vice-
rimus, quod id vel suus quemque sensus docet. Cantus

enim non est naturalis vox, sed arte composita, neque ad res significandas, sed ad pulcritudinem conformata, neque ad negotia vitamque apta, sed in lusu posita. Quare qui cantu uteretur ad hunc finem, ut cogitata sua aliis nota redderet, is non solum alienum adhiberet adminiculum, quippe quod a cognitione rerum ad sensum pulcritudinis avocaret animos, sed etiam suo ipsius consilio repugnaret, qui rem seriam in ludum, veritatem in oblectationem, vitae negotia in otiosam contemplationem verteret. Similis est poeseos sine cantu recitatae ratio. Quamquam enim, si sententiae, si dictio satis ad pulcritudinem elaboratae sunt, cantus videtur omitti posse, praesertim quum etiam in iis carminibus, quae tacite legimus, absit: est tamen quaedam non levis caussa, quare eum in carminum recitatione necessarium iudicemus. Etenim in pulcris artibus omnia, quae carent pulcritudine, quum eam admittant, non solum non augent vim affectumque artium, sed, quia pulcritudo desideratur, turbant eum atque impediunt. Itaque quemadmodum poesis, a qua metrum abest, poesis quidem est, sed minus perfecta, quia pulcritudinem sententiarum dictionisque detractio pulcritudinis numerorum laedit, ita cantu omissio offensionem facit hoc, quod, quum caetera sint ad pulcritudinis sensum conformata, sola vox a fine poeseos recedat, et cognitionem magis quam voluptatem curare videatur. Hic quoque optima ad veritatem dux natura est. Vna enim cum cantu orta poesis, cantoresque dicti primitus, qui postea, divisum artium officium, discriminatim poetae vocabantur.

Secundo loco in iis rebus, quibus prosa elocutio a poetica differt, modulationem vocis posuimus. Ea appellatione sic utimur, ut comparisonem syllabarum in quovis vocabulo, quam Graeci vocant prosodiam, intelligamus. Atque huius duae sunt formae. Nam in pronunciandis vocabulis aut solam syllabarum mensuram notamus, aut praeter mensurae significationem etiam accentum adiicimus. Vtra harum sit formarum ad poesin, utra ad prosam orationem accommodata, non potest obscurum esse. Accentus enim non modo hanc vim atque hunc

usum habet, ut significationes vocabulorum discernat, et qua quidque potestate dicatur indicet, sed etiam tali temperamento cum mensura confunditur, ut severitatem mensurae atque accuratam proportionem minuat. Itaque quum ex una parte ad cognitionem rerum atque intelligentiam spectet, ex altera parte autem pulcritudine illa, quae in mensurarum aptis comparationibus est, careat, prosae orationis, non poeseos est. Mensura vero non solum quod accentu, qui verborum significationis demonstratio est, caret, sed etiam quia durationem sonorum certis proportionibus indicat, a cognitione eorum, quae verbis denotantur, ad ipsam vocis considerationem, et contemplationem pulcritudinis, quae est in iusta temporis dimensione, animos avocatur. Inde propria poeseos ea pronuntiatio est, quae mensuram neglecto accentu exprimit. Confirmantur ea, quae diximus, experientia exemplisque linguarum. Ac Graecos quidem Latinosque in prosa oratione accentum, in poesi solam mensuram sequutos constat. Quorum de Latinis certior foret clariorque disputatio, nisi in perpauca tantum vocabulis accentus, quo in communi fermone utebantur, vel e grammaticorum testimoniis notus esset, vel probabili coniectura posset exputari. Vt *exinde*, de quo Servii habemus auctoritatem, et infinitivi praeteritorum activorum, qui contractionem admittunt, ut *amavisse*, quorum accentum e contractione divinare licet. In Graeca vero lingua certa res est: quae simulatque in duas formas divisa est, poeticam et prosam, prosa accentum conservavit, poetica plane reiecit. Antiquissimis enim temporibus, nondum illo discrimine constituto, accentus etiam in poesi aliquam dominationem habebat: quod in Homero et Hesiodo plurimis potest et luculentissimis documentis cognosci. Inde vero multae verborum conformationes, in quibus mensura propter accentum neglecta esset, deinde ut legitimae manserunt atque in epicum sermonem receptae sunt. De his in libro primo de metris poetarum Graecorum et Romanorum explicatum est. Eadem, quae tum fuit Graecae linguae ratio, nunc Germanicae est. Sequimur enim fere accentum etiam in poesi: sed veniet ali-

quando, si recte auguror, tempus, quum certior mensura negligere accentum, et poeticam quamdam pronunciationem constituere docebit. Initia certe huius rei quaedam videre iam nunc licet, ut apud Klopstockium,

*weisst du auch, Gleim, noch, wie, o undurstigster
von allen Sängern:*

quod ineptus foret, qui ob neglectum accentum reprehenderet.

Tertia prosae et poeticae elocutionis differentia posita est in numeris. Atque hoc quidem in promptu est, neque indiget demonstrationis, metrum poeseos esse, numerum metro solutum prosae orationis. Sed quid sit, quo metrum ab oratoriis numeris differat, nondum quisquam ex tot tamque praeclaris rhetoricae artis doctoribus satis videtur explanasse. Nam quae e Graecis Aristoteles, Demetrius, Dionysius Halicarnassensis, Longinus, aliique, ex Romanis autem imprimis Cicero et Quintilianus de hac re disputarunt, iis vereor ne perturbaverint magis hunc locum, quam expediverint. Depromam quaedam ex his. Atque Aristoteles ita de numero oratorio scribit: τὸ δὲ σχῆμα τῆς λέξεως δεῖ μήτε ἔμμετρον εἶναι, μήτε ἄρρυθμον· τὸ μὲν γὰρ ἀπίθανον· πεπλάσθαι γὰρ δοκεῖ, καὶ ἅμα καὶ ἐξίστησι· προσέχειν γὰρ ποιεῖ τῷ ὁμοίῳ πότε πάλιν ἦξει· τὸ δὲ ἄρρυθμον ἀπέραντον. δεῖ δὲ πεπεράνθαι μὲν, μὴ μέτρον δέ· ἀγνὸς γὰρ καὶ ἄγνωστον τὸ ἀπειρον. περαίνεται δὲ ἀριθμῷ πάντα· ὁ δὲ τοῦ σχήματος τῆς λέξεως ἀριθμὸς ῥυθμὸς ἐστίν, οὗ καὶ τὰ μέτρα τμητά. διὸ ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μὴ· ποίημα γὰρ ἐστίν· ῥυθμὸν δὲ μὴ ἀκριβῶς· τοῦτο δὲ ἐστίν, εἰς μέτρον τοῦ ἦ. Apertum est, alia in his falsa, alia ambigua esse. Ac falsum est, quod metrum dicit illum esse numerum, qui recurrat. Hoc enim ut fiat in versibus heroicis, in anapaestis, in iambis, in carminibus antistrophicis, at num etiam in iis metris, quae vocantur ἀπολελυμένα? In quibus quum versus omnes inter se sint dissimillimi, omnique repetitione numerorum destituti, oratorios existimare hos numeros, ex Aristotelis quidem

sententia, non poeticos oportebit. Deinde quam hoc est ambiguum, quod numeros oratorios esse quidem numeros, verum non plane, sed quadamtenus contendit. Id quidem ut velit intelligi, nusquam significavit. Mox vero alio modo sibi repugnat, ubi quum heroicos numeros, et iambicos, et trochaicos in prosa oratione improbasset, ita scribit: *οἱ μὲν οὖν ἄλλοι διὰ τε τὰ εἰρημμένα ἀφετέοι, καὶ ὁ διότι μετρικοί. ὁ δὲ παιὰν ληπτέος· ἀπὸ μόνου γὰρ οὐκ ἔστι μέτρον τῶν ῥηθέντων· ὥστε μάλιστα λανθάνειν.* Atqui, ut paeonici neque sint dactylici, neque iambici, neque trochaici numeri, metrum tamen constituent, et quidem notissimum et usitatissimum, atque ex iis metris, quae continua perpetuitate iterari solent. Quare Demosthenis illud, *τοῖς θεοῖς εὐχομαι πᾶσι καὶ πάσαις*, comparatum est a Dionysio Halicarnassensi p. 238. cum hoc versu,

Κρησίους ἐν ῥυθμοῖς παιδα μελψώμεθα.

Ita hic versus legendus videtur, non,

Κρησίους ἐν ῥυθμοῖς παιδα μέλψωμεν.

Addit enim Dionysius, *ἔξω γὰρ τοῦ τελευταίου ποδός, τὰ γε ἄλλα ἐν πᾶσιν ἴσα ὄρισται.* Itaque si nota et usitata metra in prosa oratione vitanda sunt, laudatissimus ille Demosthenis locus non minus reprehendi debet, ac si versum heroicum admisisset. Fortasse tamen Aristoteles non voluit pedem paeonem primum vel quartum constanter servari, ut est in exemplis, quibus utitur,

*χρυσαιοκόμα ἕκατε, παῖ Διός,
μετὰ δὲ γᾶν ὕδατά τ' ἠφάνισε νύξ,*

sed mixtos iuter se, ita ut in eodem membro uterque esset, usurpandos censuit. Ita certe mentem eius cepisse videtur Demetrius sect. XXXVIII. XXXIX., qui hoc exemplum e Thucydide affert: *ἤρξατο δὲ τὸ κακὸν ἐξ Αἰθιοπίας.* Paulo propius verum accessisse videtur Longinus: quamquam hic quoque ita perplexe loquitur, ut magis obscuro quodam sensu, quam clara intelligentia rem videatur comprehendisse. Demosthenis locus est hic: *τοῦτο τὸ*

ψήφισμα τὸν τότε τῇ πόλει περιστάντα κίνδυνον παρελ-
 θεῖν ἐποίησεν, ὥσπερ νέφος. Eum Longinus sect. XXXIX.
 dactylicis numeris compositum dicit, de qua re nota est
 inepta disputatio Clarkii ad Iliad. II. 537. Neque enim
 hoc voluit Longinus, solo pede dactylo hunc omnem lo-
 cum decurrere, sed regnare in eo et primarium esse dacty-
 lum, si quis non mensuram, sed pronunciationem accentu
 temperatam spectaret. Quamquam, si ultima verba, ὥσπερ 9
 νέφος, pro Ionico a maiori, ut videtur, habuit, falsus
 est simili errore, ac Dionysius Halicarnassensis, qui ubi-
 que, nulla accentus ratione habita, mensuras syllabarum
 respicit. Cuius ad exemplum si Thucydidis verba, quae
 p. 136. affert, ita dimetiri aliquis volet, ἐπαινοῦ | σι τὸν
 προς | θέντα τῷ | νόμῳ τὸν | λόγον τόν | δε, quis hic,
 obsecro, numerus erit? Neque rectius in hoc genere ver-
 satus est Cicero, qui in lib. III. de oratore cap. 47. et 48.
 quum Aristotelis sententiam commemorasset, a paeonico
 numero exorsum dicit Fannium, si, *Quirites, minas illius,*
 qui quidem in prosa oratione non magis sunt numeri paeo-
 nici, atque hi sunt heroici, *urbem Romam a principio*
reges habuere. Sed Cicero quoque verum sensit, modo
 explicare scivisset. Nam ego, inquit, *illud assentior*
Theophrasto, qui putat orationem, quae quidem sit po-
lita atque facta quodammodo, non adstricte, sed re-
missius numerosam esse oportere. Scilicet non est mi-
 rum, si artis rhetoricae doctores, qui ad accentum non at-
 tenderent, prosae orationis numeros a poeticis non potue-
 runt satis accurate distinguere. Poeticus numerus hic est,
 qui, neglecto accentu, mensurae quibusdam varietatibus
 continetur. Huius lex et ratio certis durationibus, certo-
 que ordine sonorum comprehensa est. Neque is cogni-
 tioni, sed oblectationi inservit: unde initia, fines, interca-
 pedines non pro verborum atque orationis distinctionibus,
 sed pro ipsa mensurarum commoda distributione constitu-
 tas habet. Eaque ratio metrum vocatur. In prosa autem
 oratione numeri accentu reguntur, qui quum nec tollere
 plane syllabarum mensuram, neque ab ea ipse tolli possit,
 numeros efficit e duplici numerorum genere, mensura ac-

centuque, constantes, in quibus potiore locum accentus, secundarium mensura tenet. Itaque imminuta mensurae severitate, unde oratorium numerum Cicero remissioem, Aristoteles *ῥυθμὸν μέχρι τοῦ* vocat, quod de pulcritudine metrici numeri detrahitur, rependit vis accentuum, aucta vocabulorum significationis potestate, et eo decursu verborum instituto, qui ad sententiae intelligentiam est potentissimus. Quamobrem distinctiones non habet alias, nisi quae orationis quoque divisiones sunt. Ita iam explicare 10 licebit Longini de illo Demosthenis loco sententiam, in qua etiam Klopstockius a vero aberravit. Nimirum dactylici sunt isti numeri maximam partem, si quidem metricorum numerorum nominibus in hoc genere uti licet: *τοῦτο τὸ | ψήφισμα | τὸν τότε τῇ | πόλει | περιστάντα | κινδυνον | παρελθεῖν ἔ | ποιήσεν | ὥσπερ | νέφος*. Indicabo horum rationem numerorum iis signis, quibus in metrica arte utimur; sed accentu prosae orationis, non metrico, notato:

$\begin{array}{cccccccc} \acute{\cup} \cup & | & \acute{\cup} \cup & | & \acute{\cup} \cup & | & \acute{\cup} & | & \cup \cup \cup & | & \acute{\cup} \cup & | & \cup \cup \acute{\cup} & | & \acute{\cup} \cup & | \\ \acute{\cup} \cup & | & \acute{\cup} \cup & \end{array}$

Ita haec, *si, Quirites, minas illius*, hunc habent numerum:

$\acute{\cup} \cup & | & \cup \cup & | & \acute{\cup} & | & \acute{\cup} \cup$

et haec, *urbem Romam a principio reges habuere*, hunc:

$\acute{\cup} \cup & | & \acute{\cup} \cup & | & \cup \cup \cup & | & \acute{\cup} & | & \cup \cup \cup$

Propemodum intelligi ex his potest, quid sibi velit illud, quod in prosa oratione verba ita collocari vetant, ut aut integri versus, aut partes certe versuum nasci videantur. Primum enim hoc non nisi de usitatissimis metris accipiendum est, quae quoniam ita sunt nota, ut neminem lateant, non sunt propterea vitanda, quia numeri isti ad prosam orationem non sint apti, sed quod ob frequentem in poesi

usum etiam cogunt auditorem poeseos recordari. Deinde vero sic tantum vitiosi sunt hi numeri, si etiam consentiente accentu poetici sunt. Nam si accentus facit, ut ne audiri quidem metrum, quod in mensura syllabarum est, possit, quemadmodum in isto Fannii exordio, vel Taciti, aut hoc T. Livii, *facturusne operae pretium sim*, ita metrum et numeri poetici occultantur, ut vix tenuissima eorum vestigia maneant. Quodsi etiam accentus ad poeticos numeros ducit, ut in illo Ciceronis de oratore I. 10. *instaret Academia, quae, quidquid dixisses, id te ipsum scire negaret*, ea negligentia scriptoris est, non satis a poeseos contagione sibi caventis. Caeterum uterque numerus suas habet leges, non sane quod ad vim et pulcritudinem attinet, (nam hae utriusque communes sunt) sed si vocabulorum conditionem, orationis complexiones, usum denique et consuetudinem spectes. Vt in quibusdam versibus, maxime in anapaesticis, nihil offensionis habent plura contigua verba eiusdem longitudinis et mensurae:

φροῦδος πρέσβυς, φροῦδοι παῖδες.

In prosa autem oratione si plura verba parem et longitudinem et accentum habentia continuantur, ut haec ipsa Euripidis, intolerabilia sunt, praesertim in fine sententiae. Quare ibi si ponuntur, videndum, ut vim quamdam hic numerus habeat, quae non est in aliis numeris. Vt in Demosthenico illo, *ὥσπερ νέφος*. Id recte observat Longinus nusquam potuisse melius, quam in fine, collocari; nec perinde esse, utrum *ὥς νέφος*, vel *ὥσπερ εἰ νέφος* dicatur. Ex his numeris melior certe esset hic, *ὥσπερ εἰ νέφος*, quia etiam in antispastico exitu aliquod robur est; multo deterior alter, *ὥς νέφος*, qui paene ad mollitiem amphibrachi accedit. Sed fortissimus omnium is est, quo usus est Demosthenes, ut asperrimus maximeque praeruptus. Similis fere ratio in verborum complexionibus obtinet, in quibus cavendum, ne vel inter se nimis sint similes, vel membrorum pari conformatione lectorem defatigent. Contra in poesi haec similitudo numerorum sive

in membris periodorum, sive in ipsis periodis fere legitima est. Porro numeri oratorii lex est, ne ultra spiritum et latera producat: eaque lex ad periodos, earumque membra spectat. In poesi eadem sane, sed tantum in versuum longitudine, non etiam in complexionibus verborum, lex est. Denique usus et in oratoriis numeris et in poeticis, non ille quidem temere, sed ob aliquam virtutem numerorum, certas quasdam consuetudines stabilivit. De qua re in oratoriis numeris perobscura quaestio est, maximeque indigens vivae atque in ore hominum versantis linguae. Certiores poeticorum sunt numerorum consuetudines. Hi enim quia multo minorem habent, quam prosae orationis numeri, varietatem, eamque ipsam certa ratione in quaedam genera divisam, aliquanto facilius poterit, qui aurem lectione poetarum adsuefecerit, usitata ab insolentibus, ea quae potuerint usurpari ab iis quae non potuerint, discernere. Quod qui fecerit, negabit is, puto, huiusmodi versum a quoque tragico factum:

τᾶς δυστάνου Κολχίδος,

nedum ut reponat usquam. Alia huiusmodi exempla in chori carmine, quod est in Euripidis Oreste v. 310. seqq. reperiuntur. Eiusdem generis quaedam versuum caesurae sunt. Vt in illo Aeschyli,

καὶ μὴν φίλοις ἔλεινός εἰσορᾶν ἐγώ.

etiamsi ita legatur,

καὶ μὴν φίλοις ἔλεινός εἰσορᾶν ἐγώ,

erit tamen quod usitatam caesuram esse neglectam mireris. Quanto enim elegantius scripsisset,

καὶ μὴν ἔλεινός εἰσορᾶν φίλοις ἐγώ.

Cur ergo non hoc reponimus? Scilicet praetenditur caesura, quae vocatur *ἐφθημιμερής*, multum illa, ut putant, usitata. Atqui si haec caesura ne est quidem omnino caesura, quid tum? Equidem certe Aeschylum, quum posset legitimam caesuram levissima ordinis verborum mutatione consequi, non arbitror id eum

non fuisse facturum. Verum, nisi fallor, alio modo caesuram illam conservavit. Nam quum in duobus codicibus *φιλοισιν* legatur, ita eum scripsisse veri simillimum est:

καὶ μὴν φίλοισιν οἰκτρὸς εἰσορᾶν ἐγώ.

Sed satis dictum de numeris. Reliquum est, ut de ultima prosae et poeticae elocutionis differentia explicetur. Ea vero posita est in vi, quam vox pro diversis prosae et poeticae orationis finibus ad animos hominum habet. Ac quoniam prosae orationis hic est finis, ut rerum cognitionem atque intelligentiam afferat, id in primis curari in elocutione debet, ut clara sit vox atque distincta. **13** Poesis autem quum ad sensum pulcritudinis referatur, atque ipsa quoque elocutione animos commovere studeat, operam dare poterit, ut, etiam si nonnihil impediatur sententiarum intelligentia, vox tamen quantum potest plena, sonora, grandis, coagmentata, et pene tumultuosa ad aurem accidat. Quamobrem prosa oratio assam vocem requirit, quam non modo sic intelligimus, ut symphonia musicorum instrumentorum, sed etiam ut aliarum vocum concentus absit. Confunduntur enim coniunctae voces, neque exaudiri satis cognoscique id, quod quis loquitur, sinunt. Poesis vero, quae non ad cognitionem, sed ad oblectationem apta est, ac saepe cognita iam et omnibus nota canitur, densatis vocibus et symphonia confertam vim in animos hominum effundit.

Sed haec hactenus. Venio nunc ad id, cuius caussa haec altera pars disputationis de prosae et poeticae orationis differentia in lucem emissa est. Indicenda est enim litteratis huius urbis civibus in diem XII. Martii solemnitas publicae orationis, qua demandatum nuper mihi munus Ordinariae Professionis Eloquentiae auspicaturus sum. Cuius muneris ratio quum, his praesertim temporibus, hoc maxime a me videatur exigere, ut studia antiquarum litterarum, nimis illa iam contemni coepta, pro virili parte tueri, suumque iis honorem conservare admittat oratione illa, quid hoc sit, litteras humaniores colere, quamque vim habeat, conabor ostendere. Sed praeter haec, quae

ipsius muneris caussa mihi dicenda puto, etiam gratias agere oportet iis, quorum id consilio et patrocínio consequutus sum. Ac sive ipsum beneficium respiciam, muneris dignitas, officii gravitas, honoris amplitudo largissimam gratulandi materiam praebent; sive eorum, a quibus tributum est, recorder, **FRIDERICI AVGVSTI, Serenissimi**
14 **Principis, clementia, sapientissimorum eius amicorum auctoritas, amplissimi ordinis philosophorum gratia et commendatio, aliorum denique summorum virorum studium ac voluntas, ita mihi et exoptata et cumulata contigerunt, ut nihil neque ad pietatem sanctius, neque ad animi sensum antiquius gratis agendis habere me posse arbitrer. Quo magis, ut** **RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PRINCIPES CELSISSIMI, COMITES ILLVSTRISSIMI, GRAVISSIMI VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES, NOBILISSIMI ET HVMANISSIMI COMITITONES** hanc orationem nostram praesentia sua et frequentia celebrem reddere velint, qua pietate quoque studio decet, rogamus.

OBSERVATIONES DE GRAECAE LINGVAE DIALECTIS.

Graecae linguae cognitio his temporibus paucorum quidem, sed eximiorum hominum studiis, eos progressus fecit, ut doctrinae loco haberi posse incipiat. Doctrinam autem dicimus eiusmodi scientiam, quae et certis fundamentis nitatur, et leges quasdam habeat, quibus amplificari et perpoliri possit. Nam et multa, quae ante dubia erant, nunc explorata habemus, et alia, de quibus ante nemo dubitabat, nescire nos scimus: ita ut altera horum ignorare, altera scire turpe sit. Id quum nonnulli non videantur intellexisse, horum eos, qui sciunt quae sciri nequeunt, plerumque nota nescire; illos autem, qui nesciunt nota, scire quae non possunt sciri videas. A qua levitate, qua nihil litteris est perniciosius, ut dehortarer tirones, quibus haec destinata est scriptio, visum est quaedam de Graecae linguae dialectis dicere, non illa quidem ignota, sed multis tamen neglecta. Est autem hic locus maximi momenti, quod sine accurata eius cognitione nullus de Graecis scriptoribus ita, ut par est, tractari potest. Patet enim latissime, neque in formis quibusdam et terminationibus vocabulorum consistit, sed in constructione verborum, in significatione, in colore totius orationis, in metris et mensura, multisque aliis in partibus versatur, ad quas animadvertendas illustrandasque diligentissima lectione, acutissimo iudicio, saepe etiam curiosa antiquitatis et

historiae pervestigatione opus est. Nondum exstitit, qui Graecae linguae dialectos eo studio, quo decebat, explicaret, praeter H. Stephanum, qui quidem soli Atticae dialecto operam adhibuit, sed eam tanta cum cura, tantaque cum eruditione, ut nihil postea, quod cum illo libro comparari posset, in hoc genere editum sit. Quamquam quae hic scripsit, non leviter aucta sunt quum aliorum, tum Dawesii diligentia: cuius verstigia, sed nimis religiose, sectatus est Brunckius: nostra autem aetate plurimas contulit atque egregias observationes R. Porsonus. Reliquas dialectos qui accurate persequeretur, nemo inventus est. Nam praeter quasdam Hemsterhusii et Valckenarii adnotationes, Koenius ad Gregorii libellum, more gentis suae, multas formulas congerere satis habuit, nihil generatim disserens; Maittairius autem operoso labore, sed sine iudicio, promiscue bona mala collegit.

Qui de Graecae linguae dialectis dicere instituebant, initium disputationis, mea sententia, ab ea lingua repetere debebant, ex qua istae diversitates, quae dialecti vocantur, ortae sunt. Enimvero qualis fuerit ista lingua nescimus. Fateor: verumtamen formis, quibus dialecti inter se differunt, colligendis et comparandis non modo hoc efficitur, ut, quae sint antiquiores, quae recentiores, appareat, sed etiam ratio intelligitur, qua quaeque dialectus in mutandis verborum formis usa sit. Sic vero ea quoque, quae prima specie levia esse videntur, idoneis indicis, quid antiquissimum fuerit, aperiunt. Est autem interdum non parvi momenti, scire, quid commune fuerit Graecae linguae, antequam temporum locorumque mutationibus in varias formas distraheretur. Celebre exemplum afferamus, digamma Aeolicum, quod alii in Homeri Hesiodique scriptis usurpatum contendunt, alii ab his scriptoribus abiudicant. Abhorret, inquit hi, ab Homero, scriptore Ionico, Aeolicae litterae usus. Id qui primus dixit, per iocum, opinor, dixit: sed arripuerunt alii, et vel conviciis pro ea opinione pugnant. Quid vero? Multis argumentis cognoscitur, ista littera non solos usos esse Aeolenses, sed Dorienses omnes, et esse hunc usum

adeo antiquum, ut initio universae Graeciae communis fuisse videatur. Quid ergo mirum, si hanc litteram etiam Iones antiquissimis temporibus usurpabant, donec ea paulatim ex usu et ore hominum emigraret? Nihil huic coniecturae nisi nomen obstat. At quis non videt, quum Dorienses rudes essent litterarum, ii autem, qui Ioniam et insulas Aeolicas tenebant, primi ad artes et poesin animum adiicerent, nomen litterae Aeolicae non ad sonum, sed ad solam spectare notam, qua Aeoles sonum ab antiquis acceptum scribendo indicaverint. Dorienses si prius scriptis inclaruissent, Dorica vocata esset littera, qua Arcades etiam ante natam in caelo lunam usi fuerant. Igitur quum soli Aeolenses digamma singulari nota indicarent, reliqui Graeci, apud quos haec nota non erat in usu, alias litteras, ubi digamma scribendum esset, adhibebant. Et quum digamma proprie triplici sono significando videatur inserviisse, uni labiali, qui apud Latinos *v*, apud nos *w* est; alii, qui pene ad vocalem *u* accedit, ut Britannorum *w*; tertio gutturali, qui nunc asperior et plenior erat quam *χ*, nunc propemodum ut *gu* vel *ng* proferebatur: hi soni, et qui ex iis orti sunt, per *β*, per *ο*, per *υ*, per *γ*, per spiritum asperum, per *σ*, per *ρ*, et apud Romanos per *qu* indicabantur. De litteris *β*, *υ*, *γ*, et spiritu aspero apud omnes constat. Cur reliquas addiderim, intelligent, qui similia consideraverint, ut *οἶκος*, *Ἰοῖλος*, *Μοῦσα*, *aurarum*, *quoi*, *quem*: in quibus vocibus digammi vestigia aperiunt hae formae, *vicus*, *Ἰλεύς*, *Μῶα*, *αὐράων*, *οἶ*, *ἔ*. Quoniam genitivi *aurarum* mentionem feci, qui manifesto Graecam originem habet, non abs re esse puto, etiam secundae Latinorum declinationis genitivum tetigisse. Qui quum indicio sit, vetustissimos Graecos *οἰκῶρων* et similia dixisse, et inde *οἰκῶων* et *οἶκων* exstitisse, dubitari poterit, an Homeri *ἑάων* et Hesiodi *βλεφάρων ἀπὸ κνανεάων*, et quae horum exemplo recentiores poetae finxerunt, solis debeantur grammaticis.

Ex antiquissima illa Graecorum lingua duas alias, Doricam et Ionicam, et harum ex Dorica Aeolicam, ex Ionica Atticam ortas esse, communis est opinio, nec falsa

illa, si recte intelligatur. Proxima enim veterrimae Graecorum linguae erat Dorica. Ex hac maiore cultu exstitit Aeolica, in universum tamen tenacissima antiquitatis. Dorica lingua utebantur etiam Iones, qui quum Athenas tenerent, partemque Asiae minoris occupassent, ii, qui in Asia erant, mitissima caeli temperie invitante, antiquam asperitatem paullatim exuentes, molliore lingua uti coeperunt, alii tamen aliter: hinc quattuor formas linguae Ionum enumerat Herodotus I, 142. Athenienses autem, quod is populus plurimarum gentium commercio utebatur, ex omnibus pene linguae formis aliquid contrahebat: de qua re disseruit Piersonus ad Moeridem p. 349. Mox quum Iones, qui erant in Asia, poesin et studia litterarum colere coepissent, ab his eruditio migravit Athenas, eaque re factum est, ut Atheniensium sermo, is certe, quo in scribendo utebantur, ad Ionum imitationem conformaretur. Paulo post, quum primatum in Graecia tenerent Athenienses, ad communem usum magis sese accommodarunt scriptores.

Vel e brevissima hac descriptione intelligitur, Graecae linguae dialectorum tractationem esse difficillimam. Augetur autem haec difficultas eo, quod non modo ad temporum locorumque diversitatem, sed etiam ad scribendi genus, quo quisque scriptor usus est, respici debet. Ita non idem est, utrum historicus, an orator, an philosophus loquatur. Quamquam in his hoc tamen commodum accidit, quod quisque eius gentis, ex qua ipse est, lingua, eaque pura, utitur. Quod longe aliter est, ubi ad poetas animum adieceris. Qui quum nulla cuiusquam gentis dialecto pura utantur, neque iudicari ex illis dialectis, neque ubique idonea pro iis testimonia praebere possunt. Vt breviter dicam, praeter illas gentium singularum linguas etiam poseos generum diversae dialecti sunt, quas quidem neque solas sine gentium linguis, neque has, neglecta poetarum diversitate, recte tractaveris.

Vetustissima omnium epica poesis est, cuius origo in ea tempora incidit, quibus formari incipiebat dialectus Ionica. Quare qui primi exstiterunt epici carminis aucto-

res, etsi propius accedunt ad eam linguam, quae postea vocabatur Ionica, plurima tamen habent, quae Doricus, vel, ut rectius dicam, communis veterum Graecorum sermo usurpabat. Nondum enim penitus apud Iones obmutuerat Dorismus. Praeterea iidem poetae, metri maxime commoditatem spectantes, alia, quae communis usus iam adspernabatur, conservabant, alia etiam nova introducebant. Ita sermo quidam exstitit proprius poetarum: (poetae enim omnes erant epici) qui sermo quum esset Homeri exemplo nobilitatus, non licebat epico poetae alia lingua uti, quam quae ad Homeri exemplum esset conformata. Sic epica dialectus exstitit, servata illa per omnes aetates, licet paullatim vel ex aliis poseeos generibus, vel e grammaticorum disputationibus, vel denique poetarum negligentia aliquid labis contraheret. Quamobrem epicae quoque dialecti diversae formae sunt, quarum aliquas ipsa Homeri carmina, plures scripta reliquorum continent epicorum. Has igitur formas nisi quis diligenter distinxerit, neque sentire recte de epicis poetis, neque tuto emendationem aggredi poterit.

Epicam poesin consequuta est lyrica, quae initio modeste ab epica digrediens, mox, relicto epicorum exemplo, singularum gentium linguis sese applicuit, ita tamen, ut quaedam ab epicis, tamquam universae poseeos communia, derivaret. Nullum est enim genus poseeos, quod non aliquid certe ab epicis acceperit. Ac lyricae quidem poseeos tres maxime formae sunt, antiquissima, quae Ionismum epicorum sectata est, tum Aeolica ac Dorica, denique communis quaedam. Etenim quum Ionica non sat dignitatis habere videretur, Aeolica autem ac Dorica, quod paucarum gentium propriae essent, apud reliquas gentes nimis peregrinae haberentur, alia inventa est forma, quae neque Dorismi granditate careret, neque notam haberet peregrinitatis. Haec igitur e moderato Dorismi usu et epico sermone conflata est, unde communem vocant grammatici. Eius illustre exemplum in Pindari carminibus exstat.

Insequuta est tragoedia, quae in iambis quidem et

trochaeis Attica lingua utitur, sed ea et veteri et admixtis quibusdam Doricis atque epicis formis; in melicis autem carminibus communem lyricorum orationem sectatur, Dorismo tamen magis temperato, multisque exclusis epicorum licentiis; denique mediam quamdam inter chori et diverbiorum dialectos rationem usurpat in magna parte anapaestorum.

Comoedia, ut consentaneum erat, communem populi sermonem imitabatur, apud Siculos Doricum, Athenis Atticum. Atque Atticus quidem comicorum sermo quantum a tragico distet, notum est: sed ipse quoque temporum successu aliquantum immutari coepit, ut non perinde sit, utrum Aristophanem an Menandrum auctorem sequere, quando ne in ipsius quidem Aristophanis fabulis eadem est dictionis ratio. Caeterum etiam apud comicos chori carmina certis conditionibus Dorismum admittunt.

Post illa tempora, quibus apud Athenienses floruerat poesis, quum illa genera, quorum iam exempla exstabant, colebantur, tum alia quaedam nova sunt inventa, quae maxime ex epico et Dorico genere composita sunt. Haec quoque temperatio leges suas finesque habet, de quibus operae pretium foret quaerere curiosius.

Quae quum ita sint, facile intelligitur, poeticam dialectum, quam quidam commentum sunt, aut omnino e dialectorum numero tollendam esse, aut, si servanda est ea appellatio, ad illa tantum restringi debere, quae poetae omnes communia habent. Haec vero perpauca sunt. Nec tamen inutile foret, ea omnia colligere, quo clarius perspici posset, quibus rebus poeticus sermo a prosa oratione diversus fuerit. Apertum est enim, haec, quae poetae in omni genere scribendi, caeteri autem scriptores in nullo usurpant, primariam continere utriusque sermonis differentiam.

Descripsi haec primis tantum lineis. Nam singula persequi nec possum, nec, si possem, nunc quidem vellem. Illud planum est, has dialectos, quas non immerito poeticas appellaveris, et latius patere illis, quae in prosa oratione inveniuntur, et plures habere difficultates. Ac

latius patent, quia in poetis metrum accedit, quod ipsum vel pro generibus poeseos, vel pro aetatibus diversas leges habet: difficiliore autem sunt, quod fastidioso quodam temperamento e variis dialectis mixtae sunt, ut, nisi multam in hoc genere diligentiam adhibueris, proclivis via ad errorem sit. Quo magis adolescentes, qui Graecas litteras tractant, monendi sunt, ne putent quidquam adeo leve esse, ut nulla inde percipi possit utilitas. Minutissimae enim istae res radices sunt artis, quas qui parvi pendunt, pariter reprehensionem merentur, ut illi, qui in his rebus solis haerent, quem ad finem eae res tractentur oblitum. Volo haec exemplis quibusdam illustrare; eaque talia expromam, ad quae alios attendisse non noverim.

Aeschylus, Sophocles, atque Euripides, quum et in eodem genere scribendi elaboraverint, et aetate pene sint aequales, plurima communia habeant necesse est. Sunt tamen, quibus unusquisque horum ab reliquis discedat: neque solum inter se hi scriptores valde differunt, verum etiam, Sophocles saltem atque Euripides, haud parum ab se ipsis discrepant. Vt luculento exemplo utar, quanta cum diligentia in quibusdam horum tragoediis versus elaborati sunt, tantam in aliarum versibus fabularum negligentiam invenias. Quod non est casu factum. Nam quum Sophocles atque Euripidis aetate, quum quidem iam diu mortuus esset Aeschylus, furiose tragoediis delectarentur Athenienses, orta sunt illa

*μειρακύλλια,
τραγωδίας ποιούντα πλείν ἢ μυρία,
Εὐριπίδου πλείν ἢ σταδίῳ χαλίστερα.*

qui homines quum non possent non corrumpere artem tragicam, ne meliores quidem poetae, quoniam istos quoque placere populo animadvertebant, illud studium, illamque diligentiam, qua ante erant usi, retinuerunt. Quae mutatio facta est Olympiade XC. et XCI. *). Ita-

*) Vide praefationem meam ad Eurip. Suppl. p. 4. Elem.

que graviter erraret, qui, si quid Sophocles in Philocteta, Euripides in Phoenissis, in Oreste, in Iphigenia Aulidensi negligenter scripserunt, idem eos sibi indulgere potuisse in Antigona, in Medea, in Heraclidis crederet. Immo criticus, antequam ad harum fabularum emendationem accederet, quo quaeque tempore scripta sit, et proinde, quantum in quaque aut studii aut incuriae ferri possit, investigabit. Patet vero, vicissim e diligentia poetae vel negligentia aetatem fabulae elucescere. Sic ante Olympiadem XC. graviter improbatus fuisset tragicus, qui talem versum fecisset:

ὡς πόλυν ἀπῆσθα χρόνον ἐν Αὐλίδος μυχοῖς.

Non possum, quin hic Rhesi mentionem faciam, de cuius fabulae scriptore diversissimae exstant doctorum hominum sententiae. Valckenario, summo viro, non absurda videbatur Delrii suspicio, hanc fabulam ab illo Euripide scriptam esse, qui nobili tragico e fratre nepos erat *). Recentiore esse fabulam his, quas ab Euripide Mnesarchi f. scriptas habemus, non est dubium: quamquam, si trimetros consideres, florentissimis tragicæ artis temporibus factam credas. Neque enim credibile est, quum extrema aetate Euripidis adeo inclinata esset tragoedia, tam bonos versus a suppari poeta esse conditos. Haec res mirum quantum labefactat opinionem Delrii. Sed haec ipsa versuum elegantia, si reliqua quoque, quae in isto carmine singularia sunt, bene perpensa fuissent, monstrare poterant, neque Athenis eam fabulam scriptam esse, nec tam brevi intervallo contingere aetatem Euripidis. Similiter epica poesis, quae pene iam interierat, feliciter restaurata fuit ab Nonno.

doctr. metr. II. 14, 15. p. 123. seq. Elmsleium ad Eurip. Med. p. 70. (55. ed. Lips.) et quae in adnotationibus ad eum librum dixi p. 329.

*) Hanc sententiam tueri studuit Boeckhius in libro quem scripsit de tragicis Graecis p. 228. seqq.

Transeo ad aliam rem. Constat in Graecorum poetarum scriptis versus quosdam reperiri, quorum ultima syllaba, quod sequens versus a vocali incipiat, elidatur. Haec res natura sua eorum versuum, qui systematis comprehensi sunt, propria est; aliena autem ab his carminibus, quae κατὰ στίχον composita a grammaticis vocantur. Abhorret igitur ab epica poesi; abhorret ab iambis tragicorum. Apud Homerum tamen ter, nisi fallor, occurrit εὐρύοπα Ζῆν' in fine versus positum, quod doctiores grammatici sic scribebant, ut litteram ν sequenti versui adderent, falso quidem, quum poetis aliter visum esse aliunde clarum sit. Sed de illo quidem nomine recte sensisse hos puto, qui sine elisione Ζῆν scribebant. Multa sunt enim nomina, quorum breviores quaedam formae, sive audacia quadam, sive quod antiquitas iis usa esset, a poetis usurpantur, quae nomina plerumque sedem sibi in extremo versu vindicant. Exempla quaedam commemoravit Strabo p. 560. (364.) Certiora elisionis in fine versus exempla in tragicorum trimetris exstant, nullum quidem apud Aeschylum, sed unum, si recte memini, in Euripideis fabulis, plura in Sophocleis. Et Sophocles quidem primus hoc facere ausus est, teste Athenaeo lib. X. p. 453., cuius locum, quod valde memorabilis est, post aliorum curas emendatum adscribam: ὁ δὲ Ἀθηναῖος Καλλίας (ἐξηγουμένον γὰρ ἔτι πρότερον περὶ αὐτοῦ) μικρὸν ἔμπροσθεν γενομένου τοῖς χρόνοις Στράτιδος, ἐποίησε τὴν καλουμένην γραμματικὴν θεωρίαν, οὕτω διατάξας· πρόλογος μὲν αὐτῆς 11 ἐστὶν ἐκ τῶν στοιχείων, ὃν χρὴ λέγειν τὰ τῶν στοιχείων διαιρούντα κατὰ τὰς παραγραφάς, καὶ τὴν τελευταίαν καταστροφικῶς ποιουμένους εἰς τὸ ὦ·

ἔστ' ἄλφα, βῆτα, γάμμα, δέλτα, θεοῦ πάρ' εἰ,
 ζῆτ', ἦτα, θῆτ', ἰῶτα, κάππα, λάμβδα, μῦ,
 νῦ, ξῦ, τὸ ου, πῖ, ρῶ, τὸ σάν, ταῦ, ὑ παρόν,
 φῖ, χῖ τε, τῶ ψῖ εἰς τὸ ὦ.

ὁ χορὸς δὲ γυναικῶν ἐκ τῶν σύνδυο πέποιημένος αὐτῶ
 ἐστὶν ἔμμετρος ἄμα καὶ μεμελοπεποιημένος τόνδε τὸν
 τρόπον· βῆτα ἄλφα, βῆτα εἰ, βῆτα ἦτα, βῆτα ἰῶτα,

βῆτα οῡ, βῆτα ῡ, βῆτα ω̄; καὶ πάλιν ἐν ἀντιστρόφῳ τοῦ μέλους καὶ τοῦ μέτρου, γάμμα ἄλφα, γάμμα εἰ, γάμμα ἦτα, γάμμα ἰῶτα, γάμμα οῡ, γάμμα ῡ, γάμμα ω̄· καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν συλλαβῶν ὁμοίως ἐκάστων τό τε μέτρον καὶ τὸ μέλος ἐν ἀντιστρόφοις ἔχουσι πᾶσαι ταυτὸν· ὥστε τὸν Εὐριπίδην μὴ μόνον ὑπονοεῖσθαι τὴν Μῆδειαν ἐντεῦθεν πεποιηκέναι πᾶσαν, ἀλλὰ καὶ τὸ μέλος αὐτὸ μετενηροχότα φανερόν εἶναι· τὸν δὲ Σοφοκλέα διελεῖν φασὶν ἀποτολμῆσαι τὸ ποίημα τῷ μέτρῳ, τοῦτ' ἀκούσαντα, καὶ ποιῆσαι ἐν τῷ Οἰδίποδι οὕτως·

ἐγὼ οὐτ' ἔμαυτὸν οὔτε σ' ἀλγυνῶ· τί ταῦτ'
ἄλλως ἐλέγχεις;

διόπερ οἱ λοιποὶ τὰς ἀντιστρόφους ἀπὸ τούτου παρεδέχοντο πάντες, ὡς ἔοικεν, εἰς τὰς τραγωδίας· καὶ μετὰ τὸν χορὸν εἰσάγει πάλιν ἐκ τῶν φωνηέντων ῥῆσιν, οὕτως, ἣν δεῖ κατὰ τὰς παραγραφὰς ὁμοίως τοῖς πρόσθεν λέγοντα διαιρεῖν, ἵνα ἢ τοῦ ποιήσαντος ὑπόκρισις σώζηται κατὰ τὴν δύναμιν·

A. ἄλφα μόνον, ὦ γυναῖκες, εἰ τε δεύτερον μόνον λέγειν χρή, καὶ τρίτον μόνον γ' ἔρεῖς.
H. ἦτ' ἄρα φήσω; *A.* τό τε τέταρτον γ' αὐ μόνον ἰῶτα· πέμπτον οῡ· τό θ' ἔκτον ῡ μόνον λέγε. *Ω.* λοῖσθιον δ' ἐγὼ τί φωνῶ σοι; *A.* τὸ ὦ τῶν ἑπτὰ φωνῶν· ἑπτὰ δ' ἐν μέτροις μόνον· καὶ τοῦτο λέξασ', εἶτα δὴ σαυτῇ λάλει.

Multos hic locus interpretes frustra exercuit, in iisque eum quoque, qui novissime de fragmentis poetarum ab Athenaeo servatis mereri studuit in Ephemer. Ienens. a. 12 c10I0cccvi. mense Octobri, fol. 247 — 251., quae censura, si recte conicio, a viro iuvene scripta est, qui impenso metrorum studio captus, nihil prius habuit, quam ubique metra restituere. At in hoc genere nemo recte versabitur, antequam tragicos et comicos cognoverit. Et quid metra prosunt, si sensum, si dialectos, si grammaticam, si prosodiam, si metra denique ipsa leviter cures?

Omnino qui sat multi nuper eo consilio ad Athenaeum convolarunt, ut poetarum testimonia, quibus is utitur, metris suis restituerent, quae res ut in Athenaei libro non est ultima, ita ne prima quidem est, vellein reputassent, esse in hoc genere multa, quae emendare non posse magis dedecori, quam emendasse laudi esset. Callias iste, non diversus fortasse a comico eius nominis, in fabula illa, quam, ut alibi refert Athenaeus, grammaticam tragœdiam nominaverat, quum universe *τραγικὸν λῆρον*, ut Aristophanis verbis utar, tum nimium in versibus exaequandis artificium videtur perstringere voluisse. Eam rem ita instituit, ut mulieres, quibus litterarum nomina imposuerat, elementa discere faceret. Quam his mulieribus additam fuisse magistram putant interpretes, ea, quantum colligere licet, harum fuit ipsarum mulierum vel ordine prima, vel natu maxima, quae Alpha nominabatur. In prologo singulae mulieres litteras omnes eodem modo recitabant, ita ut, quum Alpha, cuius verba adscriptit Athenaeus, finem fecisset, subiiceret Beta,

— — — — — ἔστ' ἄλφα, βῆ-
 τα, γάμμα, δέλτα, θεοῦ πάρο' εἰ, ζῆτ', ἦτα,
 θῆτ',

et quae sequuntur. Ternae horum verborum repetitiones undecim plenos versus efficiunt: quo numero octies repetito prologus habebat octoginta et octo trimetros. Illud, ordine haec ab singulis XXIV. mulieribus pronunciari, indicare videtur Athenaeus verbo *καταστροφικῶς*, quod est *paullatim perveniendo ad exitum*. Male hoc vocabulum, quod vix alibi reperietur, H. Stephanus et qui deinde lexica scripsere, explicuerunt. Similis lusus, ut in prologo, etiam in colloquio Vocalium est. Ibi unaquaeque Vocalis iubetur eam litteram solam, a qua nomen habeat, pronunciare, ita ut haec recitatio septem versibus 13 absolvatur. Huius carminis primus versus talis erat,

α, εἰ, η, ι, ου, υ, ω, α, εἰ, η, ι, οῦ.

Et griphus (nam de griphis disserens haec scribit Athe-

naeus) in eo positus est, quod, si singulae vocales ordine pronunciantur, non ante vocalis ω , quae ultima est, in finem versus incidit, quam in versu septimo, i. e. omnibus vocalibus duodecies repetitis. In his septem versibus hoc quoque notabile est, quod nullus pes eidem pedi in reliquis versibus similis est, et quotumcumque pedem per omnes septem versus consideres, in eo omnes septem vocales bis scriptae reperiuntur. In ista recitatione cur dicat Athenaeus distinguendas esse personas, *ἵνα ἡ τοῦ ποιήσαντος ὑπόκρισις σώζεται κατὰ τὴν δύναμιν*, nunc clarum est. Nam etsi plerumque facile est, in recitandis colloquiis, si *παραγραφαί*, i. e. notae personarum, adscriptae sunt, distinguere personas, est tamen hoc difficillimum, ubi singulae personae singulas syllabas pronunciant. Quare quod dicit Athenaeus *κατὰ τὴν δύναμιν*, quod aliter inepte addidisset, necessario adiiciendum erat. Obiter observamus, quae Alpha, magistra, apud Calliam de ista recitatione praecipiens dicit, *καὶ τοῦτο λέξασ', εἶτα δὴ σαυτῇ λάλει*, his verbis moneri mulieres, ut peracta recitatione secum recordentur, quae didicerint. Nam *ἑαυτῶ λαλεῖν* de iis dicitur, qui secum aliquid reputant, ut apud Lucianum in *Scytha*. 6. T. I. p. 866.

Progredior nunc ad chorum, qui erat in Calliae fabula. Qui chorus non potuit, ut quibusdam visum est, *βῆτ' ἄλφα βα, βῆτ' εἰ βε*, et sic reliqua, canere. Nam ne quid dicam de turpissimis versibus, qui ex his vocibus prodeunt, quomodo tandem, quod factum testatur Athenaeus, omnes strophae eodem metro fuissent, quum litterae ζ , ξ , ψ produci postulent syllabas, quas reliquae corripere iubent? Vna tantum ratio erat, qua metra ubique exaequari poterant, si vocales sono, non nominibus, indicarentur, veluti *βῆτ' ἄ βα, βῆτ' εἰ βε*. Sed sic quoque versus exstitissent turpissimi, neque Athenaeus bis dixisset, idem esse metrum in strophis omnibus, si id sponte patuisset. Accedit quod syllabae *βα, βε*, et reli-
 14 quae in primae tantum strophae expositione adiectae sunt, non etiam in secundae. Quare has syllabas ab librario

aliquo in margine adscriptas puto, quo is rationem, qua personae consociatae erant, quam brevissime indicaret. Quod satis erat in prima strophā fecisse. Ab imperitis deinde hae syllabae insertae sunt verbis Athenaei. Callias ita personas coniunxerat, ut singulas strophas singulae Consonantes totas canerent, accinentibus ordine singulis Vocalibus. Veluti si strophae e septem versibus constabant, primam stropham totam canebat Beta, in primo autem versu accinebat Alpha, in secundo E, et sic in singulis versibus reliquae Vocales. Hanc rationem imitatus erat in Medea Euripides: de quo quae hic scribit Athenaeus, alio eiusdem scriptoris loco illustrantur, qui est in principio libri septimi, ubi haec refert de Clearcho: *καὶ γὰρ Καλλιᾶν ἱστορεῖ τὸν Ἀθηναῖον γραμματικὴν συνθεῖναι τραγωδίαν, ἀφ' ἧς ποιῆσαι τὰ μέλη καὶ τὴν διάθεσιν Εὐριπίδην ἐν Μῆδειᾳ, καὶ Σοφοκλέα τὸν Οἰδίπουν.* Vtrunque Athenaei locum consideranti non potest dubium esse, de solis choris agi, qui quod primaria tragoediae pars habebantur, τὴν Μῆδειαν πᾶσαν dicere potuit Athenaeus. In his choris μέλη, de quibus iudicari nunc non potest, et διάθεσιν, quae est personarum descriptio, a Callia Euripides sumserat. Ea personarum descriptio, si fides est Athenaeo, in omnibus chori carminibus, quae sunt in Medea, ad Calliae exemplum facta esse debuit. Quod quidem fieri potuisse non negabit, qui Euripidem choros in universum quidem ad Calliae rationem, sed, uti decebat, aliis in locis aliter conformasse sibi persuaserit. Quamquam in singulis locis hanc imitationem aperire difficile est. Vnum tamen in Medea carmen est chori, quod non solum percommode ad Calliae exemplum constitui potest, sed etiam ista personarum descriptione multo fit praestabilius, quum personis ita per vices ista dicentibus maius chori studium, maiorque motus declaretur. Stropham, quae est a v. 149. adscribam.

BA. *Ἄϊες, ὦ Ζεῦ καὶ γὰ καὶ φῶς,
ἰαχάν, οἶαν ἃ δύστανος
μέλπει νύμφα;*

BE. *τίς σοὶ ποτε τᾶς ἀπλάστου*

- 15 *κοίτας ἔρος, ὦ ματαία,
σπεύσει θανάτου τελευτάν;
μηδὲν τόδε λίσσου.*
- BH. *εἰ δὲ σὸς πόσις
καινὰ λέχη σεβίζει,
κείνω τόδε μὴ χαράσσου.*
- BI. *Ζεὺς σοι τάδε συνδικάσει.
μὴ λίαν τάκου,
δυρομένα σὸν εἰνάταν.*

Indicavi personas iisdem litteris, quibus Callias usus fuerat. Vt hanc stropham totam canit Beta, accinentibus ordine Alpha, E, Eta, et Iota, ita iisdem accinentibus antistropham totam canit Gamma. Illud sponte intelligitur, incertum esse, utrum singulis litteris apud Euripidem singulae personae, an plures coniunctae significantur. Obiter moneo, quod circa finem antistrophae est, *φίλα καὶ τὰδ' αὔδα*, in quibus verbis quum *φίλα* singularis numeri esse putaretur, critici versum strophicum sollicitarunt, hunc sensum habere: *dic etiam, bene ei nos velle.*

Postquam de Medea Euripidis dixerat Athenaeus, obiter, turbato narrationis ordine, qui mos est huius scriptoris, Sophoclis facit mentionem, quem dicit, quum audivisset, Euripidem aliquid e Calliae fabula hausisse, in Oedipo, sibi idem licere ratum, alia ratione Calliam esse imitatum, et vocabulum in fine versus divisisse. Fecit hoc Sophocles, ut censebat Clearchus, ad imitationem prologi, qui erat in Calliae fabula: in quo prologo verba sic dividi supra ostendimus. Statim deinde Athenaeus ad antistrophas redit his verbis: *διόπερ οἱ λοιποὶ τὰς ἀντιστροφῶν ἀπὸ τούτου* (i. e. ex eo tempore) *παρεδέχοντο πάντες, ὡς ἔοικεν, εἰς τὰς τραγωδίας.* Ex his verbis colligimus, tragicos, quum ante editam Euripidis Medeam hic illic parcius usi essent antistrophis, posteaquam ille novam earum rationem et liberiolem prodidisset, ibi quoque antistrophas adhibuisse, ubi ante usus earum fuerat incommodus. Non sum nescius, quantae dubitationes hanc Athenaei narrationem premant; sed de his non ante

poterit recte explicari, quam quum maiores progressus fecerit tragicorum emendatio, quae nulla in parte magis, quam in hac, iacet.

Redeo nunc ad elisam in fine trimetri syllabam. Eam 16 igitur elisionem, Athenaeo auctore, abiudicare debemus ab omnibus tragicorum fabulis, quae ante Sophoclis Oedipum editae sunt. Nec tamen hoc satis est. Nam nec Sophocles, neque qui eum sequuti sunt tragici, ubique, ut equidem puto, sed certa quadam conditione, istam elisionem admiserunt. Ostendent hoc exempla, quae haec sunt: in Oedipo Rege v. 29.

*ὕφ' οὐ κενούται δῶμα Καδμείον, μέλας δ'
Ἰδῆς στεναγμοῖς καὶ γόοις πλουτίζεται.*

v. 332.

*ἐγὼ οὐτ' ἔμαυτὸν, οὔτε σ' ἀλγυνῶ. τί ταῦτ'
ἄλλως ἐλέγχεις;*

v. 785.

*καγὼ τὰ μὲν κείνοιιν ἑτερπόμην· ὅμως δ'
ἔκνιζέ μ' αἰεὶ τοῦθ'· ὑφείρπε γὰρ πολὺ.*

v. 1184.

*ὅστις πέφασμαι φύς τ' ἀφ' ὧν οὐ χρῆν, ξὺν οἷς τ'
οὐ χρῆν μ' ὀμιλῶν, οὓς τέ μ' οὐκ ἔδει κτανῶν.*

v. 1224.

*οἱ' ἔργ' ἀκούσεσθ', οἷα δ' εἰσόψεσθ', ὅσον δ'
ἀρεῖσθε πένθος.*

In Electra v. 1017.

*ἀπροσδόκητον οὐδὲν εἰρηκας· καλῶς δ'
ῆδη σ' ἀπορρίψουσαν ἀπηγγελλόμεν.*

In Oedipo Coloneo v. 16.

*κῶρος δ' ὄδ' ἰρός, ὡς σάφ' εἰκάσαι, βρύων
δάφνης, ἐλαίας, ἀμπέλου· πυκνόπτεροι δ'
ἔσω κατ' αὐτὸν εὐστομοῦσ' ἀηδόνες.*

v. 1164.

σοὶ φασὶν αὐτὸν ἐς λόγους ἐλθεῖν μολόντ'
αἰτεῖν, ἀπελθεῖν τ' ἀσφαλῶς τῆς δεῦρ' ὁδοῦ.

Denique in Iphig. Taur. v. 968.

ὡς δ' εἰς Ἄρειον ὄχθον ἤκον, ἐς δίκην τ'
ἔστην.

- 17 Ex his locis, si ab uno discesseris, hac tantum conditione syllabam in fine trimetri elidi discimus, si proxime prae-gressa sit interpunctio, quae quod pausam in pronunciando fieri iubet, ea, quae deinde sequuntur, arctius coniungi postulat. Nam Graecos neque solius metri rationem in recitandis versibus habuisse, neque, ut nostrum multi solent, quum versus legunt, metrum neglexisse, reconditis quibusdam, sed certis argumentis possumus colligere. Ex quo genere illud est, quod de longa syllaba, qua interdum vox ante arsin quinti pedis trimetrorum finitur, in praefatione ad Orphica scripsi. Alia huiusmodi, quae addere possem, omitto. Quod si quis versus illos, quos adscripsimus, recte pronunciare sciat, is intelligat necesse est, elisiones istas in extremis versibus non modo esse duras, sed aliquid etiam habere suavitatis. Vnus tamen in his locus est, qui quum nullam ab interpunctione habeat excusationem, de vitio suspectus est:

σοὶ φασὶν αὐτὸν ἐς λόγους ἐλθεῖν μολόντ'
αἰτεῖν.

Vauvillersius, probante, ut videtur, Wyttenbachio, in Bibl. crit. II. 2, 51. μολόντ' in μόνον mutabat. Agnoscit tamen hoc participium scholiastes, ita scribens: τὸ ἐξῆς, φασὶν αὐτὸν μολόντα αἰτεῖν εἰς λόγους σοὶ ἐλθεῖν. Equidem non credo dividere Sophoclem vocabulum voluisse, quum scribere posset,

σοὶ φασὶν ἐλθόντ' αὐτὸν ἐς λόγους μολεῖν
αἰτεῖν,

vel,

σοὶ φασὶν ἐλθεῖν ἐς λόγους μολόντα νιν
αἰτεῖν.

Prior ratio defendi potest eo, quod saepius error in terminationibus similium vel oppositorum admissus invenitur. Ac similis locutio in eadem Sophoclis fabula est v. 1297.

οὐτ' εἰς ἔλεγχον χειρὸς οὐτ' ἔργου μολῶν.

Alteram tamen rationem praetulerim, tum quod scholiastes infinitivum *ἔλθεῖν* pariter ac participium *μολόντα* tuetur, tum quod non rari sunt errores, quos *αὐτὸν* pro *νῖν* repositum peperit *).

Sed haec hactenus. Indicenda est enim solemnis 18 doctorum philosophiae creatio, quae hoc quidem anno cum iucundissima coniuncta est gratulatione, qua duo nobis prosequendi sunt eximii viri, quos ex iis, qui ante hos L. annos artium magistri ab Ordine nostro creati sunt, superstites esse gaudemus,

GEORGIUS STEPHANVS WIESAND

POTENTISSIMO REGI SAXONIAE A CONSILIIS PROVOCATIONVM, FACVLTATIS IVRIDICAE IN ACADEMIA VITEBERGENSI ORDINARIVS

et

CHRISTIANVS GOTTLOB HEYNE

POTENTISSIMO BRITANNIAE REGI AB SECRETIS REI IVDICIARIAE CONSILIIS, ELOQVENTIAE ET POESEOS PROFESSOR IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA,

quibus viris, qui meritis adeptam nominis claritatem etiam senes indefesso studio, quo civibus suis ac litteris prosunt, tuentur, diuturnos contingere optamus hilaris senectutis fructus. Vtinam hoc voto etiam Fridericum Volgangum Reizium possemus comprehendere, qui eodem anno cum his artium magister factus, iam diu ex vivis abiit, indelebili nobis, atque ante alios mihi, relicto desiderio. Die igitur XII. Febr. h. X. in Auditorio maiore anniversaria instituetur solemnitas, in qua primo ii, qui iam tabulis publice propositis Philosophiae Doctores ac Liberalium Artium Magistri declarati sunt, renunciabuntur:

*) Vide Elem. d. metr. I. 8, 10. p. 36.

LIBORIVS DE BERGMANN

PASTOR PRIMARIVS ECCLESIAE RIGENSIS, AD AED.
D. PETRI RIGAE PASTOR, CONSISTORII ASSESSOR,
COLLEGII VTRIVSQVE, ET QVOD SCHOLASTICAS,
ET QVOD PAVPERVM RES CVRAT, COLLEGA,

FRIDERICVS ADOLPHVS KRETSCHMANN

LIPSIENSIS

IVR. VTR. BACCAL. ET NOT. PVBL.

19 **CHRISTIANVS GVILIELMVS WIESAND**

VITEBERGENSIS

IVR. VTR. BACCAL. ET CAVSSAR PATRONVS SAX.

Antiquo deinde ritu creabuntur hi:

IOANNES FRIDERICVS AVGVSTVS SEIDLER

OSTERFELDA MISN.

EDVARDVS PLATNER

LIPSIENSIS

IVR. VTR. BACCAL.

CHRISTIANVS GODOFREDVS SCHMIDT

SCHOENFELDIA MISN.

GEORGIVS GVILIELMVS ROSSTAEVSCHER

SCHLEVSINGA FRANCVS

REV. MIN. CAND.

HENRICVS THEOPHILVS KREVSSLER

LIPSIENSIS

IOANNES TRAVGOTT TRABERT

CÖLLEDA THVRINGVS

CAROLVS FRIDERICVS ADLER

MÖCKERNA MISN.

Hanc ergo solemnitatem ut **VOS, MAGNIFICE RECTOR, CELSISSIME PRINCEPS SCHOENBURGICE, ILLUSTRISSIMI COMITES, GRAVISSIMI PROCERES** ac **FAVTORES ACADEMIAE, GENEROSISSIMI** denique atque **HUMANISSIMI COMMILITONES**, praesentia **VESTRA** ornare celebrioremque reddere velit, **Ordinis, meo, candidatorumque nomine, qua decet observantia a VOBIS** peto. **P. P. in Vniversitate Litterarum Lipsiensi Dominica Estomihi a. c1810cccvii.**

DISSERTATIO DE ELLIPSI ET PLEONASMO IN GRAECA LINGVA *).

I. Quid sit ellipsis et pleonasmus.

97 **N**ulla res plus damni intulit litteris, quam inertiae filia credulitas. Nam sicut in omni negotiorum genere quaedam reperiuntur inveteratae opiniones, quas alii ab aliis acceptas servant religioseque tumentur, parum solliciti, qui fontes sint, aut quae rationes harum opinionum: ita etiam in litteris, quarum tamen propria est veritatis pervestigatio, plerique, quoniam multa discendo doctrinae laudem parari putant, magis quid ante se alii dixerint, quam illi an id recte dixerint, student cognoscere. Quo fit, ut, dum toti tractandis aliorum commentis se dedunt, denique longa consuetudine ad credendum inducantur, mirantes ac pene stupentes, si quis aliter sentire audeat. Et quo clariores saepe viros haec tenet socordia, eo latius hoc malum serpit, plerisque auctoritatem, tutam scilicet, aliquamdiu certe, proprii laboris periculosae difficultati praeferentibus. Luculentum huius rei documentum praebent
98 ea quae ab his, qui philologi vocantur, de ellipsi et

*) Edita est in F. A. Wolfii et Ph. Buttmanni Museo antiquitatis studiorum Berolini a. 1808.

pleonasmo Graecae linguae tradita sunt. Quas disputationes qui accuratius consideret, is propemodum eo redigatur necesse est, ut dubitet, utrum ellipsis sit, ubi non est pleonasmus, an pleonasmus, ubi non est ellipsis. Adeo ne nunc quidem certum est atque exploratum, quae sit horum nominum vis et significatio. Atque ut fit, quum difficiliora sint ea, quae iusto brevius, quam quae cum quadam orationis abundantia dicuntur, primo de ellipsi quaesitum est, comparatis inter se veterum scriptorum locis, qui plenam viderentur, quique mancā orationem habere. Visa haec res est pulcre procedere: itaque praeter alios maxime Lambertus Bosius, insignem hunc ratus explicandae Graecae linguae fontem esse, tanto studio ad investigandas ellipses excitatus est, ut fere quidquid Graeca lingua difficultatis haberet, aliqua ellipsi adhibenda putaret expediendum esse. Cuius viri nomen, invitante etiam rei facilitate, alios movit plurimos, ut eodem ipsi quoque operam conferrent suam, donec nuper Godofr. Henr. Schaeferus, vir doctissimus, caecos eorum impetus plurimis in locis compescuit et ad saniores rationem revocavit. Qui vir quum, qua est Graecae linguae peritia, multa, quae ab istis per ellipsin explicata fuerant, ab omni ellipsi vacua esse intelligeret, vellem tamen non hic illic in singulis erroribus notandis operam impendisset, sed, quod caput est rei, in universum ostendisset, quid esset ellipsis, et quousque usus eius pateret. Quod ille si fecisset, non modo longe facilius superiorum errores potuisset aperire, sed ipse etiam sibi cavisset, ne, quod interdum ab eo est factum, aut nullam esse contenderet ellipsin, quae vere ellipsis est, aut eam, quae nulla est, admittendam censeret. Eodem modo res acta est in pleonasmo. Quod optaverat Wyttēbachius p. 415 ad Eclogas historicas, ut hos quoque, quemadmodum Bosius ellipses, aliquis pertractaret, id facere tandem conatus est Beni. Weiskius, vir subtilis iudicii, edito libro de Graecae linguae pleonasmis. Hic vero quum latissime patere nomen pleonasmī animadvertisset, callide eam posuit definitionem, quae hos tantum, qui iniuria pleonasmī haberentur, comprehende-

ret; quo factum est, ut hos, qui vere sunt pleonasmī, praeteriret. Ita singulari profecto casu accidit, ut Lamberti Bosii liber de ellipsi maximam partem sit pleonasmus, Weiskii de pleonasmō ellipsis.

- Quae quum ita sint, tantum abest, ut, naturam ellipseos ac pleonasmī explicare aggredientes, actum acturi simus, ut magis id facere instituamus, quod quum ante omnia fieri debuisset, nondum est a quoquam factum.
- 100 Parum est enim dicere, quod quisque videt, ellipsin esse omissionem verbi necessarii, pleonasmum adiectionem verbi non necessarii. Nam quid est in hoc genere necessarium? aut quo id modulo metiendum est? et quae ratio est, si quod verbum nunc additum nunc omissum reperitur, ex qua colligi possit, utrum additum abundet, omissum desideretur, an nec, si adsit, superfluum, nec, si absit, intelligendum videatur? denique qui finis est, quo ista pleonasmī atque ellipseos licentia terminetur, ne pleonastica habeatur oratio, si quis omnia bis terve dicat, elliptica, si omnia omittens prorsus taceat? Nimirum ab usu atque experientia, quod hactenus factum est, haec repeti nequeunt, quia usus, quid fiat, docet, non quid debeat fieri, aut fieri non possit: sed in illud est inquirendum, in quo natura posita est omnis orationis, quod solum, quia aeternum est et immutabile, certas firmasque potest orationis leges continere. Servabimus autem nos quidem vulgares istas definitiones, quas modo commemoravimus. Nam sunt illae quidem verae, sed, nisi iusta explicatio accedat, eadem, id quod factum est, plurimos gignant et maximos errores necesse est. Qui ellipsin atque pleonasmum in omissione verbi necessarii et adiectione non necessarii ponunt, necessarium fere solent id
- 101 vocare, quod ad integritatem orationis requiritur. At haec ipsa orationis integritas nisi accuratius definiatur, nihil habet, quo quis recte uti possit. Nam et brevis integra est oratio, et copiosa, nec magis, qui brevitati in dicendo studet, quidquam omittit, quam superflua adiungit, qui copiae. Quod si quis integram orationem vocandam censeret eam, quae pro consilio eius, qui loque-

retur aut scriberet, nunc concisior esset, nunc explicatior, is pleonasmum cum copia, ellipsin cum brevitate confunderet. Ac multi hunc errorem admiserunt, maxime in pleonasmō, quum abundare crederent, quae in iisdem dicendi formulis aliis in locis omissa essent, non reputantes, e contrario, ubi ista posita sunt ab antiquis scriptoribus, desideratum iri, si non essent posita; ubi autem omissa, omissa fuisse propterea, quod ibi posita superflua fuissent. Nec raro idem error circa ellipsin invenitur, non animadvertentibus, qui de his scripserunt, in breviori dicendi modo nihil esse supplendum, quia in ampliore, ut prorsus diverso, nihil est, quod omitti possit. Clarum vero est, quum de ellipsi et pleonasmō quaeritur, integritatem orationis non posse aliam intelligi, quam grammaticam, quae in eo est posita, ut omnia dicantur, quae quis cogitari velit. Itaque si recte definire volumus, ellipsis est omissio vocabuli, quod etsi non dictum, cogitatur tamen; pleonasmus autem adiectio vocabuli, quod 102 etsi additum, tamen non cogitatur. Sed ne hae quidem definitiones quidquam utilitatis habent, nisi ostendatur, quale sit hoc, aut possit esse, quod non dictum cogitari, aut dictum non cogitari queat.

II. *Quid non sit ellipsis.*

Ordiamur ab ellipsi. Atque ante omnia cavendum est, ne ellipsis confundatur cum duobus aliis dicendi modis, quorum in altero id omittitur, quod e praecedentibus vel sequentibus verbis intelligendum est, in altero propter varias causas aliquid inchoatum abruptitur, quae figura aposiopesis vocatur. Prioris generis exempla haec sunt:

ὦ μήτερον, ἣτις ἐκ τυραννικῶν δόμων
 δούλειον ἡμᾶρ εἶδες, ὡς πράσσεις κακῶς,
 ὄσονπερ εὐ ποτ'.

ubi quum manifesto intelligatur ἐπρασσεις, non est ea tamen vera ellipsis putanda, quia praecessit verbum πράσ-

σεις. Nec vera ellipsis est in talibus locis, ut in hoc Aeschylī, Agam. 1393.

παῖα δὲ νῦν δις· κὰν δυοῖν οἰμώγμασιν
μεθῆκεν αὐτοῦ κῶλα· καὶ πεπτωκότι
τρίτην ἐπενδίδωμι.

Latet enim nomen πληγῆν in verbo παῖα. Et ubi sequitur verbum, ut in eadem Aeschylī fabula v. 579.

103 τί τοὺς ἀναλωθέντας ἐν ψήφῳ λέγειν,
τὸν ζῶντα δ' ἀλγεῖν χρητὴν τύχης παλιγκότου;

quem locum propterea attuli, quod Lamberti Bosii error in novissima editione non est notatus. Nam priore tantum versu allato p. 661. ellipsin fingit, quae addito altero versu nulla est. Par error est Ferd. Stoschii p. 25. in v. ἄνοιτις. Alter modus multiplex est, quum nunc animi quodam motu cohibiti aliquid reticemus, ut apud Homerum:

εἶποτε δ' αὐτὰ
χρεῖώ ἐμεῖο γένηται ἀεικέα λοιγὸν ἀμῦναι
τοῖς ἄλλοις· —

nunc vereamur aliquid ut impium aut male ominatum dicere, ut in Aeschylī Agamemnone v. 505.

ὃς οὐτ' ἀναυδος, οὐτε σοὶ δαίμων φλόγα
ἄλλης ὀρείας, σημανεῖ καπνῶ πυρός,
ἀλλ' ἢ τὸ χαιρεῖν μᾶλλον ἐκβάξει λέγων, —
τὸν ἀντίον δὲ τοῖσδ' ἀποστέρῳ λόγον.

nunc denique alterum, quae omittimus, ipsum addere velimus, ut apud Aristophanem in Ranis:

ἢ γλωσσ' ὁμώμοκ', — Αἰσχύλον δ' αἰρήσομαι.

quod genus in primis frequens est in proverbiiis: unde in libro isto de ellipsi haud raro inter ellipses commemorari videas, quae, ut aposiopesis, omitti debebant, ut in v. βινεῖν, διδάσκειν, ἐπάγεσθαι, κατασιχύνειν, λακτιζεῖν, πέμπειν. Nihil horum recte ad ellipsin referetur.
104 Nam illud genus, in quo e praecedentibus vel sequentibus verbis aliquid intelligendum est, eo ab ellipsi differt,

quod in vera ellipsi id, quod intelligi debet, nusquam dicitur: aposiopesi autem eo quidem cum ellipsi convenit, quod in utraque aliquid prorsus omittitur, sed diversa est ab ellipsi eo, quod in ellipsi aliquid ob rationem grammaticam, in aposiopesi ob rhetoricam rationem abest. Dicimus vero grammaticam rationem, qua aliquid sic ad sententiam deest, ut oratio ad usum linguae integra habeatur; rhetoricam autem, qua sic, ut ne ad grammaticum quidem usum oratio integra sit. Hinc intelligitur, aposiopesin, ubi usu omissio sic probata fuerit, ut ad grammaticas leges nihil desiderari existimetur, in ellipsin verti, veluti in formula *εὶ δ' ἄγε*, in qua explicanda nollem Schaeferus, quod toties eum fecisse dolemus, lectores veram rei rationem doceri cupidos destituisset; nollem etiam Heynium reprehendisset, verissime de hac formula iudicantem.

III. *Quid per ellipsin omitti possit.*

Quod si ellipseos propria est ratio grammatica, quae posita est in eo, ut oratio, etiamsi aliquid omisum sit, integra esse censeatur, quia id, quod omisum est, necessario tamen intelligi debeat, ut quo non intellecto sententia nulla futura sit: videndum est, quid hoc sit, quod 105 in quaque sententia neque ita sit necessarium, ut non possit omitti, neque ita superfluum, ut omisum non desideretur. In tali caussa qui statim ad usum et consuetudinem confugiunt, non vident, etiam usum quibusdam adstrictum esse legibus: quas ille quum violare nequeat, liber est tamen in his, quae per illas leges licita sunt. Hoc dico, quum quaedam sint, in quibus ellipsis non possit esse, in his tamen, in quibus admitti potest, alias ellipses usu probatas reperiri, alias repudiatas. Nos quidem non de his, quae non receptae sunt, hic dicendum putamus, sed de illis, quas nullus potuit usus adsciscere.

Vis omnis et copia orationis in eo expromitur, ut enunciationes formentur, quas alio nomine sententias appellamus. Harum valde simplex natura est. Constant

enim omnes, ut logicorum appellationibus utamur, e subiecto, et praedicato, et copula. Esse enim debet et de quo quid dicatur, et quod de eo dicatur, et denique etiam dici re vera aliquid de aliquo necesse est. Iam si quaerimus, quid horum possit omitti, prima se offert copula. Posito enim et de quo quid praedicetur, et quod de illo praedicetur, id, quod reliquum est, praedicari alterum vere de altero, sponte intelligitur. Continetur 106 autem copula verbo eo, quod et omnium verborum maxime necessarium est, et in omni alio verbo latet, quia, si verum dicere volumus, solum est verbum, id est verbo, quo *esse* significatur. Quare haec usitatissima omnium ellipsis est, qua hoc verbum omittitur.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.

Deinde etiam subiectum omitti potest, sed, ut sponte intelligitur, non aliter, quam quum de eo sermo est, quod aut ubique possit et in omni sententia subiectum esse, aut in certa quadam re necessarium sit subiectum. Aliter enim non posset cognosci, de quonam subiecto sermo esset. Hoc, quod ubique subiectum esse potest, est pronomen *τις*:

*ἄνδρα δ' ὠφελεῖν ἀφ' ὧν
ἔχοι τε καὶ δύναιτο, κάλλιστος πόνων.
ὡς ἐπ' ἐξόδῳ κλύω
τῶν ἐνδοθεν χωροῦντος.*

Illud, quod in certa re necessarium est subiectum, ex illa re, quid sit, cognosci debet, ut quum *ὑεὶ* vel *βροντᾷ* dicitur, quod de Iove est intelligendum. Commemoravi eiusmodi exempla, in quibus oratio omni subiecto caret. Sed est etiam alia quaedam ratio, qua subiectum non totum sed ex parte omittitur, ut in huiuscemodi exemplis, *ὁ τὴν κιθάραν, ἢ αὐριον, τὸ ἐμβατήριον*: quorum similis est ratio, ut illorum, in quibus subiectum necessarium omittitur. Nam quia posita descriptione, qualis est *τὴν 107 κιθάραν, αὐριον, ἐμβατήριον*, vix potest aliud quidquam ad explendam sententiam desiderari, quam *ἔχων, ἡμέρα, μέλος*, haec omnia, ut quae nemo non esset

mente substituturus, omitti coeperunt. Sed cavendum est in hac re magnopere, ne quis, quod multi fecerunt, ibi quoque de ellipsi cogitet, ubi ellipsis nulla est. Certi enim in hoc genere, minimeque dubii sunt fines ellipseos, si quis recte animum advertat. Ellipsis est, ubicumque in his, quae describendae rei caussa posita sunt, necessaria descriptionis pars deest. Deesse autem talem descriptionis partem nunc res ipsa arguit, ut in hoc, τὸ ἐμβατήριον, quia hoc cognito nondum constat, quae res ita describatur; nunc grammatica ratio ostendit, ut in his ὁ τὴν κιδάραν, ἡ αὔριον, quorum in priore exemplo desideratur nomen, quod casum, qui hic positus est, regat; in altero, quum femininum, non neutrum genus adhibitum sit, certum intelligi substantivum, idque generis feminini, apparet. Caeterum hoc quoque clarum est, hanc necessariam descriptionis partem, in cuius omissione ellipsis versatur, non posse aliam esse, quam ipsum subiectum. Nam quia subiectum intelligi per se et cogitari potest, nemo, commemorato subiecto, desiderabit praedicatum: contra praedicato posito, quia praedicatum non potest per se intelligi, necessario desideramus subiectum. Non est ergo ellipsis, ubi id nomen, in quo est rei descriptio, licet formam habeat adiectivi, id est praedicati, re tamen pro subiecto, id est instar substantivi, habetur, sive ex usu, ut in his, ὁ ἐρώμενος, ἡ ἐρωμένη, sive ex rei natura, ut ὁ δίκαιος, τὸ καλόν. Nam in his plane nihil intelligitur, praeter id ipsum, quod his verbis continetur, in quibus genus personae satis ipsa nominum forma indicatur. Frequentissima haec ratio est, in genere neutro, in quo qui ubique μέρος, πράγμα, χρῆμα intelligunt, non minus inepti sunt, quam qui γαμεῖν et γαμεῖσθαι per ellipsin dici putant pro γαμεῖν γυναῖκα, γαμεῖσθαι ἀνδρῖ. Et hi qua tandem ellipsi talia explicabunt, ut τὸ εὔ, τὸ χαιρεῖν? Immo genus neutrum in Graeca lingua, ut in aliis linguis omnibus, rei indicandae inservit, quam aut nolumus, aut non possumus clarius describere. Quod si interdum μέρος, πράγμα, χρῆμα addita reperiuntur, id non est argumentum, ubi haec nomina absint, omissa esse, sed magis osten-

dit, alias prorsus esse locutiones, ubi iis additis res certius describitur, alias, ubi non positus minus definita est oratio. Nam haud raro ne potest quidem aut horum nominum intelligi ullum, aut aliud, veluti in hoc, τὸ σωφρον, quod est ὁ τι σωφρόν ἐστιν.

Dictum est de copula et subiecto. Accedimus nunc
 109 ad praedicatum. Hoc vero per ellipsin omitti nullo pacto potest. Nam quum omnis sententia hunc finem habeat, ut praedicetur aliquid de aliqua re, apertum est, eam nullam prorsus futuram esse sententiam, qua de aliqua re nihil praedicaretur. Itaque in tanta multitudine nominum, quae per ellipsin aut vere omittuntur, aut omitti posse multis visa sunt, mirum est tamen, quam pauca adiectiva vel ab his, qui ubique ellipsin commenti sunt, in hunc numerum referri potuerint. Quorum adiectivorum non est nisi unum, in quo agnoscenda esset ellipsis, nisi hoc quoque non ab ipsis scriptoribus, sed ab librariis omissum esset, ἀπαλὸν dico in formula ἐξ ὀνύχων, quam formulam res ipsa docet absurdam esse, nisi disertim adiectivum addatur. Quod si haec vera sunt, sponte intelligitur, non modo adiectivi vel quaecumque nomina praedicati officio funguntur, sed ne adverbii quidem, aut praepositionis, aut coniunctionis ellipsin esse ullam. Etenim quid aliud sunt, quae particulae vocantur, quam voculae, quibus praedicata quaedam et rerum inter se cogitationumque variae rationes significantur? Sed in hac re, si in ulla alia, plerosque omnes mihi adversarios fore video, quum nulla usitatio esse, quam particularum, maximeque praepositionum ellipsis credatur. His vero respondebitur, posteaquam inceptum semel cursum istuc deduxerimus.

110 Reliquum est aliud genus ellipseos, quod non in una harum partium, ex quibus quaeque enunciatio constat, sed in omissione plurium positum est. Cuius rei simile quid Lambertus quoque Bosius commemoravit, quamquam non maiore cum iudicio, quam cum quo totus iste liber compositus est. Quum enim Bosius non potestatem, sed formas verborum spectaret, ubi nominum, verborum, par-

ticularum ellipses enumeraverat, addidit etiam ellipses quasdam plurium verborum. Atqui hoc temere esse et sine certo consilio factum, ex eo intelligitur, quod nunc in pluribus verbis una tantum notio inest, nunc uno verbo plures notiones, ac saepe integra aliqua sententia continentur. Quare nos, posteaquam de omissione singularum partium, ex quibus quaeque sententia composita est, diximus, nunc etiam de omissione plurium ex his partibus quaerendum existimamus. Est autem hoc genus duplex. Nam partes istae quum sint numero tres, aut duae tantum omittuntur, aut omnes.

Ac duae quum omittuntur, has videmus praedicatum et copulam esse, quae eadem est, quam verbi ellipsin vulgo vocant. Omne enim verbum, praeter verbum *esse*, nisi ubi id *existere* significat, ex praedicato et copula compositum est. At, inquiet aliquis, si praedicati nulla est ellipsis, multo minus praedicatum simul cum copula omitti poterit. Enimvero nisi singularis quaedam ratio accederet, verissime hoc obiiceretur. Verum istae verborum ellipses omnes in uno genere versantur, quod eiusmodi est, ut praedicati omissio idoneam defensionem inveniat. Neque enim universum praedicatum, sed pars eius talis omittitur, quae qualis sit, ex ea parte, quae commemoratur, facile intelligi possit. Vtar primo Latina locutione, *quid hoc ad me*: in qua *hoc* subiectum est, praedicati pars *quid ad me*; iam quod intelligitur, *attinet*, in eo et copula invenitur, *est*, et reliqua pars praedicati, *attinens*, quae quum per se nihil sit, satis clarum est, eam intelligi, altera parte posita, *aliquid ad me*. Graeci eadem locutione utuntur, sed simplicius: qui quum dicunt, *τί τοῦτο πρὸς ἐμέ*; intelligi quidem posset *προσῆμει*, sed quum iidem simpliciter *τὸ πρὸς τι* de eo, quo aliquid spectat, dicere soleant, consentaneum est, solam intelligere copulam, ut quum dicunt *τί ἐμοὶ τοῦτ' ἐστίν*; Eadem ratio, quam in Latino isto exemplo demonstravimus, in aliis obtinet formulis etiam apud Graecos. Ita quum dicunt *ἐνὶ λόγῳ*, quod plene dicendum esset *ἐνὶ λόγῳ εἰπεῖν*. In qua locutione ne quis putet etiam subiectum per ellipsin

omitti, hanc omissionem moneo ex illo genere esse, quod supra ab ellipsi seclusimus, quia e praegressis vel sequen-
 112tibus verbis *τοῦτο* intelligitur. Sed contradicit in hac formula nobis Schaeferus, non magis in Graecis verbis *ἐνὶ λόγῳ*, quam in Germanicis *mit einem Worte*, ellipsin esse contendens. Quod quo argumento dixerit vir doctissimus, equidem non assequor. Nimirum nulla est ellipsis, quum Graece dicimus, *τοῦτ' ἐστὶν ἐνὶ λόγῳ ἀμαρτάνειν*, quod iisdem verbis Germani dicunt, sed qui dicit, sive Graeco utatur, sive Germanico sermone, *οὗτος ἐνὶ λόγῳ ἀμαρτάνει*, is si plene loqui existimandus esset, profecto non diceret, *hic nihil aliud quam errat*, sed, *hic uno in dicto vel verbo errat*. Huius generis aliae multae sunt ellipses, ut quae sunt in execrationibus, *ἐς κόρακας*, *ἐς φθόρον*, *εἰς ὄλεθρον*, verbo omisso; aut in precibus, *μὴ πρὸς σε γονάτων*, quod in primis perspicuum est exemplum: nam quis intellecturus esset, si quis in eandem sententiam diceret, *μὴ σε* non additis *πρὸς γονάτων*, id est ea parte praedicati, ex qua altera pars, *ικετεύων*, una cum copula *εἰμὶ* sponte intelligeretur? Vnum addam. Hoc genus ellipseos qui, ut vulgo solitum est, iis verbis explendum censent, quae in quibusdam locis addita reperiuntur, multum videntur ab recta ratione aberrare. Vt qui propterea, quod apud Homerum est, *χρειῶ γὰρ ἰκάνεται οὐκέτ' ἀνεκτός*, in his *οὔτι με ταύτης χρεῶ τιμῆς*, intelligen-
 113tum putant *ικάνεται*. Nam sicut ubique, ita hic quoque ea verior est ratio, quae omnium maxime simplex est. Quare rectius *ἔχει* intelliges.

Venio ad ea exempla, in quibus omnes simul enunciationis partes, id est integra sententia, omittuntur. Atque ex illis, quae supra universe de ellipsi dicta sunt, sponte intelligitur, non posse de eiusmodi sententia sermonem esse, quae sola per se constet, quod huius omissionis ad brevitatem in dicendo pertinet, sed necessario talem intelligi quae cum aliorum constructione verborum cohaereat. Est enim ellipsis oratio non integra, quae usu integra habetur. Sic plena oratione dicitur, *μὴ δρᾷ τάδε*,

elliptica, *μη δράσης τάδε*, quod clarius est etiam, ubi *ὅπως* adiicitur: *ὅπως δὲ μηδὲν εἴπης μηδενί*. Intelligitur enim in his *ὄρα*, quo verbo haec tria continentur omnia, quibus ad integram sententiam opus est, *σὺ ὄρων ἴσθι*. Quamquam non repugnem, si quis mavult intelligi, *λέγω σε ὄραν*. Nam fere totum hoc genus ellipseos in huiusmodi sentiis versatur, quibus nos velle aliquid, vel cupere, vel desiderare, vel probare significamus: veluti *εἰ γένοιτο· ἀλλ' εἰ μὲν δώσουσι γέρας μεγάθυμοι Ἀχαιοί*. Cuiusmodi formulas is demum, meo iudicio, recte explicabit, qui non certum quoddam verbum, sed universe sententiam, qualis requiritur, censebit intelligendam esse. Obscure enim talia cogitari solent, et, quum clare enun- 114
ciantur, inter plures formulas libera optio est.

IV. De ellipsi nominis.

Iam posteaquam universe de ellipsi expositum est, accommodabimus disputationem nostram ad ea, quae Bosius iique scripserunt, qui librum Bosianum additamentis auxere. Quorum commenta faciunt, ne satis esse videatur naturam ellipseos in universum declarasse, nisi etiam fontes indicentur errorum, quos ille venandarum ellipsium furor progenuit. Ac quum tres sint Bosiani libri partes, quarum prima de nominis, secunda de verbi, tertia de particularum ellipsi est, nemo qui accuratiore imbutus sit Graecae linguae cognitione, non intelliget, plerasque ellipses, quae quidem hoc nomine dignae sint, in secunda parte inveniri, quae est de verbo; in prima autem parte nominum ellipses plerasque omnes, quippe ad trecentas, incredibili inscitia temere fictas esse; in tertia denique parte, quae est de particulis, ellipsin, si vera sunt, quae supra disputavimus, non reperiri ullam.

Dicatur primo de ellipsi nominis. Et quum supra ostensum sit, praedicati nullam ellipsin esse, apertum est, quae sint nominum ellipses, eas in hisce tantum nominibus versari, quae sive substantiva, sive adiectiva, sive par- 115
ticipia sint, subiecti instar, id est pro substantivis, habeantur.

tur. Quorum omnino, quemadmodum indicavimus, duplex ratio est. Nam aut totum deest subiecti nomen, quum non potest dubium esse, de qua re sermo sit, aut pars omittitur subiecti, ubi ex ea parte, quae posita est, altera sponte intelligitur. In priore quidem genere, in quo totum abest subiectum, nihil difficultatis est. Quamquam fuerunt, qui ne hic quidem ab errore sibi cave-
rent, ut qui *εἰδωλον* intelligendum censuit in hoc Hesiodi loco:

*αὐτίκα δ' ἐκ γαίης πλάσσειν κλυτὸς Ἀμφιγυήεις
παρθένω αἰδοίῃ ἔκελον·*

ubi nemo sanus aliud quam *τι* intelligi volet. Alterum vero genus, quod aliquanto impeditius est, plurimas fecit fraudes iis, qui nimio ellipsium studio ferebantur. Quorum quidam errores plane pudendi sunt, ut quum inter ellipses diversitatem appellationum retulerunt, ad *ἄστῃ* intelligentes *Ἀθῆναι*, ad *τῶ θεῷ*, *Διοσκοῦροι* vel *Δημήτηρ καὶ κόρη*, ad *θεὰ* vel *Μοῦσα*, *Καλλιόπη*. Nec magis ad ellipses pertinet, quum verbum intelligitur ante aut postea positum, ut *πολλὴ τῆς χώρας*, quo quidem Schaeferus non debebat p. 274. hoc Sophocleum referre, *προβάσ' ἐπ' ἔσχατον θράσους*, quia poetae non hac forma, sed neutro genere utuntur, ut Euripides in Oreste v. 441.

116 *ὦ μέλεος, ἦκεις ξυμποραῖς εἰς τοῦσχατον.*

Caeteri errores in fingenda nominis ellipsi, qui aliquam apud imperitos verisimilitudinis speciem habere possunt, e diversissimis fontibus manarunt.

Ac primum saepe ellipsin videmus ad auxilium vocatam esse, ubi nihil prorsus erat, quod desiderari posset. Id quum alibi factum est, tum p. 267., ubi ad *φρονεῖν* intelligunt *μέγα*, quod iure improbavit Schaeferus, qui vellem idem fecisset p. 138., ubi *τοῦ μηνός, τῆς ἡμέρας*, et similia sic dici existimantibus, ut *ἐκάστου* et *ἐκάστης* omissum sit, accedit. At Graeci hic non magis quidquam omittunt, quam qui prorsus eodem modo loquimur Germani, aut qui similiter certe loquuti sunt, Romani.

Aliquis enim mensis, aliquis dies exempli instar est, ad quod caeteri menses ac dies comparentur.

Alius, isque latissime patens falso inventarum ellipsium fons in eo positus est, quod saepe nomen substantivum, sed formam habens adiectivi, pro adiectivo habitum est. Ex quo genere multos errores iam Schaeferus notavit. Exempla qui desiderat, abunde, quod miretur, inveniet in his, quae de ellipsi nominum ἀνήρ et ἄνθρωπος congesta sunt.

Non rarius peccatum est in eo, quod certum nomen intelligi debere visum est, ubi aut incertum, aut nullum esset intelligendum. Incertum dico, ut *τι* vel *τοῦτο*, quo 117 ne ipso quidem opus est in iis locis, in quibus quid significetur, statim adiectum est, ut in exemplo, quod p. 148. allatum est: *εἰρήνη αὐτοῦς, ὅπως ἂν καὶ ἔχοντές τι οἴκαδε ἀφίκωνται*: ubi si aliquid omissum est, non *ἐννοία*, sed *τοῦτο* debet intelligi; aut in Sophoclis *Electra* v. 495.

πρὸ τῶνδ' ἐτοίμ' ἔχει,
μήποτε, μήποθ' ἤμῃ
ἀψεγὲς πελᾶν τέρας
τοῖς δρωῶσι καὶ συνδρωῶσιν·

ubi minime, ut scholiastis visum, *ἐλπίς* vel *θάρασος* intelligitur, sed aut *τοῦτο* satis est, aut, quod etiam verius videtur, iis, quae sequuntur, teneri se dicit chorus. Illarum vero locutionum, in quibus apertissime nullum nomen omissum est, largissimam copiam inter ellipticas videmus relatas esse, praesertim ubi nomen generis neutrius intelligi volunt. Talia quidem, qualia sunt *ὁ δίκαιος, οἱ μαθηματικοί*, sine ulla ellipsi dicta esse, neminem latebit, qui reputaverit, alterum horum nominum hoc denotare, *ὅστις δίκαιός ἐστιν*, alterum autem usu in substantivum vertisse. Eadem vero in neutris ratio est, non omnibus, sed plerisque. In qua re subactio opus est iudicio. Nam ubi nihil caussae est, quare certum nomen intelligas, satius est intelligere nihil, ut in hoc, *πολλὰ λουδορεῖσθαι, παῦρα λέγειν*: quia in his non verba, sed 118 universe, quod multum aut parum est, spectatur: unde

HERM. OP. I.

L

tur. Quorum omnino, quemadmodum indicavimus, duplex ratio est. Nam aut totum deest subiecti nomen, quum non potest dubium esse, de qua re sermo sit, aut pars omittitur subiecti, ubi ex ea parte, quae posita est, altera sponte intelligitur. In priore quidem genere, in quo totum abest subiectum, nihil difficultatis est. Quamquam fuerunt, qui ne hic quidem ab errore sibi cave-
rent, ut qui *εἰδῶλον* intelligendum censuit in hoc Hesiodi loco:

*αὐτίκα δ' ἐκ γαίης πλάσσειν κλυτὸς Ἀμφιγυήεις
παρθένῳ αἰδοίῃ Ἴκελον·*

ubi nemo sanus aliud quam *τὶ* intelligi volet. Alterum vero genus, quod aliquanto impeditius est, plurimas fecit fraudes iis, qui nimio ellipsium studio ferebantur. Quorum quidam errores plane pudendi sunt, ut quum inter ellipses diversitatem appellationum retulerunt, ad *ἄστν* intelligentes *Ἀθῆναι*, ad *τῶ θεῶ*, *Διοσκοῦροι* vel *Δημήτηρ καὶ κόρη*, ad *θεὰ* vel *Μοῦσα*, *Καλλιόπη*. Nec magis ad ellipses pertinet, quum verbum intelligitur ante aut postea positum, ut *πολλὴ τῆς χάρας*, quo quidem Schaeferus non debebat p. 274. hoc Sophocleum referre, *προβάσ' ἐπ' ἔσχατον θράσους*, quia poetae non hac forma, sed neutro genere utuntur, ut Euripides in Oreste v. 441.

116 ὦ μέλεος, ἦμεις ξυμφορᾶς εἰς τοῦσχατον.

Caeteri errores in fingenda nominis ellipsi, qui aliquam apud imperitos verisimilitudinis speciem habere possunt, e diversissimis fontibus manarunt.

Ac primum saepe ellipsin videmus ad auxilium vocatam esse, ubi nihil prorsus erat, quod desiderari posset. Id quum alibi factum est, tum p. 267., ubi ad *φρονεῖν* intelligunt *μέγα*, quod iure improbavit Schaeferus, qui vellem idem fecisset p. 138., ubi *τοῦ μῆνός, τῆς ἡμέρας*, et similia sic dici existimantibus, ut *ἐκάστου* et *ἐκάστης* omissum sit, accedit. At Graeci hic non magis quidquam omittunt, quam qui prorsus eodem modo loquimur Germani, aut qui similiter certe loquuti sunt, Romani.

Aliquis enim mensis, aliquis dies exempli instar est, ad quod caeteri menses ac dies comparentur.

Alius, isque latissime patens falso inventarum ellipsisium fons in eo positus est, quod saepe nomen substantivum, sed formam habens adiectivi, pro adiectivo habitum est. Ex quo genere multos errores iam Schaeferus notavit. Exempla qui desiderat, abunde, quod miretur, inveniet in his, quae de ellipsi nominum ἀνήρ et ἄνθρωπος congesta sunt.

Non rarius peccatum est in eo, quod certum nomen intelligi debere visum est, ubi aut incertum, aut nullum esset intelligendum. Incertum dico, ut τὶ vel τοῦτο, quo 117 ne ipso quidem opus est in iis locis, in quibus quid significetur, statim adiectum est, ut in exemplo, quod p. 148. allatum est: εἰσῆει αὐτούς, ὅπως ἂν καὶ ἔχοντές τι οἴκαδε ἀφίκωνται: ubi si aliquid omisum est, non ἔννοια, sed τοῦτο debet intelligi; aut in Sophoclis Electra v. 495.

πρὸ τῶνδὲ τοῖ μ' ἔχει,
μήποτε, μήποθ' ἤμῃ
ἀψεγὲς πελᾶν τέρας
τοῖς δρωῶσι καὶ συνδρωῶσιν·

ubi minime, ut scholiastis visum, ἔλλipsis vel θάρσος intelligitur, sed aut τοῦτο satis est, aut, quod etiam verius videtur, iis, quae sequuntur, teneri se dicit chorus. Illarum vero locutionum, in quibus apertissime nullum nomen omisum est, largissimam copiam inter ellipticas videmus relatas esse, praesertim ubi nomen generis neutrius intelligi volunt. Talia quidem, qualia sunt ὁ δίκαιος, οἱ μαθηματικοί, sine ulla ellipsi dicta esse, neminem latebit, qui reputaverit, alterum horum nominum hoc denotare, ὅστις δίκαιός ἐστιν, alterum autem usu in substantivum vertisse. Eadem vero in neutris ratio est, non omnibus, sed plerisque. In qua re subactio opus est iudicio. Nam ubi nihil caussae est, quare certum nomen intelligas, satius est intelligere nihil, ut in hoc, πολλὰ λουδορεῖσθαι, παῦρα λέγειν: quia in his non verba, sed 118 universe, quod multum aut parum est, spectatur: unde

HERM. OP. I.

L

etiam per adverbium talia proferri possunt, quemadmodum Homerus utrumque iunxit:

παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως.

Sed quum certum quid designari res ipsa postulat, ne fugienda quidem ellipsis est. Exemplo utar valde perspicuo. *Τὰ δεξιὰ, τὰ ἀριστερὰ* saepe sine ellipsi dicuntur, quum significatur, quidquid dextrum aut sinistrum est: sed in re militari *τὸ δεξιὸν* et *τὸ ἀριστερὸν* cum ellipsi dicitur, quod hac in re nihil aliud quam *κέρως* significari potest. Eodem modo masculini, et maxime feminini generis adiectiva ellipsin plerumque efflagitant. Nam ubicumque per hanc circumscriptionem, *ὅστις τοιοῦτός ἐστιν, ἥτις τοιαύτη ἐστίν*, explicari nequeunt, ibi, ipso genere nominis indicante, certum vocabulum intelligi necesse est. Quare satis mirari nequeo, quod Schaeferus Musgravii miram opinionem, quam p. 43. affert, talia, ut *δι' ὀρθῆς, ἐξ ἰθείας*, sine ellipsi per enallagen generis dici existimantis, probare non dubitaverit, quod ille facit saepius, ut p. 67. 216. 392. 430. 500. 511. 534. 571.

Denique nescio an nullam ob causam plures excogitatae ellipses fuerint, quam quod loquendi rationes quaedam, quae propriae sunt Graecae linguae, a multis non fuerunt intellectae.

119 In his primam posuerim eam, quae attractio a quibusdam vocatur. Nam quis exempli caussa *οὗτος* ante *ὅς*, *τοῖος* ante *οἷος*, *τοσοῦτον* ante *ὅσον*, et quae sunt similia, omissa censebit, qui reputaverit, etiam sic loqui Graecos,

οὐδὲν γὰρ ἂν πράξαιμ' ἂν ὦν οὐ σοι φίλον.

Neque ulla pronominis ellipsis est in talibus locis,

τῆς δ' ἐξ ἀυχέν' ἔαξε, λαβὼν κρατεροῖσιν ὁδοῦσιν,

ubi qui *αὐτὴν* omissum putaret, non rectius faceret, quam si quis in his versibus,

*αὐτὰρ ἐπεὶ ῥ' ἦβης ἐρικυδέος ἔκετο μέτρον,
αὐτοῦ μιν κατέρυκε, δίδου δ' ὄγε θυγατέρα ἦν,*

ellipsis fingeret pronominum *ἐκεῖνος* et *οὗτος* et *οἷ*. Eodem modo praepositiones omnes ubi abverbiorum loco sunt, aperte repudiant ellipsin.

Diversus ab hoc genere alius est falsarum ellipsium fons, quamquam ille valde speciosus: hunc dico, qui est in articuli usu nunc cum genitivo, intellectis, ut putatur, nominibus *ἀδελφός, ἀνὴρ, γυνή, διδάσκαλος, δοῦλος, θυγατήρ, μαθητής, μήτηρ, οἰκείος, πατήρ, στρατηγός, υἱός*, item verbo *ἀνάκειμαι*; nunc cum praepositione, qualia sunt *τὰ πρὸς πόλεμον, τὸ εἰς ἐμέ, τὸ κατὰ τινα, ὁ παρά τινος, ὁ ἐπὶ τινος, ὁ ὑπὸ τινα, οἱ ἐκ τινος*, v. p. 32. 277. 379. 467. 519. nunc cum adverbio, ut *ὁ πάνυ, οἱ ἔνδον, οἱ ἄνω*: in quibus exemplis omnibus vereor, ne, quae existimatur ellipsis esse, nulla sit. Et-120 enim quod ad genitivum attinet, is casus quum etiam solus per se rem significet, cuius aliud quid accessorium est, quid impedit, quominus omnia ista exempla sic interpretemur, ut ellipsi carere possimus? Ac ne id meo magis arbitrio, quam idoneis argumentis fretus dicere videar, locupletissimo utar et antiquissimo auctore, Homero: a cuius sermone quum istiusmodi nominum ellipsis prorsus aliena sit, non ille tamen dubitavit dicere *Ὀϊλῆος ταχὺς Αἴας*, quod non magis elliptice dictum est, quam illud Virgilio,

Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia servas?

aut haec Sophoclis in Aiace v. 172.

ἦ ῥά σε ταυροπόλα Διὸς Ἄρτεμις,

et v. 401.

ἀλλὰ μὲν ἂ Διὸς

ἀλκίμα θεός.

In his enim locis Ajax et Andromacha et Diana et Minerva non secus Oilei et Hectoris et Iovis esse dicuntur, quam quaecumque alia res dici potuit, quae horum propria esset. Nec puto fore, qui aliam contendant illorum esse locorum rationem, in quibus additur articulus. Nihil enim mutat articulus, qui cum initio his quoque in formulis pronomen

esset, perinde erat, nomen ipsum, an pronomen ponere-
 121 tur. Ἀλέξανδρος Φιλίππου est *Alexander Philippi*, non
alius cuiuspiam. Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου quum dicitur,
 primo simpliciter nominatur *Alexander*, deinde, ut ab
 aliis distinguatur, adiicitur, *ille Philippi*, quod num est
 aliud, quam si repetito nomine dicatur, Ἀλέξανδρος,
 Ἀλέξανδρος Φιλίππου?

Eiusdem generis esse etiam reliqua puto, quae supra
 commemoravi, sive articulus cum praepositione iungatur,
 ut τὰ πρὸς πόλεμον, οἱ ἀμφὶ Πλάτωνα, sive cum ad-
 verbio, ut οἱ ἔνδον, ὁ πάνυ. Nam in his quoque locu-
 tionibus articulus initio pronomen fuit, quo quum aliquid
 demonstraretur, explicatio addi coepta est quam fieri pos-
 set brevissime, v. c. οἱ, ἀμφὶ Πλάτωνα· οἱ, ἔνδον. *isti,*
nempe circa Platonem: hi, nempe intus. Et confirmat
 hanc explicationem lingua Germanica, cuius tanta est cum
 Graeco sermone et cognatio et similitudo, ut par utilitas
 ex earum comparatione ad utriusque explanationem redun-
 det. Nos igitur nulla prorsus cum ellipsi dicimus, *die mit*
dem Plato, die von der bürgerschaft, die im hause, der
im himmel, die am meere, die hinter dem berge, die
drinnen, die oben: quin etiam, quod pariter faciunt
 Graeci, cum substantivo: *der herr im hause, das volk*
in der stadt, der mann mit der lanze, die sonne am
himmel, die fische im wasser, die saat auf dem felde.

122 Obiter hic illorum notabimus errorem, qui in hoc, ὁ πᾶ-
 νυ, ellipsin comminiscuntur. Ac Bosius quum περιβόη-
 τος intelligendum putaret, Schaeferus rectius a Zeunio
 περιβλεπτος vel ἔνδοξος substitui dicens, non tamen re-
 pugnaturum se indicat, si quis nihil prorsus subaudien-
 dum existimet. Id vellem confidentius dixisset, quando-
 quidem locutio ista non aliter usurpatur, quam ut πάνυ
 ad ipsum illud nomen, cui additum est, spectet. Etenim
 ὁ πάνυ Περικλῆς est is, qui re vera ac plane Pericles est,
 id est, genuinus Pericles, non spurius quispiam, eoque
 nomine indignus. Ex quo apertum est, ne posse quidem
 hic adiectivum intelligi.

Attingamus nunc alium, eumque uberrimum fontem

temere fictarum ellipsium, ad quem etiam infra non semel redeundum nobis erit, confusionem dico duarum locutionum. Cuius quum in omnibus linguis non pauca exempla inveniuntur, tum in Graeca lingua haec ratio tam late diffusa est, ut magis ubi non appareat, quam ubi appareat, quaerendum videatur. Nec mirum, Graecos in tanta ingenii mobilitate ac celeritate ab una notione ad aliam transsilire, et sic diversissima in brevius cogere solitos fuisse. Quo magis, antequam ad ellipsin aliquis confugiat, videndum est, ne duarum locutionum confusione, quae iusto brevius dicta videantur, commode explicari possint. Sic ἦδεσθαι τι, ἀλγεῖν τι, et quae sunt similia, 123 de quibus apud Bosium est p. 25. et 199., recte quidem Schaeferus ellipsi carere dicit, sed obscurum tamen maneat necesse est, quomodo accusativus cum his verbis construi possit, nisi memineris, eum e talibus verbis, ut στέργειν et ἀποστέργειν pendere, pro quibus illa, ἦδεσθαι et ἀλγεῖν, ut re ipsa eodem redeuntia, sed significato fortiora, substituantur. Simillima ratio est huius, κατέχειν τινός, quod pariter Schaeferus p. 44. e numero ellipsium recte eximit, sed non explicuit tamen. Non rectius hoc, si propriam verbi constructionem spectes, dicitur, quam κρατεῖν τινός: sed et illud est κράτος τινός ἔχειν, et hoc κάτοχόν τινος εἶναι. Vellem Schaeferus etiam p. 392. et 443. non satis habuisset, τρύχεσθαι τινός et στεφανοῦν πίτυος, vel quae similia sunt, Graecae linguae proprias constructiones appellare. Nam quid aliud etiam ellipses sunt? Immo id requirebatur, ut declararetur, quam rationem hae constructiones haberent, quo tirones non tam eas ediscerent, quam intelligerent. Est vero hic quoque illa duarum locutionum commutatio adhibenda, quum τρύχεσθαι, καίεσθαι, ἀλῶναι τινός, στεφανοῦν πίτυος, inde dicantur, quod pro hisce verbis mens substituit alia verba, veluti πόθον, ἔρωτα ἔχειν τινός, στέφανον ἐπιτιθέναι πίτυος. Minus etiam satisfacit Schaeferus p. 122., ubi verba ἢ ποδῶν ἔχει, de qui- 124 bus miras alii coniecturas protulerant, sic explicat, ut nondum tamen, unde genitivus venerit, clarum esse vi-

deatur. Atqui re vera res ita cogitatur: *οἶαν ποιότητα ποδῶν ἔχει*: ut quum Latini dicunt, *ubi gentium, eo temeritatis*: quod quid est aliud quam *quo in loco gentium, ad quem gradum temeritatis?* Sic nos quoque: *woher des landes?* Non est tamen sic intelligendus Euripides in *Electra* v. 1294.

Ἀχαιῶδες γῆς οἴκαδ' εἰσπορευέτω,

sed ibi *Ἀχαιῶδες γῆς* pertinet ad *εἰσπορευέτω*, quod est *πορευέτω εἴσω Ἀχαιῶδες γῆς, οἴκαδε*. Vide quae Schwebelii attulit p. 760. Illud vero maxime omnium miror, quod quum tot falsas ellipses expulerit Schaeferus, ipse tamen participium *λέγων* p. 246. intelligendum censuerit, ubi nulla prorsus ellipsi opus est, si usitatissimam illam constructionis mutationem adhibeas. Sed nimirum Brunckii eum atque aliorum movit auctoritas, cui vereor ne vir modestissimus saepe nimium tribuat. Videamus locos, quos affert. Sophocles in *Aiace* v. 726.

εἴτ' ὀνειδέσειν

*ἤρασσον ἐνθεν κἄνθεν, οὔτις ἔσθ' ὅς οὔ,
τὸν τοῦ μανέντος κἀπιβουλευτοῦ στρατοῦ
ἐνναιμον ἀποκαλοῦντες, ὡς οὐκ ἀρκέσοι
τὸ μῆ οὐ πέτροισι πᾶς καταξανθεῖς θανεῖν.*

125 Hic vero verba *ὡς οὐκ ἀρκέσοι* non cum praecedente participio *ἀποκαλοῦντες*, ut Schaeferus putasse videtur, sed cum verbis *ὀνειδέσειν ἤρασσον* iungenda sunt: quorum quum non alius sit sensus, quam *ὀνειδίζοντες ἔλεγον*, quid opus est ad ellipsin confugere? Non alia est Euripidei loci constructio:

*ἀνῆξε δ' ὀρθὸς λαὸς εἰς ἔριν λόγων,
ἡμεῖς μὲν, ὡς νικῶντα δεσπότην ἐμόν,
οἱ δ', ὡς ἐκεῖνον.*

Nam quid aliud priore versu continetur, quam *ἐρίζοντες ἔλεγον*? quibus verbis cogitatione substitutis omnia integra sunt. Ei loco geminus est alius in eadem fabula, in quo ellipsin male adhibuerunt p. 633.

ἦν δ' ἔρις στρατηλάταις,
οἱ μὲν, πατάξαι πρόσθε Πολυνείκην δορί,
οἱ δ', ὡς θανόντων οὐδαμοῦ νίκη πέλοι.

Denique Diodori verba, ἔπεμψεν ἀγγελιαφόρον μὴ θορυβεῖσθαι αὐτόν, nihil aliud significant, quam δι' ἀγγελιαφόρου ἐκέλευσε, quemadmodum saepissime πέμπειν et quae similia sunt, pro his dici solent, quae istiusmodi verbis comprehensa cogitantur. Rectius attulisset Schaeferus hunc Sophoclis locum, in Oed. R. 536.

φερ' εἰπέ πρὸς θεῶν, δειλίαν ἢ μωρίαν
ιδῶν τιν' ἐν ἐμοί, ταῦτ' ἐβουλεύσω ποιεῖν;
ἢ τοῦργον ὡς οὐ γνωρίσοιμί σου τόδε
δόλφ προσέρπον, κούκ ἀλεξοίμην μαθῶν;

Quamquam hic quoque verius ὑπολαβὼν vel ἐλπίζων,¹²⁶ quod Brunckius intelligendum dicit, in praegresso ιδῶν latere iudicabis: quo non praegresso non poterat ὡς οὐ γνωρίσοιμι subiici. Finem non invenirem, si istam Graecorum consuetudinem, verba ad id magis, quod cogitatum, quam quod dictum erat, accommodandi, enumeratione formarum, in quibus hic usus invenitur, illustrare vellem. Satis nunc sit, duo diversi generis exempla attulisse. Sophocles in Trach. 259.

ἔρχεται πόλιν
τὴν Εὐρυτείαν· τόνδε γὰρ μεταίτιον
μόνον βροτῶν ἔφασκε τοῦδ' εἶναι πάθους.

Idem in Oedipo Rege v. 236.

τὸν ἄνδρ' ἀπαυδῶ τοῦτον, ὅστις ἐστί, γῆς
τῆσδ', ἧς ἐγὼ κράτος τε καὶ θρόνουσ νέμω,
μῆτ' εἰσδέχεσθαι, μῆτε προσφωνεῖν τινά,
μῆτ' ἐν θεῶν εὐχαῖσι, μῆτε θύμασιν
κοινὸν ποιεῖσθαι, μῆτε χερνίβας νέμειν·
ὠθεῖν δ' ἀπ' οἴκων πάντας.

Alia infra plurima se offerent.

Invenitur denique etiam aliud genus locutionum, quod eodem iure et ellipticum et non ellipticum dicere

possis, veluti *νυκτός, χειμῶνος, νηνεμής*, atque omnino ubi genitivi, quos absolutos vocant, reperiuntur. In quo genere qui ellipsin repudiant, quod Schaeferus facit p. 374. 574. non habent, quo genitivi usum, qui satis mirus 127 est, explicent. Equidem existimo has locutiones omnes ex quadam constructionis mutatione ortas esse, quum abrupta prorsus priore constructione, reliqua per se sine nexu cum praecedentibus proferrentur. Sic, quod dicendum erat *θεοῦ θέλοντός ἐστιν, οὐδὲν ἰσχύειν φθόνον*, abrupta oratione, quae inchoata fuerat, brevius dicebatur, *θεοῦ θέλοντος, οὐδὲν ἰσχύει φθόνος*. Qui modus loquendi sic deinde in usum venit, ut legitimus haberetur, neque quisquam, qui eo uteretur, se orationem abruptissime sentiret. Accedit, quod eadem plane caeterorum est absolutorum casuum ratio. Ex hoc igitur genere quaedam multo usu pene in adverbium mutata sunt, ut ista *ἡμέρας, νυκτός*. Quod in Germanica quoque lingua factum est, atque adeo contra leges grammaticas, ut in hoc, *des nachts*, quod quum femininum esse deberet, masculinum est, quoniam caetera huiusmodi adverbia e masculinis nominibus orta sunt.

Sed satis iam videtur dictum esse de fontibus, ex quibus falsae nominum ellipses promanarunt. Illud unum adiiciendum duxi, quod vix est credibile, interdum etiam huiusmodi ellipses, quae sano homini in mentem venire nequeant, a doctissimis viris excogitatas esse. Exemplo sit Brunckii adnotatio ad Euripidis Phoeniss. v. 333., quam Schaeferus p. 523. attulit. Verba poetae haec sunt: 128 *ὄθεν ἐμάν τε λευκόχροα κείρομαι δακρυόεσσαν ἰεῖσα πενθήρη κόμαν*. Vbi Brunckius, pronior ille alias ad emendandum, inauditam neque ullo pacto ferendam commiscitur ellipsin nominis *φανή*. Qui rectissime vidit, locum corruptum esse, Porsonus, reperisset etiam, quod sponte se offert, lenissimum remedium, nisi, quod toties accidisse dolemus, antistrophae eum latuissent. Scripserat Euripides:

*ὄθεν ἐμάν τε λευκόχροα κείρομαι,
δακρυόεσσ' ἰὰν
ἰεῖσα πενθήρη. κόμαν.*

V. De ellipsi verborum.

Ab nominum ellipsi ad ellipsin verborum accedimus, in quo genere, ut supra significavimus, multo rarius peccatum est. Sed quum hic quoque non unus errorum fons reperiatur, videamus quae in hoc genere potissima sunt.

Ac primo saepe viri docti non, uti decebat, illius verbi ellipsin adhibuerunt, quod ante alia simplex esset, sed remotius quiddam et exquisitius commenti sunt, quod ob id ipsum, quia nimis singulare est, ab ellipseos natura abhorret. Eiusmodi errorem notavit Schaeferus p. 599. in verbis *τί ἐμοὶ τοῦτο* intelligendum esse *ἐστὶ* monens. Aliud exemplum est p. 585., ubi cur ad haec, *ὡς εὐτυχῶς, ὅτι οὐκ ἐλήφθην*, aliquis *ἀπὸ ἀλλάχθην*, quam *ἐγένετο* intelligi malit, nihil caussae est. Nam quod Schaeferus ad eum locum iudicat, in huiusmodi exclamationibus nihil subaudiendum esse, id vereor ut cuiquam probaturus sit, quandoquidem nullum adverbium, nisi verbum accedat, per se aliquem sensum praebeat. Immo vix ulla mihi videtur manifestior esse ellipsis.

Aliae verborum ellipses excogitatae fuerunt, ubi duae locutiones confusae sunt, vel, quod propemodum idem est, ubi aliquid ad id, quod mente cogitatur, non ad id, quod verba per se significant, refertur. Cuiusmodi est, quod p. 612. commemoratum est:

ἐγὼ μὲν οὖν ἐς τὸ βαλανεῖον βούλομαι,

quod nos prorsus eodem modo dicimus, nihil supprimentes. Commutatio enim verborum est, quum *velle* dicimus pro *tendere*. Neque enim quidquam omissum est in hoc, *ιέμενοι πολεμόνδε*. Sic etiam in hoc Homeri:

*ἠνίοχος δ' ἵμασεν καλλιτριχας ἵππους
νῆας ἐπὶ γλαφυράς.*

Nihil diversa est ratio Sophoclei loci in *Antigona* v. 857.

*ἔψαυσας ἀλγεινοτάτας ἐμοὶ μερίμνας,
πατρὸς τριπόλιστον οἶκτον
τοῦ τε πρόπαντος ἀμετέρου πότμου
κλεινοῖς Λαβδακιδαισιν.*

In quo loco non satis perite Brunckius λέγω intelligit. Quod si cum Schaefero, recte quidem οἶκτον praefereute, 130 post πατρὸς interpungas, ut verba τριπόλιστον οἶκτον accusativi absoluti sint, non modo multum de poetica virtute huius loci peribit, sed illud etiam quaerendum relinquatur, quid sint accusativi absoluti. Quae appellatio vereor ne nihil sit, nisi per fugium, quod consecentur, qui quomodo rem expediant non inveniunt. Accedit in Sophoclis loco iactatum a Brnckio schema Colophonium, non dissimile inventum ut casus isti absoluti, quod schema hic quidem perineptum est. Nihil in toto loco difficultatis est. Ἐψαυσας ἀλγεινοτάτας ἐμοὶ μερίμνας poeta dicit genitivo casu, in mente habens ἔλεξας: inde statim accusativum, qui ab hoc verbo regatur, infert. Reliqua sic iungenda sunt: πατρὸς τοῦ τε πρόπαντος ἀμετέρου γένους οἶκτον, τριπόλιστον κλεινοῖς Λαβδακιδαισιν: *patris et universi generis nostri complorationem, multum iterandam claris Labdacidis.* Nec magis quidquam supprimitur in illis exemplis, quae p. 652. allata sunt, ut,

καὶ οἱ ὑποσχέσθαι δυοκαίδεκα βοῦς ἐνὶ νηῶ,
ἦνις, ἠκέστας, ἰερευσέμεν, αἶκ' ἐλεήση
ἄστν τε καὶ Τρώων ἀλόχους καὶ νήπια τέκνα.

Nam si nihil omissum est, ubi πειρᾶσθαι isti αἶκεν iungitur, qui magis aliquid omissum censeatur, ubi pro verbo isto πειρᾶσθαι id ipsum ponitur, per quod quis aliquid efficere experitur? Multo minus probari poterit Brunckius, qui, ut p. 645. observatum est, in hoc Euripidis 131 dicto,

τὰ δ' ὑπερβάλλοντ'
οὐδένα καιρὸν δύναται θνητοῖς,

παρέχειν subaudiendum putat. Immo δύναται, ut saepissime, idem significat, quod δυνατά ἐστιν. Et quoniam recte dicitur οὐδὲν δύνασθαι, poeta pro οὐδὲν καιρὸν δύναται dixit οὐδένα καιρὸν δύναται. Vellem sane, Schaeferus huiusmodi observationes doctorum virorum non sic nudas attulisset, quo ne tirones et quicumque non

possunt ipsi iudicare, tacentem assentire rati, falsa pro veris probarent.

Sed antequam verborum ellipsin mittamus, de infinitivo iubentis vel orantis exponendum est, de quo est p. 600. 620. 636. Quem infinitivum quum alii, tum Schaeferus p. 620. ab antiquissimis sine ulla ellipsi nunc pro imperativo, nunc pro optativo usurpatum, eumque usum deinde mansisse putat. Quae res mihi quidem parum veri similis videtur. Nam etsi eandem simplicitatem quotidie in puerorum sermone animadvertimus, nihil est ea tamen nisi infantia, neque illa loquentium, sed balbutientium puerorum. Quam cur in Graeco sermone, aliis in rebus omnibus cultissimo, servatam existimabimus? et repugnante quidem ipsa infinitivi natura, qui modus non per se constantis, sed aliunde pendentis est orationis. Quin etiam constructionis varietas, quae est in isto infinitivi usu, satis arguit, aliam eius originem esse. Nam ubi nomen infinitivo iunctum personae est, quam alloquimur, nominativus adhibetur:

θαρωῶν νῦν, Διόμηδες, ἐπὶ Τρώεσσι μάχεσθαι.
ubi autem alius personae est, accusativus:

νύμφαι πετραῖαι, πολλάκις με βουθυτεῖν.

Infinitivus igitur in istis locutionibus quid causae est cur non per ellipsin aliquam explicetur, quum nulla neque frequentior sit ellipsis, nec faciliorem veniam habeat, quam quae in verbo est, aliquod studium, aliquam voluntatem aut animi affectionem indicante? Cuiusmodi verba hoc facilius omittuntur, quod ipsa loquentis vox in huiusmodi formulis ita conformatur, ut, quid aliquis dicere velit, minime possit obscurum esse. Sed ab illa infinitivi constructione, quam modo tetigimus, nimium recedunt duo Homericorum carminum loci, quam ut eos praetermittere hic debeamus. Vnus Iliad. XVI. 99. *νώϊν δ' ἐκδύμεν ὄλεθρον*, ubi, quamvis deterioribus numeris, optativus infinitivo praefereendus videtur, *νώϊ δ' ἐκδύμεν**)

*) Graviter reprehendit hanc optativi scripturam Buttmannus

ὄλεθρον. Alter Odys. XXIV, 376. interpretatione ad-
iuvandus:

133

αἶ γὰρ, Ζεῦ τε πάτερ καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἀπολλων,
οἶος Νῆρικον εἶλον, εὐκτίμενον πτολίεθρον,
ἀκτὴν ἠπειροιο, Κεφαλλήνεσσιν ἀνάσσω,
τοῖος ἐὼν τοι χθιζὸς ἐν ἡμετέροισι δόμοισιν,
τεύχε' ἔχων ὅμοισιν, ἐφεστάμεναι καὶ ἀμύνειν
ἄνδρας μνηστῆρας· τῷ κεν σφέων γούνατ' ἔλυσα
πολλῶν ἐν μεγάροισι, σὺ δὲ φρένας ἔνδον ἰάνθης.

In quo loco nihil difficultatis est, si aposiopesin adhibeas, infinitivis e verbis τοῖος ἐὼν pendentibus: *utinam talis ad auxilium heri ferendum* —.

VI. De ellipsi praepositionum.

Perventum est denique ad ellipses particularum, quae pars huius doctrinae ut speciem veri admirabilem, ita, quod iure verum dicere possis, nihil plane continet. Nam si recte supra contendimus, praedicata rerum, quod sponte intelligi nequeant, non posse omitti, consentaneum est, particulas omnes, in quibus variae rerum cogitationumque inter se rationes indicentur, ita esse necessarias,

in Lexilogo I. p. 56. et in gramm. Gr. mai. I. p. 539. Negabant enim veteres grammatici *vi* ante consonantem dici: v. Etym. M. p. 72, 26. 775, 23. Eustath. p. 938, 43. 1047, 54. 1224, 58. ita ut, quoniam propter istam regulam passivi optativus sit *ζευγνύμην*, ne in activo quidem *ζευγνύην*, sed *ζευγνύην* scribendum putarent: vide Bekkeri Anecd. p. 1292. Rectene illi an sola raritate exemplorum adducti *vi* ante consonantem ferendum esse negent, fortasse antiquarum inscriptionum fide aliquando patebit. Pronunciari a Graecis illam diphthongum sequente consonante potuisse, non solum ἀμφὶ νέκνι κατατεθνηῶτι Iliad. π. 526. 565. et ἀμφὶ νέκνι καὶ Ἀχιλλῆϊ Iliad. ω. 108. atque alia huiusmodi, sed certius etiam Aeolica illa docent, *τιλίδε, τσί, μέσνι, ἴντι*. De quibus vide Theognostum in Bekkeri Anecd. p. 1425. praecipue autem qui de pronunciatione dixit Priscianum I. p. 555. (36. ed. Krehl.) *Τυλδ'* illud Theocrito V. 30. restitutum a Volgero probare videtur Schaeferus ad Greg. Cor. p. 897.

ut, ubi omissae videantur, res aliter prorsus describi existimanda sit. Longum foret et plenum taedii opus, de singulis locutionibus secundum ordinem particularum, ut in Bosii libro factum est, disserere. Quare faciam, quod supra feci: quidquid hic corrigendum videtur, ad quaedam capita revocabo, indicatis errorum fontibus. Ac primo dicendum est de praepositionibus, iisque adverbii, quae casum aliquem regunt. Nam haec quoque praepositiones existimanda sunt esse, quem-134 admodum praepositiones omnes, quod satis Homericus sermo arguit, initio adverbia fuere. Est autem in praepositionum ellipsi assumenda duplex maxime error commissus; unus quod confusio illa diversarum locutionum a plerisque neglecta est; alter, quod non est animadversum, ex hac ipsa permixtione paullatim casibus quibusdam significationes quasdam adhaesisse, quae deinde latius extendi, atque alio, quam quo proprie debuissent, transferri coeperint.

Sed ut ordine ac via procedat haec disputatio, quid tandem sibi volunt illi, qui ellipsin praepositionum admittunt? Nam unde sciunt, omissam esse praepositionem? E casu nominis, inquirunt, qui ea praepositione regitur. Audio: sed quid hoc est, quod regi vocant? Hoc, opinor, dicunt, praepositioni deberi, quod hic, neque alius casus adhibeatur. At in ea re vehementer falluntur. Nam si ita esset, qui tandem fieri posset, ut una praepositio diversos casus regeret? Id scilicet e diverso praepositionis significatu repetunt. At, obsecro, quisquis ita iudicas, cur tu diversas istas significationes praepositioni, quae ubique eadem est, imputare, quam e casu nominis, qui pro his significationibus alius atque alius est, derivare mavis? Nam quid respondebis, si quis significatum praepositionis a casu nominis, qui ei adiunctus est, regi dicat? Quod135 profecto multo consideratius diceretur. Nam qui potest omnino fieri, ut praepositio certa quadam significatione certum casum regat, nisi in illo ipso casu aliquid sit, quod ad hanc significationem, non ad aliam trahi possit? Quod quid est aliud, quam significationem eam in casu

non minus, quam in praepositione inesse? Nam si esset in sola praepositione, aut nullo casu opus esset, aut usus casuum esset promiscuus. Quod contra, si in casu inest, praepositio non tam mutabit significatum suum pro diversitate casuum, quam conciliabitur eius significatio cum ea significatione, quae est in casu. Exemplo utar plano et perspicuo. *Παρά* est *apud*, eaque significatio manet, sive *παρά σοί*, sive *παρά σέ*, sive *παρά σοῦ* dicatur: sed casuum diversitas facit, ut *παρά σοί* habeatur id, quod est apud te; *παρά σέ*, quod accedat ad te; *παρά σοῦ*, quod veniat a te: id quod simili modo Galli dicunt, *de chez toi*. Itaque si casus non pendet e praepositione, cur ellipsin praepositionis adhibeamus, ubi casus est sine praepositione? Nimirum, qui praepositionum ellipsin comminiscuntur, hoc uti solent argumento, quod quum multae locutiones inveniantur idem significantes, sive adsit praepositio sive absit, absentia praepositionis non possit non per ellipsin explicari. Mirum vero, eos non sentire, quam hoc ineptum sit argumentum. Quid enim, si quis obiiciat, ubi omittatur praepositio, non per ellipsin omitti, sed, ubi addita inveniatur, additam esse per pleonasmum? Sed ne videamur magis inscitia adversariorum, quam idoneis rationibus vincere, hoc eos dicere faciamus, ideo adhibendam esse ellipsin praepositionis, quod in solo casu, quem quaeque praepositio regit, non insit haec vis, quae propria est praepositionis; ea autem vi et significatione locos illos, in quibus ipsi ellipsin admittant, carere non posse. Hoc argumentum ut refutetur, primo videndum est, quae sit cuiusque casus vis, ob quam regi a praepositionibus quibusdam dicatur; deinde an eadem vis sit in his locis, in quibus nulla adiecta est praepositio. Hoc enim si effecerimus, sponte intelligetur, ellipsi nihil opus esse.

VII. De usu genitivi.

Ac primus commemorabitur genitivus, quo in casu mirum in modum luxuriatur lingua Graecorum. Quare,

quod sciam, nondum repertus est, qui omnem illam locutionum copiam et varietatem, in quibus hic casus dominatur, sic explicaret, ut ea explicatio vel aliquo modo rei satisfacere videatur. Illud quidem alio loco ab nobis demonstratum est, genitivum proprie rem indicare, cuius aliquid accidens sit. Latissime autem patet accidentis no-¹³⁷ tio, mutabilis illa pro ratione, qua rem consideres. Sic filius patris et pater filii, sic amor dicitur alicuius, sive amare eum sive amari intelligamus. Exempla quaedam huiusmodi vide apud Schaeferum p. 735. Quod nisi temere omnia miscuisse et perturbasse Graecos statuimus, in omni usu genitivi ad primam illam significationem redeundum erit, videndumque, quomodo hic casus ad tam diversos tamque dissimiles res adhiberi potuerit. In qua re illud tamen bene tenendum est, pleraque in linguarum conformatione obscuro sensu regi, cuius si modo initia teneamus, reliquum eius cursum persequi non esse difficile. Nam qui primi aliquam notionem alio deflexerunt, hos in ea re aliquid iudicii adhibuisse necesse est: ab his reliqui ista pene nescientes accepere, quos non mirum est ea dein latius extendisse, quam fortasse debebant, quippe verae rationis sibi non conscios.

Igitur genitivus quum rem indicet, cuius aliud quid accidens sit, id in paucis tantum praepositionibus, quae cum hoc casu construuntur, paullo obscurius est; in plerisque primo adspectu, cur genitivum sibi adiungant, apparet. Nam quum in his, quae rerum accidentia a philosophis vocantur, etiam partes cuiusque rei numerentur, haec partis significatio, quae pene ubique genitivum comi-¹³⁸ tatur, in harum praepositionum constructione manifestissima est. Sic ἀπό, παρά, πρός, ὑπό, ἐξ, proprie id significant, quod cuiuspiam rei pars est, sed ea talis, quae ab hac re proficiscatur, eoque ab ea separetur. Deinde διά, ἐπί, κατά, ὑπέρ, id indicant, quod est vel fit in aliqua rei cuiuspiam parte: ut

διὰ μὲν ἀσπίδος ἦλθε φαεινῆς ὄβριμον ἔγχος.

Neque alia ratio est praepositionum ἀμφὶ et περὶ, qua-

rum altera id, quod ab utraque parte, altera, quod ab omni parte est, significat. Proximae his sunt *ἀντι* et *πρό*, quarum *ἀντι* vix potest dubium esse, quin significatum eodem modo ex *ἅντα* deflexerit, ut utraque notio in praepositione *πρό* inest:

ἅντα παρειάων σχομένη λιπαρά κρήδεμνα.

Vtraque ergo praepositio proprie notabat, quod ante aliquam rei cuiuspiam partem esset. Denique *μετά* designat, quam proprie participationem, id est communionem partis dicimus: quo a praepositione *σύν* differt, quae quod totius rei cum alia re coniunctionem significat, non construitur cum genitivo: quae res clara erit verba *μετέχειν* et *συνέχειν*, aliaque horum similia comparanti. Quum ergo genitivus in omnibus his constructionibus parti indicandae inserviat, facile est intelligere, qui factum sit, ut praepositiones istae, quae, ut omnes praepositiones, natura sua nihil nisi adverbium sunt, genitivum sibi vindicarent. Nam, ut ista exempla repetam, quae supra attuli, *δι' ἀσπίδος ἦλθεν ἔγχος* quid est aliud, quam *ἔγχος ἦλθεν ἀσπίδος ποι*, id est, venit ad aliquam clipei partem, et ibi quidem *διά*, id est, sic ut penetraret. Ita *ἅντα παρειάων σχομένη κρήδεμνα* nihil est, nisi *κρήδεμνα σχομένη παρειάων πού*, et quidem *ἅντα*, quod aliter dicas *παρειάων ἐν τῷ ἅντα*. Ex his facile poterit intelligi, non diversam esse caeterorum adverbiorum conditionem, quae cum genitivo construuntur. Sed clarum est etiam ex hac explicatione, adverbii, quo nomine hic praepositiones quoque comprehendimus, non esse aliud officium, quam ut modum, locum, tempus, vel quidquid adverbii cuiusque significatione continetur, adiiciat, non autem genitivum sine adverbio nihil plane significare. Haec si vera sunt, quid opus erit praepositionis omissionem ad auxilium vocare, ubi verba ipsa cum genitivo coniuncta satis indicent, quae sit genitivi significatio? Hoc igitur an ita sit, nunc videndum est. Quod sic faciemus, ut diversos usus, quos habet genitivus, ordine enumeremus, simulque, quomodo alius ex alio ortus sit, ostendamus.

VIII. De genitivo nomini iuncto.

Atque in illam genitivi notionem quam saepius iam tetigimus intuenti planum sit necesse est, duobus modis 140 genitivum usurpari posse; primo sic, ut, quod alicuius rei est, quid sit huius rei dicatur; altero, ut universe dicatur aliquid alicuius rei esse, non definito, utrum pars, an proprietas, an effectus, an quidquid demum sit. Explicemus primo de priore isto loquendi modo, quo genitivus nomen adiunctum habet. Atque hic duae se offerunt genitivi significationes, quas considerare operae pretium sit, una derivationis, altera commutationis. Vtramque frustra per ellipsin explicare quidam conati sunt, quod planum erit rem recte consideranti. Quod apud Homerum est Iliad. XI. 124.

χρυσὸν Ἀλεξάνδροιο δεδεγμένος,

tria potest significare, unum, quod omnium primum, maximeque simplex est, *aurum Alexandri accipiens*; secundum, quod hic dicere poeta voluit, *aurum ab Alexandro accipiens*; ut Iliad. I. 596.

μειδήσασα δὲ, παιδὸς ἐδέξατο χειρὶ κύπελλον,

in cuius versus explicatione Schaeferus ad Euripidis Hecubam p. 45. a Vossio se decipi passus est; tertium, *aurum pro Alexandro accipiens*, ut Odyss. XI. 326.

ἢ χρυσὸν φίλου ἀνδρὸς ἐδέξατο τιμήεντα.

Vnde haec diversitas? Si ab ellipsi, quod volunt, qui nunc *παρά*, nunc *ἀντι* vel *ὑπέρ* intelligunt, nihil lucri fecimus advocanda praepositione, quae non modo an sit 141 adhibenda, sed etiam utrum haec, an alia, incertum est. Sin ab ipsa genitivi significatione, lucrum non est exiguum, quia sic neque alieno opus est adminiculo, et fontem, unde hi significatus venerint, aperiri necesse est. Hoc igitur agamus. Nec profecto quidquam planius est, Aurum Alexandri est, quod habet Alexander: qui autem aliquid ab alio accipit, is accipit id, quod habebat is, a quo accipit. Itaque pauper adhuc et rudis sermo dicebat

HERM. OP. I.

M

χρυσὸν Ἀλεξάνδρου δέχεσθαι, non modo quum aurum, quod esset Alexandri, sed etiam quum id ab Alexandro accipi dicere vellet. Mansit progrediente cultu antiqua forma, sed sic, ut qui ab Alexandro accipi diceret, iam non χρυσὸν Ἀλεξάνδρου cogitatione iungeret, sed Ἀλεξάνδρου δέχεσθαι. Iam quum semel genitivo haec derivationis ac separationis notio adhaesisset, latius ea extendi coepta est: unde talia sunt, ut ἀκούειν τινός, ex aliquo audire, λείπεσθαι, ἀμαρτάνειν τινός. Cuius constructionis mentione facta, breviter tangam locum Thucydidis I. 33. μηδὲ δεῖν φθάσαι ἀμάρτωσιν, ἢ κακῶσαι ἡμᾶς, ἢ σφᾶς αὐτοὺς βεβαιώσασθαι; ubi non capio, qui Schaeferus p. 184. ἐν post δεῖν ab librariis neglectum suspicari potuerit; quo addito prorsus perturbatur constructio, multoque minus intelligi locus potest. Sana sunt omnia: sed historicus, ne repetito verbo dicendum esset, 142 ἢ τοῦ φθάσαι ἡμᾶς κακῶσαι, ἢ τοῦ φθάσαι σφᾶς αὐτοὺς βεβαιώσασθαι, insolentiore structura dixit, δεῖν ἀμάρτωσι, φθάσαι: i. e. *duabus rebus ad praeventendum exciderent* *). Sed redeo in viam. Vt ἀμαρτάνειν τινός, sic γυμνόν, ξένον, καθαρὸν εἶναι τινός, γῆς ἐλαύνειν, ἀμύνειν, θεῶν μιᾶς ἔφυσε Μαίαν, et illud Euripidis in Electra v. 1215.

κατείδες, οἶον ἂ τάλαιν' ἐῶν πέπλων
ἔβαλεν, ἔδειξε μαστὸν ἐν φοναίσιν,

quod exemplum cum aliis allatum est in his, quae p. 670. 673. 674. 693. 695. 734. commemorantur. Nescio an eodem referri debeat hoc Sophoclis in Electra v. 78.

καὶ μὴν θυρῶν ἔδοξα προσπόλων τινός
ὑποστενούσης ἔνδον αἰσθῆσθαι, τέκνον,

ubi durius certe θυρῶν ἔνδον cum scholiasta iunxeris. Sed cave ne hunc usum eo traducas, quo non amplius licet: quod ego Schaefero quidem non imputaverim, qui p. 750., ut solet, aliorum verba ponit, ipse a dicenda sen-

*) Vide quae adnotavi ad Sophocl. Electr. 1312.

tentia abstinens: sed hi, quorum ille verba attulit, Brunc-
cius et Porsonus, non ante ad suam me sententiam tradu-
cent, quam ubi alicuius saltem praepositionis ellipsin certis
argumentis demonstratam videro. Contendunt illi per el-
lipsin praepositionis Euripidem dixisse in Oreste v. 491.
ed. Pors.

πληγείς θυγατρὸς τῆς ἐμῆς ὑπὲρ κάρα,

143

et in Electra v. 123.

*κείσαι σᾶς ἀλόχου σφαγείς,
Αἰγίσθου τ' Ἀγάμεμνον.*

Quorum locorum quum neuter mihi sanus esse videatur,
priorem etiam ob mirum illud parumque aptum ὑπὲρ κάρα
suspectum habeo. Quo minus dubito, quin scribendum
sit:

πληγείς θυγατρὸς τῆς ἐμῆς ὑπαὶ κάρα,

et,

*κείσαι σᾶς ἀλόχου σφαγαίς,
Αἰγίσθου τ' Ἀγάμεμνον *).*

Sed revertor ad illud, χρυσὸν Ἀλεξάνδροιο: quae
verba quum non modo aurum significant, quod possidebat
Alexander, sed etiam illud, quod quocumque alio modo
ad Alexandrum spectabat, facile est intelligere, qui fa-
ctum sit, ut etiam aurum, quod pro Alexandro daretur,
ita appellari posset. Restant adhuc in Homericis carmi-
nibus certa huius interpretationis vestigia: ut Iliad. I. 111.

*οὐνεκ' ἐγὼ κούρης Βρισηΐδος ἀγλά' ἄποινα
οὐκ ἔθελον δέξασθαι.*

V. 265.

*τῆς γάρ τοι γενεῆς, ἣς Τρωί περ εὐρύοπα Ζεὺς
δῶχ', υἱὸς ποινήν Γανυμήδεος.*

XIII. 659.

ποινή δ' οὔτις παιδὸς ἐγίγνετο τεθνηῶτος.

*) Hodie non ausim librorum scripturam in his locis mutare.
Vide quae ad utrumque adnotavit Matthiae.

144 Et omnino haec nomina, ubicumque apud Homerum inveniuntur genitivo iuncta, simplicem habent constructionem, ut *pretium Ganymedis*, non *pretium pro Ganymede* dixisse existimandus sit. Sed talia quum usu frequentari coepissent, genitivus paullatim etiam eius rei significationem accepit, pro qua quid daretur vel acciperetur. Vnde dixit poeta,

ἢ χρυσὸν φίλου ἀνδρὸς ἐδέξατο τιμήντα,

neque χρυσὸν ἀνδρὸς, neque ἀνδρὸς ἐδέξατο iungens, sed nudo usus genitivo, is ut esset *pro viro*. Ex his cognosci potest, quid statuendum sit de ellipsi praepositionum ἀντί et πρό et ὑπέρ, qua quid iam est, quod nos commode carere prohibeat? Obiter observo, Schaeferum in Aeliani loco, qui est Var. hist. III. 10. Perizonii aliorumque auctoritate praeter necessitatem de vitio cogitasse: quem revocare poterat vel Theocriti versus, eadem pagina allatus. Sic etiam Aeschylus in Agam. 358.

πολλῶν γὰρ ἐσθλῶν τήνδ' ὄνησιν εἰλόμην.

Neque in Euripidei Erechthei loco Schaeferi emendationem amplectar, quae mihi quidem enervare orationem videtur. Scribendum puto:

μισῶ γυναῖκας, αἴτινες πρὸ τοῦ καλοῦ
ζῆν παιδας εἶλονθ', ὅτι παρήγεσαν κακά.

Venio denique ad alias genitivi constructiones, in quibus nemo de ellipsi praepositionis cogitaturus fuisset, nisi nomen, ad quod genitivus refertur, saepius delitesce-
145 ret. Sed qui semel admonitus usitatam illam duarum locutionum permixtionem meminerit, sponte, opinor, ineptas istas ellipses et ex parte prorsus invito linguae ingenio excogitatas spernere incipiet. Huiusmodi sunt p. 669. φρίδασθαι, 671. ἐνδεής, κενός, ἀθῶος, ἄπειρος, πλησίος, ἄγχι, 672. ἄρχεσθαι, λήγειν, 690. παύεσθαι, ἀναπνεῖν, 705. κατηγορεῖν, ὀργίζεσθαι, 706. ἀγασθαι, εὐδαιμονίζειν, ubi Schaeferus male interpretatus est Sophoclis locum in Trachiniis v. 305., quem rectius intellexit Brunckius ad Oed. R. 534. porro p. 732. μιμνήσκεσθαι,

λανθάνεσθαι, 733. σπλαγχνίζεσθαι, ἀπορεῖν, καταφρονεῖν, ἐπιμελεῖσθαι, φροντίζειν, 739. τυφλός, 748. ἐνεχυράζεσθαι, 750. ἀνερεθίζεσθαι, 751. πείθεσθαι: quibus infinita copia similium exemplorum adiici posset. In his omnibus formulis nulla ex praepositione pendet genitivus, sed ex eo, quod pro substantivo genitivum sibi postulante verbum vel nomen ponitur, in quo, si sensum spectes, istud nomen, quod genitivo adhibendo occasionem dederat, inest. Sic ἀχαικός ἀσπίδων quid est aliud, quam ἀνευ χαλκοῦ ἀσπίδων? sic κενός τιος est κένωμα ἔχων τιός. Similiter quomodo μιμνήσκεσθαι τιος intelligi debeat, declarat Sophocles in Oed. R. 1246.

μνήμην παλαιῶν σπερμάτων ἔχουσ'

et in Electra v. 392.

βίου δὲ τοῦ παρόντος οὐ μνησίαν ἔχεις;

et idem, quomodo χολοῦσθαι τιος, in Aiace 41.

146

χόλω βαρυνθεῖς τῶν Ἀχιλλείων ὄπλων,

et in Philocteta v. 327.

τιος γὰρ ὦδε τὸν μέγαν
χόλον κατ' αὐτῶν ἐγκαλῶν ἐλήλυθας;

pariterque Euripides in Electra v. 1270.

μῆνιν θυγατρὸς ἀνοσίων νυμφευμάτων.

Sed hi ipsi Sophoclis atque Euripidis versus ad bonam nos observationem ducent. Nam quid est, cur in tragicorum sermone χόλον ὄπλων et μῆνιν νυμφευμάτων non aliter iungenda videantur, quam μῆνιν Πηληϊάδεω Ἀχιλλῆος; apud Homerum autem, longe antiquiorem poetam, ideoque originibus formularum, quas supra tetigimus, propiorem, repudianda sit haec constructio? Iliad. VIII. 316.

Ἔκτορα δ' αἰνὸν ἄχος πύκασεν φρένας ἠνιόχοιο,
et IV. 169.

ἀλλά μοι αἰνὸν ἄχος σέθεν ἔσσεται, ὦ Μενέλαε.

quem locum priori adiunxit Schaeferus p. 707. Sic etiam XVI. 581.

Πατρόκλη δ' ἄρ' ἄχος γένετο φθιμένου ἐτάριοιο.
XVII. 538.

*ἦ δὴ μὰν ὀλίγον γε Μενoitιάδαο θανόντος
κῆρ ἄχεος μεδέηκα.*

XX. 293.

ὦ πόποι, ἦ μοι ἄχος μεγάλητορος Αἰνείαο.
Odyss. IV. 108.

*ἔμοι δ' ἄχος αἰὲν ἄλαστον
κείνου.*

147 Ib. XVII. 489.

*Τηλέμαχος δ' ἐν μὲν κραδίη μέγα πένθος ἄξειν
βλημένου.*

XVIII. 323.

ἀλλ' οὐδ' ὡς ἔχε πένθος ἐνὶ φρεσὶ Πηγελοπείης.

A qua tamen ratione diversum est, quod Iliad. XIII. 417.
XIV. 458. 486. legitur,

Ἄργείοισι δ' ἄχος γένετ' εὐξαμένοιο,

in quibus locis genitivus temporis habet, non, ut in superioribus exemplis, causae notationem. Aliis in locis uterque modus admitti potest, ut Iliad. XI. 249.

*κρατερόν ῥά ἐ πένθος
ὄφθαλμοὺς ἐκάλυψε κασιγνήτοιο πεσόντος.*

XVIII. 88.

*νῦν δ', ἵνα καὶ σοὶ πένθος ἐνὶ φρεσὶ μυρίον εἴη
παιδὸς ἀποφθιμένοιο.*

Igitur ut ad propositam quaestionem respondeamus, sic est tenendum. Quum Graeci quadam commutatione verborum pro *μνήμην ἔχειν τινὸς* dicerent *μινῆσκεσθαί τινος*, et quae sunt similia, multo usu hae loquendi formae ita se in eorum sermonem insinuarunt, ut iam, quod accidere solet iis, qui linguas usu discunt, nemo cogitaret, unde

essent hi genitivi, sed eos tamquam legitimam constructionem usurparent. Itaque in multis locutionibus, quales exempli caussa sunt *ὀργίζεσθαι, χολοῦσθαι, θαυμάζειν, μακαρίζειν τινός*, genitivus non poterat non videri id indicare, cuius caussa aliquid fieret. Hinc sicubi ad pristinam dicendi rationem redibant, non construebant, ut initio factum fuerat, *ὀργὴν τινος ἔχειν*, sed *ὀργὴν ἔχειν*, tamquam *ὀργίζεσθαι* cogitantes, et genitivum sic nude addentes, quo id, cuius caussa quis irasceretur, indicarent. Id manifesto docet Homerus *Odyss. XXIV. 423.*

*παιδὸς γὰρ οἱ ἄλαστον ἐνὶ φρεσὶ πένθος ἔκειτο,
Ἀντιόου, τὸν πρῶτον ἐνήρατο διὸς Ὀδυσσεύς
τοῦ ὄγε δακρυχέων, ἀγορήσατο καὶ μετέειπεν.*

Ita factum est, ut genitivus etiam solus per se poneretur, ubi, propter quod aliquid fieret, significandum erat. Quod quidem non est ubique factum, sed in quibusdam dumtaxat loquendi modis, ut apud Sophoclem in *Trachiniis v. 666.*

*ΔΗ. οὐκ οἶδ' ἄθυμῶ δ', εἰ φανήσομαι τάχα
κατὸν μέγ' ἐκπράξασ' ἀπ' ἐλπίδος καλῆς.*

ΧΟ. οὐ δὴ τι τῶν σῶν Ἡρακλεῖ δωρημάτων;

Hinc nihil mirum, si tragici, multa illi novantes et ubique insolentiosem captantes sermonis formam, tamquam novum quid dixerunt *χόλον ὄπλων, μῆνιν νυμφευμάτων*, qui re vera omnium fuerat antiquissimus usus. Quae quum ita sint, quis iam ad ellipsin praepositionis *ἐνεκα* confugiendum putabit in exemplis p. 705. 708. 748. commemoratis? Quod nollem etiam Schaeferus fecisset, quem ob id quoque hic non probo, quod p. 705., ubi *Dorvillii* verba adscripsit, nihil admonuit lectorem de *Platonico* illo in *Apolog. Socr. c. 9. καὶ φαίνεται τούτου λέγειν τὸν Σωκράτην*: in cuiusmodi locutione quum *τούτου* nullo pacto *ob id* significare possit, quod virum doctissimum non potuit fugere, non modo improbari, tironum caussa, debebat *Dorvillii* sententia, sed adnotari etiam verissima et merito ab *Heindorfio* recepta *Fr. Aug. Wolfii* emenda-

tio, καὶ φαίνεται τοῦτ' οὐ λέγειν τὸν Σωκράτην, in quibus verbis praeterea notabilis est etiam trimeter iambicus.

IX. De usu genitivi omissio nomine.

Genitivi constructionem supra diximus duas habere formas, unam, qua, quod alicuius rei sit, quid sit huius rei dicatur: quod genus tractavimus; alteram, qua aliquid universe dicatur alicuius rei esse, non addito, quid eius rei sit. Hanc formam nunc videamus. Est ea autem duplex. Nam aut adiectivum additur genitivo, aut ne hoc quidem.

Adiectivum adliicitur, ut in hoc, οἱ χαρίεντες τῶν ἀνθρώπων, quod incredibile esset, nisi factum videremus, per omissionem particulae εἰς explicari potuisse. Talia quidem mittamus: dicamus vero de constructione genitivi cum comparativo, quae ad hoc genus pertinet.

150 Quae constructio quum non possit non mira ac difficilis explicatu videri, ab his, qui ubique ellipses quaerunt, facillimo sane modo explanaretur, nisi omissio particulae ἀντι vel πρὸ tam absurda esset, ea ut nisi prorsus occaecato ad sanae rationis lucem homini non posset in mentem venire. Nam nisi usu iam constaret, genitivum comparationi inservire, numquam de ista ellipsi quisquam cogitasset. Quam Graeci si adhibuissent, poterant profecto etiam accusativum nomini comparativo iungere, παρὰ intelligentes: quod quis nunc non portentis instar habiturus esset? Planissima vero est, neque ullo indiget alieno adminiculo ista constructio. Nam sicut Graeci dicunt δια θεάων, ἕξοχος ἄλλων, ἀριδείκτος ἀνδρῶν, ἄριστος Ἀχαιῶν, ita etiam comparativo nomine usi sunt, προφερέστερος ἀπάντων dicentes, quum eum vellent indicare, qui inter alios esset praestantior. At, inquiet aliquis, non modo plurali numero, sed etiam singulari genitivus iungitur: ἐπεὶ οὐ ἔθεν ἐστὶ χειρῶν: ubi ista explicatio cadat necesse est. Enimvero propriae quidem singularis numeri nomen non poterat iungi comparativo, sed quum per eas

locutiones, in quibus pluralis est, ista constructio tritissima facta esset, mox, transitum a plurali ad singularem facientibus nominibus collectivis, ut

δήμου τε προὔχουσιν,

non attendebatur amplius ad constructionis istius originem, 151 sed simpliciter genitivus comparativo iunctus eamdem vim habebat, ac si particula ἢ adhiberetur: quare quod pluralis numeri proprium fuerat, paullatim etiam ad singularem traductum est. Inde ingens promanavit aliarum locutionum copia, quae omnes facile carebunt auxilio ellipseos, veluti ὑστερεῖν, νικᾶσθαι τινος, quod est ὑστερον, ἤττονά τινος εἶναι: in quibus formulis quas ellipses finxerint, cognosci potest e p. 664. 670. 749.

Alter genitivi nomine carentis usus hic est, in quo ne adiectivum quidem nomen adiicitur. Quod genus eiusmodi est, ut, quod alicuius esse dicitur, plerumque possit per adiectivum vel adverbium exprimi. Vt, σου τόδ' ἐστίν, id est σόν ἐστι· πολλοῦ ποιεῖσθαι, id est μέγα ποιεῖσθαι. Aeschylus in Supplicibus v. 592.

*φυσίζοον γένος, τὸ δὴ
Ζηρός ἐστιν ἀληθῶς.*

Sophocles in Electra v. 199.

*εἴτ' αὖν θεός, εἴτε βροτῶν
ἦν ὁ ταῦτα πράσων'*

et in Antigona v. 114.

λευκῆς χιόνος πτέρυγι στεγανός,

id est, Διον, βρότειος, χιονέη. Homerus Odys. III. 251.

ἦ οὐκ Ἄργος ἦεν Ἀχαιϊκοῦ;

quod exemplum bene adhibuit Musgravius ad Sophoclis Electr. 909. id est Ἀργόθι. Sic οὐ et αὐτοῦ, ubi, ibi 152 significantia, intelligi debent. Fraudem fecit haec constructio etiam summis viris, ut ad ellipsin confugiendum putarent, ut Musgravio et Porsono, a Schaefero p. 691. seq. ita commemoratis, ut ipse quoque eorum sententiam

probare videatur. Quid vero τὰςδε γὰς πόσις, vel ὅς ἂν δύνηται πόλεος aliud est, quam ἐγγώριος πόσις, et ὅς ἂν πολίτης δυνατός ἦ? Ad eundem usum talia pertinent, ut πολλοῦ χρόνου, τίνος χρόνου, quorum exempla vide p. 675. 723. Homerus Iliad. XI. 690.

ἐλθὼν γὰρ ῥ' ἐκάκωσε βίη Ἡρακληεῖη
τῶν προτέρων ἐτέων.

Vix opus est, ut moneamus, non diversa esse, quae p. 694. commemorantur, τοῦ δ' Ἀτρεὺς ἔφν, Ἀτρείως δὲ Ἀγαμέμνων ἔφν· τοῦ δὲ Λάβδακον φῦναι λέγουσιν, item p. 749. κρατίστου πατρὸς Ἑλλήνων τραφεῖς, in quibus locis omnibus poetica φῦναι et τραφῆναι pro simplici εἶναι dicta sunt. In primis autem huc referendi sunt genitivi absoluti, de quibus quae p. 692. 709, 751. traduntur, vel hoc nomine falsa sunt, quod non nisi in quibusdam locis et locutionibus admitti possunt: quod contra explicatio, quam supra iam attigimus, nullo in loco fallit.

Omnino latissime patet hic locus: quo recte intellecto, quae reliquae sunt praepositionum cum genitivo construi solitarum ellipses, submoventur omnes. Sed an-
153 tequam in eo explicando progrediamur, occurremus iis, qui his, οὗ et αὐτοῦ, et Homérico isto Ἀργεος Ἀχαιῶκοῦ male uti possint. Id quod accidit Musgravio, qui ad Sophoclis Electram v. 906. νεὼς ἄγοντα, quod est in Philocteta v. 630., pro ἐπὶ νεὼς dictum putavit. Nam hoc fieri nequit, neque ista verba aliud significare possunt, quam *ducentem ab navi*, genitivo remotionem significante, de qua re supra dictum est. Quo magis miror, Schaeferum p. 710. in eundem cum Musgravio errorem incidisse. Revocare eos potuisset, quod in eadem fabula paullo ante scriptum est v. 614.

ἄγοιντο νήσου τῆςδ', ἐφ' ἧς ναίει τανῦν.

Omnino ista Schaefero infelix pagina fuisse videtur, qui ibidem praeter hunc locum tres alios eiusdem fabulae locos secus, ac debebat, interpretatus fuerit: v. 1178., ubi ἴωμεν ναὸς *eamus in navi* significare vult, quod fieri non

potest. Audire debebat, cuius auctoritati plurimum tribuere solet, Brunckium, ita interpungentem, *ἰωμεν, ναὸς ἴν' ἡμῖν τέτακται.* Deinde v. 643. 154

τί τοῦθ', ὃ μὴ νεὼς γε τῆς ἐμῆς ἐνι;

ubi *νεὼς* non magis significat *in navi*, quam in superioribus locis: quod quidem Brunckio fieri potuisse videbatur; sed statim ille aliam, eamque multo magis probabilem interpretationem adiecit, e praecedentibus verbis *λαβεῖν* repetens, et *νεὼς τῆς ἐμῆς ex mea navi* intelligens. Denique v. 205.

*βάλλει, βάλλει μ' ἐτύμα φθογγά του,
στίβου κατ' ἀνάγκαν
ἔρποντος,*

ubi Schaeferus aut *στίβον* cum Triclinio, aut *στίβῳ* legendum putat. At sana sunt omnia, quandoquidem iungi debent haec, *κατ' ἀνάγκαν στίβου*, quae sic quoque dici poterant, *πρὸς βίαν ποδός.* Vt paucis complectar, verba sunt in his locis omnibus motum indicantia, quae ubi genitivo iunguntur, aut motum ex aliquo loco significant, cuius significationis causam supra aperuimus, aut locum notant, quo aliquid, tamquam ad metam aliquam, tendat, de qua re mox dicemus. Mansionem rei in aliquo loco, seu verius in eius aliqua parte, genitivus non potest aliter denotare, quam verbis aut motus significatione carentibus, aut motum indicantibus ex aliquo loco non egredientem iunctus. Sic Homerus dicere potuisset, *ἢ οὐκ ἐφοῖτα Ἄργεος.* Ab huiusmodi igitur formulis omnibus ellipsin removendam iudicamus. Nam si quid loci alicuius vel temporis esse dicitur, id per se planum est sic dici, ut in aliquo loco esse, et fieri tempore aliquo intelligatur. Ex his unumquemque reliqua, quae ad hoc genus pertinent, sponte diiudicaturum speramus.

Redeo in viam. Graeci quum genitivo sic utantur, ut quidquid quocumque modo alicuius rei sit, eo casu 155 significant, saepissime cum verbis *dicere* et *audire* significantibus genitivum coniungunt eius rei, de qua quid dicitur vel audiatur. Exempla in Bosii libro allata sunt

p. 734.; ubi quidem diversissima miscentur. Pertinent huc talia; ἐπύθοντο τῆς Πύλου κατελιημμένης, πατρός ἀκούσας, κλύουσα παιδός, quorum hic sensus est, *aliquid de capta Pylo, de patre, de filio audire*. Quae ne quis putet, ut isti volunt, per ellipsin praepositionis *περὶ* explicanda esse, meminerit, quod supra diximus, posse talia plerumque per adiectivum exprimi. Sic πατρός ἀκούσας potuit etiam dici πατρῶα ἀκούσας. Si Homerus Odys. XV. 347. dicit:

εἶπ' ἄγε μοι περὶ μητρὸς Ὀδυσσεύος θείοιο,
πατρός θ' ὃν κατέλειπεν ἰὼν ἐπὶ γῆραος οὐδῶ,
εἶ που ἔτι ζῶουσιν ὑπ' αὐγὰς ἡελίοιο,
ἣ ἤδη τεθνήασι, καὶ εἰν Ἀἴδαο δόμοισιν.

quis inde colligat, *περὶ* omissum esse Odys. XI. 174.

εἰπέ δέ μοι πατρός τε καὶ υἱέος, ὃν κατέλειπον,
ἣ ἔτι παρ κείνοισιν ἐμὸν γέρας, ἥέ τις ἤδη
ἀνδρῶν ἄλλος ἔχει, ἐμὲ δ' οὐκέτι φασὶ νέεσθαι.

neque potius ducat, poetam dicere voluisse, *dic mihi hoc patris*, quod quid sit, statim explicat. Quin statim, quo minus de huius interpretationis veritate dubites, eadem forma orationis, sed addito nomine, pergit:

156 εἰπέ δέ μοι μνηστῆς ἀλόχου βουλὴν τε νόον τε,
ἣέ μένει παρὰ παιδί, καὶ ἔμπεδα πάντα φυλάσσει,
ἣ ἤδη μιν ἔγημεν Ἀχαιῶν ὅστις ἄριστος.

Poterat hic quoque omittere verba *βουλὴν τε νόον τε*: quae si omisisset, quid aliud dictum esset, quam *εἰπέ μοι ἀλόχου τὸ ἣ μένει ἣ γήμασθαι*. Sed quum hic usus invaluisset, ut genitivus in huiusmodi re usurparetur, omissio nomine rei, quae de aliquo diceretur, vel acciperetur, postea saepe ne tum quidem quum nomen indefinitum addebatur, id construi solebat cum genitivo, sed per se solum iungebatur verbo:

εἰ σφῶϊν τάδε πάντα πυθοῖατο μαρναμένοιϊν.

Hic proprie iungi deberent, *τάδε σφῶϊν, haec vestrum*, id est, *haec vestra*: sed poeta non iunxit, usui iam stabi-

lito indulgens, quo *σφῶν πυθόιατο* iungebatur. Sic etiam Iliad. XI. 657.

*οὐδέ τι οἶδεν
πένθεος, ὅσσον ὄρωρε κατὰ στρατόν.*

Tale est etiam illud Aristophanis, in Bosii libro commemoratum, *τοῦ πράγματος ἀκήκοέν τι*; et haec Sophoclis in Trach. 1122.

*τῆς μητρὸς ἦκω τῆς ἐμῆς φράσων, ἐν οἷς
νῦν ἐστίν, οἷς θ' ἤμαρτεν οὐχ ἔκουσία.*

et in Philocteta v. 439.

*ἀναξίου γὰρ φωτὸς ἐξερήσομαι
γλώσση τε δεινοῦ καὶ σοφοῦ, τί νῦν κυρεῖ.*

et Euripidis in Phoenissis v. 1351.

157

*ὦ δῶματ', εἰσακούσατ' Οἰδίου τὰδε
παίδων, ὁμοίαις ξυμοφαῖς ὀλωλότων.*

In quibus exemplis omnibus etsi genitivus per se solus positus esse censendus est, quid est tamen, cur ad ellipsin confugere, quam id probare malimus, quod antiquitus in talibus formulis cogitatum fuisse verba ipsa suadeant, *τῆς μητρὸς, τοῦ φωτὸς τὴν νῦν τύχην, Οἰδίου παίδων τὰδε*? Sic quod est in Sophoclis Electra v. 317.

*καὶ δὴ σ' ἐρωτῶ· τοῦ κασιγῆτου τί φῆς,
ἦξοντος ἢ μέλλοντος;*

quid est aliud, quam *τί φῆς ἀδελφικόν*? Rarioris formae hoc est apud eundem poetam in Trachiniis v. 394.

ὡς ἐρποντος εἰσορᾶς ἐμοῦ.

quod proprie si dicas, erit *ὡς εἰσορᾶς ἐμὸν τόδε, ἐρποντος*. Duo alia exempla, quae in Bosii libro p. 734. commemorata sunt, non huc pertinent, sed ad commutationem illam duarum locutionum, de qua supra exposuimus: *ὡς γινῶ χωρόμενοι*, et *ἀεξομένοιο διδάσκει μῆνός*: id est *ὡς γινῶσιν ἔσχε χωρόμενου*, et *διδάσκαλός ἐστι μῆνός ἀεξομένου*. Neque ad nostram disputationem pertinet Sophoclis locus in Trachiniis v. 927.

καὶ γὰρ δρομαία βᾶς, ὄσονπερ ἔσθινον,
τῷ παιδί φράζω τῆς κασιγνήτης τὰδε·

158 ubi Musgravius male putat genitivum e verbo φράζω pendere. Recte eum Erfurdcius cum scholiasta ad τῷ παιδί refert. Nam si ad φράζω pertineret, abesse oporteret articulum τῆς.

Superest alius genitivi nomine carentis usus, quo recte intellecto ingens ellipsium numerus removetur. Obtinet enim per omnem Graecam linguam, ut, cuius rei aliqua pars intelligatur, ea res omissa partis nomine casu genitivo cum omni genere verborum, quemcumque ea casum sibi adiungi postulent, construi possit. Cuiusmodi sunt, ἄπτεσθαι, ἀπολαύειν τινός· ἔρχεσθαι, θεῖν πεδίου· πληροῦν, γέμειν τινός· λοῦσθαι ποταμοῦ· (vide Bosii librum p. 670. 675. 685. 687. 709.) et alia innumerabilia. In quibus formulis omnibus non praepositionis ulla ellipsis est, sed nominis indefiniti τί. Eodem loquendi modo Germani utuntur, eadem cum ellipsi dicentes, *des weges gehen, des weines trinken*, atque alia. Sed quaedam sunt in hoc genere rariora, ut κτείνειν λίθων, commemoratum p. 675.; quaedam autem difficiliora, ut, quod prorsus neglectum est in libro Bosiano, ἔρχεσθαι ἀγγελίης. Quare hoc paucis explicemus. Et quum grammatici quidam nomen ἀγγελίης apud Homerum masculini generis esse, eumque, qui nuncius mitteretur, significare credidissent, impugnare hanc opinionem 159 aggressus est Hermannus Tollius in secundo excursu ad Apollonii lexicon Homericum. Qui quum recte sane non aliud nomen, quam femininum ἀγγελίη agnoscat, mire tamen fallitur in usu eius nominis expediendo. Ac primus, quo utitur, poetae locus est Iliad. IV. 384.

ἐνθ' αὐτ' ἀγγελίην ἐπὶ Τυδῆ στείλαν Ἀχαιοί.

Vbi cum Eustathio verba sic iungit, Τυδῆ ἐπ' ἀγγελίην στείλαν: quod ut fieri possit per linguae leges, non est tamen ob versum faciendum, qui sic in duas aequales partes, magno cum suavitatis numerorum dispendio, divide-

retur. Quidni vero hoc dicere poetam putemus, *Τυδῆ ἀγγελίην ἐπέστειλαν*? Deinde Iliad. III. 205.

ἦδη γὰρ καὶ δευρό ποτ' ἤλυθε δῖος Ὀδυσσεύς
σεῦ ἔνεκ' ἀγγελίης, σὺν ἀρηϊφίλῳ Μενελάῳ.

Hic vero iterum cum Eustathio sic verba construit, *ἔνεκα ἀγγελίης σεῦ*. Iliad. XIII. 252.

ἠέ τευ ἀγγελίης μετ' ἔμ' ἤλυθες;

cum scholiasta quodam *περὶ* omissum putat; et *εἰς* cum Eustathio Iliad XI. 139.

ὃς ποτ' ἐνὶ Τρώων ἀγορῇ Μενέλαον ἄνωγεν
ἀγγελίην ἐλθόντα σὺν ἀντιθέῳ Ὀδυσῆϊ
αὐθι κατακτείναι.

Alium Homeri locum, Iliad. XV. 639.

ὃς Εὐρουσθῆος ἀνακτος
ἀγγελίης οἴχνεσκε βῆν' Ἡρακλεΐην,

prorsus praeteriit. Ex Hesiodi Theog. 780. autem hoc 160 protulit exemplum:

παῦρα δὲ Θαύμαντος θυγάτηρ, πόδας ὠκέα Ἴρις,
ἀγγελίης πωλεῖται ἐπ' εὐρέα νῶτα θυλάσσης,
ὁππότ' ἔρις καὶ νεῖκος ἐν ἀθανάτοισιν ὄρηται.

quod aut emendatione, aut ellipsi praepositionis indigere dicit. At neque hoc in loco, neque in caeteris aut de ellipsi, aut de emendatione cogitandum. Nam ut alibi apud poetam est, *ἢ ὁδὸν ἐλθέμεναι*, ita cum accusativo dicitur *ἀγγελίην ἔρχεσθαι*, confusione quadam diversarum locutionum, quarum una est *ἔρχεσθαι*, altera *ἀγγελίην φέρειν*, quod fit proficiscendo. Eodem modo Germani dicunt *botschaft gehen*. Iam quum recte dicatur *ἀγγελίης φέρειν*, omissio *τί*, id est, *aliquid nuncii ferre*, coeptum est etiam *ἀγγελίης ἔρχεσθαι* dici, admixta alia locutione, *ἔρχεσθαι*.

Denique paucis attingendus est ille genitivi usus, quo meta indicatur, quam quis consequi studeat. Hic quoque usus paullatim existit, leniter deflexa illa genitivi signifi-

catione, quae est rei, cuius partem intelligimus. Nam quum talia iam pervulgata essent, ut, *ἄπτεσθαι, ψάειν τινός*, facillimus erat ad ea verba transitus, quibus non 161 ipsa partis cuiuspiam tactio, sed solus tangendi, conatus indicatur. Hinc *ρίπτειν, ἀκοντίζειν, οἰστεύειν, τιτύσκεσθαι, ἴεσθαι*, et quae similia sunt, genitivo iunguntur, sic ut is rem indicet, cuius quis partem studeat contingere. Exempla vide p. 715., in quibus iam ellipsi prae-positionis *κατὰ* facile carebimus.

Sed satis iam de genitivo dictum videtur.

X. De usu dativi.

Accedamus nunc ad dativum, cuius casus perfacilis ratio est. Nam dativus eam rem indicat, in qua cernitur aliqua efficientia; quod quum duobus modis fieri possit, uno activo, altero passivo, duplicem accepit vim dativus. Activa enim, quam voco, efficientiae ratio ea est, qua fieri aliquid per aliquam rem indicatur: qua in significatione ablativi nomen usurpari malo, Romanorum exemplo, apud quos ea significatio suam sibi propriam formam in quibusdam declinationibus vindicavit: passiva autem ratio efficientiae est, quae aliquid fieri in ea re, quae isto casu nominatur, indicat: quae ratio proprie dativi nomine insignitur.

Ablativus ergo quum per se instrumentum denotet, quo aliquid fiat, hoc minus ulla prae-positionis ellipsi opus habet, quod ne construitur quidem cum hoc casu in Graeco sermone ulla prae-positio. Quare ineptum est, ad talia, *πατάσσειν ῥάβδῳ, νοσεῖν νόσῳ, χαίρειν, ἀκμά- 162 ζειν, πρίασθαι τινι, ὤμοιῖν τεύχεα δύναι, σίγη, σπουδῆ*, et quae sunt similia, *ἐπὶ* vel *περὶ* vel *σὺν* intelligere, quod placet his, qui ubique ellipsin odorari solent, p. 701. seqq. 710. 712. 735. 743. Eadem res est, ubi ablativus significationem habet causae, ob quam quid fiat, quod frequens est apud poetas.

Sed ne in dativo quidem ullus est prae-positionis usus, quum *ἔπασθαι* vel *ἀκολουθεῖν τινι* dicitur, quod p. 700.

omisso *μετὰ* fieri putatur. Neque obscurum est, ut *ἴσος* vel *ὁμοίος τινι* dicitur, sic etiam *ὁ αὐτός τινι* dici, quod non rectius per ellipsin explicant p. 747., quam quum ad *ἅμα τινί* p. 744. *σὺν* intelligendum censent.

Sed duplex commemorandus est dativi usus, qui maiorem habet omissae praepositionis speciem. Talia enim, ut *Ἀθήνησι*, *Σαλαμῖνι*, *ὑπερωῖω*, *θύραισι*, *τῆδε ἡμέρᾳ*, quum per ablativum explicari nequeant, nihil mirum, si a plerisque elliptica habentur. At ne hic quidem ellipsis opus est, quia dativus etiam sine praepositione sufficit. Nam quod alicui rei esse dicimus, id ne potest quidem aliter dictum accipi, nisi sic, ut ad eam rem referri, et nunc proprie in ea inesse, ut *ἡ Ἀθήνησιν ἀκρόπολις*, *arx*, quae est urbi Athenarum, sive quam habent Athenae, nunc in eius potestate esse significetur, ut *ἔστι μοι δόρυ*. Fallitur ergo Latinorum usu deceptus Bosius, quum p. 696. *Λακεδαιμόνι*, et quae sunt huius generis 163 alia, non dativo, sed ablativo casu dici contendit. Quo casu, qui ab hisce exemplis alienissimus est, ne Romani quidem, opinor, nisi quadam pronunciationis negligentia, quum vulgo ablativum male a dativo discernent, uti coeperunt, recte illi in aliis, sed paucis exemplis veram rationem servantem, ut quum *ruri* et *rure* distinguunt. Apud Graecos quidem si plerumque adiungitur praepositio, id tantum abest, ut, ubi non est adiecta, per ellipsin omissa putari debeat, ut magis, quum addi eam non sit necesse, perspicuitatis caussa addatur. Fuit enim antiqua ratio loquendi haec, ut nominis dativo adiungeretur adverbium, *Πυθῶνι*, *ἐν*: ut in Aristophanis Equit. 1270. quod etiam dicebatur *ἐν*, *Πυθῶνι*, unde postea, quum adverbia in praepositiones verti inciperent, *ἐν Πυθῶνι* exstitit. Sed quum maxime in locorum nominibus, sive propriis, sive usitatissimis appellativorum, adverbium istud superfluum videretur, ut quo etiam omisso quisque dativum recte intellecturus esset, in his brevior loquendi forma magis frequentata est, in caeteris autem, quae magis ambigua sine praepositione essent, addi explicationem placuit. Sic, ut hoc utar, *οἶκω* etiam in adverbium *οἶκοι*

abiit. Eodem modo in citationibus librorum, *Εὐπολις* 164 *Αἰξίν*, et quae sunt similia, grammaticorum sermo frequentavit, ut nihil indigentia adverbio rem accuratius definiente. Magis etiam is usus in designando tempore obtinuit, quod in hoc genere multo minus quidquam oriri ambiguitatis potest. Caeterum in his quoque, quae hic tetigimus, exempla proferri solent a defensoribus ellipseos valde inepta, ut quum p. 711. in his *Odyss. XXI. 35.*

οὐδὲ τραπέζῃ

γνώτην ἀλλήλων,

ἐπὶ intelligi volunt, ubi *τραπέζῃ* ablativus est, *per mensam.*

Alter dativi usus, qui facile videri potest ellipticus esse, in hac formula est, *αὐτοῖς τοῖς ἵπποις κατακρημισθῆναι*, quod est *una cum equis*. Qui modus loquendi haberet sane, quod ad ellipsin confugere nos cogeret, nisi commode origo eius posset indicari. Nam, ut paucis complectar, hi non dativi sunt, sed ablativi: quibus vix dubitari potest, quin initio sic usi fuerint, ut recte locus esset ablativo. Ita *Homerus Iliad. XXIII. 8.*

ἀλλ' αὐτοῖς ἵπποισι καὶ ἄρμασιν ἄσσον ἰόντες
Πάτροκλον κλαίωμεν,

i. e. *ipsis equis et curru accedentes*, ubi equi et currus tamquam instrumenta, quorum auxilio accedendum sit ad rogam, commemorantur. Sed eadem res quum etiam sic 165 mente concipi posset, ac si verba ista *cum equis et curru* significarent, factum est paullatim, ut neglecto discrimine isti ablativi etiam ibi usurparentur, ubi instrumenti notio aliena esset, ut *Iliad. VIII. 289.*

πρῶτῳ τοι μετ' ἐμὲ πρὸς βῆϊον ἐν χειρὶ θήσω,
ἢ τρίποδ', ἢ δὲ δύῳ ἵπποις αὐτοῖσιν ὄχεσθιν.

Sed ad hanc loquendi rationem minime trahenda sunt talia, ut *ἀνεχώρησαν τῷ στρατῷ*, et quae huiusmodi exempla adiecit *Schaeferus p. 746.* qui si, quod credo, nullam in his esse ellipsin existimavit, admonere certe ea de re lectorem debebat. Hi quidem aperte sunt

ablativi. Non magis in hoc Aristophanis versu, Nub. 271.

εὐτ' Ὠκεανοῦ πατρὸς ἐν κήποις ἰσρὸν χορὸν ἴστατε
νύμφαις,

ellipsis est, sed *νύμφαις* nudus est dativus, isque propria sibi significatione: *nymphis*, i. e. *coram nymphis*, in earumque honorem ducitis choros.

XI. De usu accusativi.

Venimus denique ad accusativum, in quo explicando haud multo pauciores ellipses excogitatae sunt, quam in genitivo. His quoque carere possumus omnibus, idque facillime, quum longe minus difficultatis in accusativo, quam in genitivo sit. Omnis eius usus, qui quidem hic 166 considerandus sit, duas habet formas.

Harum prima in permixtione posita est duarum locutionum, quae ratio patet latissime. Exempla commemorabimus aliquot e Bosii libro: *πηδᾶν πεδία, ἔρχεσθαι κλισίην, ἄλλην χθόνα ἀποίσειν, καιρὸν ἐφήκεις, προπέμπειν ὁδόν, στήναι πέτραν*: v. p. 676. 678. 679. 680. 683. 718. 720. In his omnibus accusativus e verbo pendet *occupare* vel *obtinere* significante, pro quo verbum ponitur modum indicans, quo qui locus occupetur. Non diversa sunt ab hoc genere haec exempla: *ἔργα ἀρκέσαι, αἰτιασθαι τινά τι, ἐργάζεσθαι τινὰ κακά, χρῆσθαι τινί τι, ἄ πόλιν ὑμνησα, τίς ἂν τάδε γηθήσειεν, ἦν τοῦτο νικηθῆς ἐμοῦ, δύο μέρη τι διελεῖν, προτρέπω σε ταῦτα, εἶδος κάλλιστος, πάντ' εὐδαιμονεῖν, τὸ γένος Λαρισσαία ἦν, εἰρήνης γεγονυῖας τέτταρας μῆνας, ὃν τε κύν' Ὠρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσιν, οὐκ οἶδ' ὅ τι Ζεὺς ἔστ' ἐμοῦ κρείσσων θεός, ἀλγέω τὴν κεφαλήν, Ἰσθμια στεφανοῦσθαι, ὠφελεῖσθαι τι, σώματος δέσρην σφαγεῖσαν, ἀποστερεῖν τινά τι, τὸν δὲ σκότος ὅσ' ἐκάλυψεν, τί ποιήσεις τοῦτο*; v. p. 676. 680. 681. 682. 683. 711, 717. 719. 720. 722. 723. 740. Sophocles in *Aiace* v. 1143.

ναύτας ἐφορμήσαντα χειμῶνος τὸ πλεῖν.

Et mox:

167 οὕτω δὲ καὶ σὲ καὶ τὸ σὸν λάβρον στόμα
 μικροῦ νέφους τάχ' ἄν τις ἐκπνεύσας μέγας
 χειμῶν κατασβέσειε τὴν πολλὴν βοήν.

Vt unum ex his leviter attingam, εἶδος κάλλιστος dicitur pro εἶδος ἔχων κάλλιστον. Eodem modo talia, ut πολλὸν ἄριστος initio dicebantur, in quibus mox multo usu factum est, ut adiectivum neutrum adverbii instar haberetur: quae ratio deinde latissime diffundi coepit. Quid igitur sibi volunt ellipses istae, ad quas ubique confugiunt? An quia poeta dicit,

χωόμενον κατὰ θυμὸν εὐζώνοιο γυναικός,

χωόμενος κῆρ, quod apud eundem est, pro χωόμενος κατὰ κῆρ dictum putabimus? aut quia Iliad. XV. 60. dicit,

λελάθη δ' ὀδυνάων,

αἶ νῦν μιν τείρουσι κατὰ φρένας,

Iliad. XI. 273. 400. cum ellipsi praepositionis dixisse,

ἤχθετο γὰρ κῆρ?

Minime vero. Nam ut haec re nihil differant, at diverso tamen modo et cogitantur et dicuntur. Id ex eo intelligitur, quod non ubique κατὰ addi potest. In hoc,

τὸν δὲ σκότος ὄσ' ἐκάλυπεν,

si quis cum Leisnero in praefatione p. 28. κατὰ intelligi volet, is videat, ne poetam absurda dicere faciat. Etenim κατ' ὄσσε si dixisset, aut in oculis, aut in parte oculorum, aut per oculos caliginem dixisset offusam esse. Quin poe-
 168 tae fugerunt etiam κατὰ dicere, sic, ut ea particula quod ad aliquid attinet significaret. Quare perperam scholiastae hoc Sophoclis de Sole in Trach. 102 *).

εἶπ', ὃ κρατιστεύων κατ' ὄμμα,

*) De hoc et qui sequitur Oedipi Regis loco mutavi sententiam in editione Trachiniarum.

interpretantur κατὰ τὸ ὀπτικόν. Poeta hoc dicit, *o qui hic in conspectu nostro splendes*. Eodem illi errore decipi se passi sunt in Oedipo Rege v. 1086.

εἶπερ ἐγὼ μάντις εἰμί,
καὶ κατὰ γνώμην ἴδρις,

ad quem locum adscripserunt: *ἔμπειρος κατὰ τὴν γνώμην, συνετός· κατὰ νοῦν ἔμπειρος, φρόνιμος*. At hoc poeta sine particula γνώμην ἴδρις dicturus fuisset. Nunc hoc dicit: *si ego vates sum, et ex animi sententia, id est, quantum cupio, intelligens*.

Non diversa est omnis passivorum verborum cum accusativo constructio, quorum activa eum casum requirunt: ut *πλήττομαι πόδα*. Nam quia dicitur *πλήττω σε πόδα*, mixtum ex his, *πλήττω σε*, et *πλήττω πόδα σου*, dici coeptum est etiam *πλήττομαι πόδα*, quod compositum est ex his, *πλήττομαι*, et *πλήττει τις πόδα μου*, sive *πόδα πληττόμενον ἔχω*. Neque alia ratio est verborum neutrorum, aut eorum, quae aliud praeterea nomen additum habent: ut *ἀκμὴν φιλοσοφεῖς*. Xenophon. Anab. IV. 3, 26. *καὶ τὰ μὲν σκευοφόρα τῶν Ἑλλήνων καὶ ὁ 169 ὄχλος ἀκμὴν διέβαινε*. Sophocles Antig. 95.

ἀρχὴν δὲ θηρᾶν οὐ πρέπει τάμηχανα.

Quae si proprie dicenda fuissent, sic debuissent enunciari: *ἀκμὴν εἶχε διαβαίνων: οὐ πρέπει οὐδὲ ἀρχὴν ποιεῖν θηρῶντα τὰ ἀμήχανα*. Sed ista in dicendo brevitatis ita se in Graecorum sermonem paulatim insinuavit, ut nemo deinde, his formulis utens, unde ortae essent, cogitaret. Quare recte faciunt, qui *ἀκμὴν quum maxime*, et *ἀρχὴν omnino* significare dicunt, modo ne obliviscantur, si opus est, veram harum locutionum originem indicare.

Vnam adhuc classem exemplorum consecutor, quod ea paullo videtur impeditior esse: haec dico, in quibus ὄ, ᾶ, τό, ταῦτα, pro δι' ὄ, δι' ᾶ, διὰ τοῦτο, διὰ ταῦτα, et similiter etiam ἄπερ, ἄτε, οἴᾶπερ, οἴᾶ τε dici putant: v. p. 675. 676. 678. Et sane pronomina ista plerumque adverbiorum loco sunt, sed quaerenti, quo-

modo hoc factum sit, non ellipsis, verum multo planior ratio sese offeret. Initio enim haec quoque pronomina, uti debebant, cum verbo construebantur: ut *Iliad.* III. 176.

ἀλλὰ τὰ γ' οὐκ ἐγένοντο· τὸ καὶ κλαιούσα τέτῃκα·

id est, *quam ego rem deflens contabesco.* Euripides in *Phoen.* 268.

170 τὰ μὲν πυλωρῶν κλειῖθρά μ' ἐξεδέξατο
δι' εὐπτείας, τειχέων ἔσω μολεῖν·
ὃ καὶ δέδοικα, μὴ με δικτύων ἔσω
λαβόντες, οὐ μεθῶσ' ἀναίμακτον χροῖα.

id est, *quod ego metuo*, idque iam explicatur, quale sit, sequentibus verbis. Huiusmodi igitur constructionum frequenti usu fieri non potuit, quin pronomem simpliciter *quare* vel *propterea* significare inciperet. Hinc etiam ibi usurpari coepit, ubi verbum cum eo non posset construi: ut apud Theocritum, XIV. 3.

ταῦτ' ἄρα λεπτός,
χω μύσταξ πολὺς οὔτος, αὔσταλέοι τε κίκιννοι,

in quo loco αὔσταλέοι scribendum vidit egregiae indolis iuvenis, Augustus Ferdinandus Naekius.

Caeterum, quod in aliis ellipsium generibus factum vidimus, ut etiam alieni vel corrupti loci ad eas ellipses tuendas adhiberentur, id in hoc quoque genere factum est. Vnum ex his locis, qui Sophoclis est in *Philocteta*, p. 711. e mala Triclinii emendatione allatum, iam supra explicuimus. In Euripidis *Iphig. Aul.* 235. p. 719.

καὶ κέρας μὲν ἦν
δεξιὸν πλάτας ἔχων
Φθιώτας, ὁ Μυρμιδόνων Ἄρης,

Musgravii interpretatio, πλάτας pro accusativo habentis, 171 multo certe impeditior est, quam aliorum, qui πλάτας genitivum esse putant. Quos si sequutus esset, Musgravius, neque in *Supplic.* 659. δεξιὸν τεταγμένους κέρας, neque in *Heraclid.* 672. λαιὸν ἔστηκεν κέρας per ellipsin praepositionis explicuisset, sed verba τεταγμένους et ἔστηκεν pro simplici verbo ἔχειν vidisset posita esse. Similis,

sed quodammodo tamen diversa permutatio in Rhesi loco est quem adiungit, v. 486.

*ἀλλ' εἴτε λαιόν, εἴτε δεξιὸν κέρας,
εἴτ' ἐν μέσοισι συμμάχοις, πάρεστί σοι
πέλτην ἐρεῖσαι καὶ καταστήσαι στρατόν,*

ubi poeta quum *ἔχειν* vel simile quid in mente habuisset, mox mutat constructionem. Neque Schaeferus p. 680. Sophoclis verba in Aiace v. 516. afferre debebat:

*ἡ μοῖρα τὸν φύσαντά με
καθεῖλεν ἄδου θανασίμους οἰκήτορας,*

quomodo nec loquutus quisquam est umquam, nec loqui potuit. Corruptus est iste locus: sed hoc apertum est, verba *θανασίμους οἰκήτορας*, ut alibi docuimus, per appositionem adiecta esse, et de ambobus parentibus dici. Non magis quisquam Graecorum dicere potuit, quod Bosis, cum scholiasta *διὰ* intelligenti, p. 675, dicere visus est Apollonius Rhodius:

*ἐπεὶ Φρύξιοι θυηλάς
στέλλομαι ἀμπλήσων, Ζηνὸς χόλον Αἰολίδῃσιν;*

quem locus alia etiam inutili auxit ellipsi Brunckius *ὑπὲρ* 172 ad *Φρύξιοι* intelligendum censens. Interpungi debebat:

*ἐπεὶ Φρύξιοι θυηλάς
στέλλομαι, ἀμπλήσων Ζηνὸς χόλον Αἰολίδῃσιν.*

Vulgatam interpunctionem si quis Euripideo versu, qui est in *Electra* 1270. defensum iret, is graviter falleretur: de quo versu dicetur infra. Peius etiam, si fieri potest, Schwebelius erravit p. 676. ad verba *ἡ δ' ἄλλοδαπῶ ἐνὶ δήμῳ* 326. *διὰ* intelligens. Verba poetae haec sunt:

*οὐ γάρ κέν τι κακώτερον ἄλλο πάθοιμι,
οὐδ' εἴ κεν τοῦ πατρὸς ἀποφθιμένοιο πυθοίμην,
ὅς που νῦν Φθίῃφι τέρεν κἀτα δάκρυον εἴβει
χῆται τοιοῦδ' υἱός· ὃ δ' ἄλλοδαπῶ ἐνὶ δήμῳ
εἵνεκα ῥιγδανηῆς Ἑλένης Τρωσὶν πολεμίζω·
ἡ δ' ἄλλοδαπῶ ἐνὶ δήμῳ φίλος υἱός.*

Vbi quis non videt, *τὸν* esse positum, quod poeta in mente haberet *ἀποφθιμένον ἀκούσαιμι*?

Ad eandem classem etiam illa pertinent exempla, quae a quibusdam per appositionem explicantur, quod fecit Matthiae in grammatica Graeca p. 597., quae ratio multo certe verior est et aptior, quam, quo alii utuntur, ellipseos remedium. De ingenti exemplorum, quae congeri possent, copia satis erit pauca considerasse. Homericum illud,

θάνατόν νύ τοι ὄρκι' ἔταμνον,

173 sunt qui omissione praepositionis *εἰς* explicent. At etsi haec cum praepositione dici potuerunt, non est tamen intelligenda praepositio, ubi omissa est: sed diversae prorsus istae locutiones sunt. Recte igitur talia Matthiae sic interpretatur: ὄρκια ἔταμνον, ἃ ἐστὶ σοι θάνατος. Sed dicendum est etiam, qui factum sit, ut sic loquerentur. Clarum vero est, duo in his verbis latere, unum ὄρκια ἔταμνον, alterum θάνατόν σοι κάτεσκεύασα, quod ultimum quia factum erat feriendo foedere, utrumque in unam locutionem confusum est, θάνατόν τοι ὄρκι' ἔταμνον. Sic in illo:

οὔτι ψεῦδος ἐμὰς ἄτας κατέλεξας,

id est, οὔτι ψεῦδος ἔλεξας, ἐμὰς ἄτας καταλέγων. Aeschylus in Agam. v. 233.

*ἔτλα δ' οὖν θυτῆρ γενέσθαι θυγατρός,
γυναικοποιῶν πολέμων ἀρωγάν,
καὶ προτέλεια ναῶν,*

id est, ἔτλα ἀρωγάν πολέμων καὶ προτέλεια ναῶν παρασκεύασαι, θυτῆρ γενόμενος θυγατρός. Euripides Hecub. 866.

*ἦν δ' ἐξ Ἀχαιῶν θόρυβος ἢ πικουρία,
πάσχοντος ἀνδρὸς Θρηκὸς οἷα πείσεται,
φανῆ τις, εἶργε, μὴ δοκῶν ἐμὴν χάριν.*

Ibidem v. 885.

*καλεῖ σ' ἄνασσα δήποτ' Ἴλιου
Ἐκάβη, σὸν οὐκ ἔλασσον ἢ κείνης χρέος.*

Ibidem v. 971.

174 *τί χρῆμ' ἐπέμψω τὸν ἐμὸν ἐκ δόμων πόδα;*

Et in *Electra* v. 1269.

*Ἀλιζρόθιον ὄτ' ἔκταν' ὠμόφρων Ἄρης,
μῆνιν θυγατρὸς ἀνοσίων νυμφευμάτων*

ubi *μῆνιν* idem est, quod *μήνιμα*, ut apud Aeschylum in *Eumen.* 234. et apud Plutarchum in amatoriiis narrationibus p. 773. B. Homerus:

ὧς οἱ μὲν μάρναντο δέμας πυρὸς αἰθομένοιο.

Eodem modo *δίκην* usurpatur, et *τρόπον* et *δαρεάν*, et *προϊκα*, et *ὄναρ*, et *τέλος*, et *πέρας*, et aliquot alia nomina, atque apud Latinos nomen *instar*. Paulo alia ratio est loci Sophoclei in *Aiace* v. 172.

*ἦ ῥά σε ταυροπόλα Διὸς Ἄρτεμις
ᾠρμασε πανδάμους ἐπὶ βοῦς ἀγελείας,
ἦ πού τινος νίκας ἀκάρπτου χάριν,
ἦρα κλυτῶν ἐνάρων,
ψευσθεῖς, ἀδώροις εἶτ' ἐλαφηβολίαις·
ὁ χαλκοθώραξ ἦ τιν' Ἐννάλιος
μομφὰν ἔχων
ξυνοῦ δορός, ἐννηχίοις μαχαναῖς
ἐτίσατο λαβάν;*

Ita hic locus scribendus videtur *): male vulgo ἦ ῥα κλυτῶν ἐνάρων ψευστεισα δάροις, et ἦ χαλκοθώραξ: quorum ψευστεις, ἀδώροις emendatio est Musgravii. Sed etiam ἦ ῥα, ut inusitatum, tolli debebat. ἦρα κλυτῶν ἐνάρων est idem quod χάριν, ut ἦρα φιλοξενίης e Valckenarii emendatione in Callimachi fragm. 41. Johnsonus 175 scribendum putabat ἀκαρπώτου. Ita χάριν dictum esset, ut in locis supra allatis, de praemio, quo Diana Aiace esset remunerata. Quod servato ἀκάρπτου fieri nequit, ubi χάριν poeta dicit de praemio ab Aiace non dato Dianae. Nam enallage, quam fingit Musgravius, admitti non potest: quam figuram omnino operae pretium faceret qui arctioribus finibus circumscriberet. Quod si ἦρα κλυ-

*) Vide quae in editione Aiace adnotavi.

τῶν ἐνάρων scribitur, nihil relictum est difficultatis. Iam enim ψευσθεῖσα νίκας ἀκάρπωτον χάριν iungitur, id est, *defraudata fructu victoriae*, et quidem ἦρα κλυτῶν ἐνάρων, *ob spolia ab Aiace auxilio deae relata*. Ita Xenophon Anab. II. 2, 13. ἐπεὶ γὰρ ἡμέρα ἐγένετο, ἐπορεύοντο ἐν δεξιᾷ ἔχοντες τὸν ἥλιον, λογιζόμενοι ἦξειν ἅμα ἡλίῳ δύνοντι εἰς κώμας τῆς Βαβυλωνίας χώρας· καὶ τοῦτο μὲν οὐκ ἐψεύσθησαν. Hic quoque duae locutiones mixtae sunt, una ψευσθεῖσα et οὐκ ἐψεύσθησαν, altera ἐψεύσατο χάριν et οὐκ ἐψεύσαντο τοῦτο.

Iam denique secundam videamus accusativi adhibendi formam, quae non est in commutatione diversarum locutionum, sed in aposiopesi. Huius generis nescio an vix aliud possit exemplum proferri, quam γνώμην ἐμήν, commemoratum p. 719. Aristophanes in Pace v. 232.

ἀλλ' εἶμι· καὶ γὰρ ἐξιέναι, γνώμην ἐμήν,
μέλλει.

176 Idem in Ecclesiastis v. 348.

A. τί δῆτ' ἂν εἶη; μῶν ἐπ' ἄριστον γυνή
κέκληκεν αὐτήν τῶν φίλων; B. γνώμην γ' ἐμήν.

Et in Vespis 983.

ἐγὼ γὰρ ἀπεδάκρυσσα νῦν. γνώμην ἐμήν,
οὐδ' ἂν ποτέ γ' ἀλλ' ἢ τῆς φακῆς πεπλησμένος.

Quid vero? num hanc solam de tot praepositionum ellipsis, quas ostendimus temere fictas fuisse, admittemus? Immo tantum abest, ut hic commode videatur κατὰ intelligi posse, ut si κατὰ adiciatur, sensus longe alius evasurus sit: quemadmodum apud Euripidem in Andromacha v. 738.

ὅταν δὲ τὰκεῖ θῶ κατὰ γνώμην ἐμήν,
ἦξω.

Quo magis adducor, ut γνώμην ἐμήν per aposiopesin dici putem pro γνώμην ἐμήν λέγειν, ut dicam, quod sentio. Nam etiam alibi similis invenitur aposiopesis, ut apud Aristophanem in Avibus v. 274.

οὗτος, ὦ σέ τοι.

Et apud Sophoclem in Antigona v. 441.

σέ δῆ, σέ τὴν νεύουσαν ἐς πέδον κῆρα,
φῆς, ἧ καταρνεῖ μὴ δεδρακέναι τάδε;

Erunt fortasse, qui simile perflugium quaerendum putent in participiis ἐξόν, παρόν, δόξαν, εἰρημένον, ἀρξάμενον, et quae sunt huiusmodi alia. Haec vero magnopere vereor, ne non accusativo casu, quod Bosio, pessime 177 praepositionem μετὰ p. 729. 730. intelligenti, videtur, sed, ut iam ad Vigerium significavi, nominativo dicantur. Nam accusativus neque explicationem habet facilem, nec certa, quod sciam, testimoniorum fide nititur: quod secus est in nominativo. Est enim in hisce locutionibus, ut equidem existimo, non tam permixtio quaedam diversorum loquendi modorum, quam transitio ab alio ad alium, altero abrupto. Euripides Phoen. 290.

μέλλων δὲ πέμπειν μ' Οἰδίπου κλεινὸς γόνος
μαντείᾳ σεμνῆ, Λοξίου τ' ἐπ' ἐσχάρας,
ἐν τῷδ' ἐπιστρατεύσαν Ἀργεῖοι πόλιν.

Volebat poeta dicere, μέλλων με μέμπειν Οἰδίπου γόνος ἐπιστρατεύθῃ, sed abrumpit priorem constructionem, et infert aliam. Sophocles in Oed. Col. 1119.

ὦ ξεῖνε, μὴ θανάμαζε πρὸς τὸ λιπαρές,
τέκν' εἰ φανέντ' ἀέλπτα μηκύνω λόγον.

quum dicere vellet εἰ τέκνα ἀέλπτως φανέντα μηκύνειν με ποιεῖ λόγον. Quae ratio loquendi quum coepisset par haberi, ac si τέκνων φανέντων diceretur, factum est, ut in quibusdam maxime participiis etiam ubi non posset sic, ut initio, explicari, brevitatis caussa usurparetur. Euripides Heraclid. 6.

ἐγὼ γὰρ αἰδοῖ, καὶ τὸ συγγενὲς σέβων,
ἐξόν κατ' Ἄργος ἡσυχῶς ναίειν, πόνων
πλείστων μετέσχον εἰς ἀνὴρ Ἡρακλέει.

Praepositionum ellipses nullas esse vidimus. Dicatur nunc de ellipsi adverbiorum et coniunctionum, in quo genere nescias profecto, quid sentiendum esse dicas de his, qui hic quoque, ubi vel sensus communis ellipsin spernit, tam putidum adminiculum adhibere non dubitaverint. Pleraeque omnes harum ellipsium eiusmodi sunt, ut eas non praeterire me pudeat. Nam nisi factum esset, vix credi posset exstitisse, qui v. c. *πλησιάζειν γυναικί*, aut *Tityre* non putarent dici posse, nisi *ἔρωτικῶς* et *ο* intelligeretur. Qui si cogitassent, adverbia coniunctionesque proprietatibus quibusdam et sententiarum inter se consociationibus ac dissociationibus indicandis inservire, quae nisi disertim verbis expressae vel propterea intelligi nequeant, quod, si ellipsi locus esset, etiam aliena intelligi possent: numquam adeo absonam opinionem essent amplexi, ut voculas, quarum omissio longe aliter quam adiectio sententias conformat, per ellipsin negligi potuisse crederent *). Sunt tamen nonnullae harum particularum, quae quum etiam praestantissimis viris fraudem fecerint, diligentius considerandae videntur. Eas particulas ordine eo, qui est in Bosii libro, commemorabimus.

170 Ac primo quo tandem iure *ἄλλοτε* existimabimus omissum esse in talibus locis, qualis hic est Euripidis versus,

κεῖμαι δ' ἐπ' ἀκταῖς, ἄλλοτ' ἐν πόντου σάλῳ?

Vbi quid impedit, ne quis malit *ἐνίοτε* intelligere, aut ne putet ita dici pro *κεῖμαι δ' ἐπ' ἀκταῖς, οὐκ ἀεί, ἀλλ' ἄλλοτ' ἐν πόντου σάλῳ?* Quod si sapimus, fatebimur nihil esse omissum, sed Polydorum, postquam universe dixerat se proiectum esse in littore, accuratius describendae rei caussa deinde adlicere *ἄλλοτ' ἐν πόντου σάλῳ*. Neque ulla est lingua, quin eodem modo haec enunciare soleat.

*) Vide adnotata ad Sophoclis Ai. 1133.

Non meliora sunt, quae de omissione particulae *άν* traduntur, ex parte iam a Schaefero notata, quem quidem hic maxime speraveram multa e doctrinae suae thesauris largiturum esse. Equidem satis habeo breviter indicasse, quod longioris est disputationis, particulam *άν* ab antiquis sic esse usurpatam, ut nihil ad verbi modum pertineret. Quare sicubi optativus vel coniunctivus vel etiam indicativus invenitur ea particula destitutus, ita est existimandum, hanc particulam non esse additam; non etiam, omissam esse *).

Multo peius *εάν* etiam cum soloecismo intelligendum putavit Schoetgenius in huiusmodi exemplis: *δοῦλος ἐκλήθη· μή σοι μελέτω*: I. Cor. VII. 21. ubi recte quidem monet Schaeferus, non opus esse ellipsi, si priora verba 180 per interrogationem dicta accipiantur: sed ne hoc quidem necesse est, quia etiam quum sine interrogatione proferuntur, statim apparet, rem sumi tantummodo ut actam, non ut re vera actam referri. Atque hic quoque usus communis est omnium linguarum.

Ob aliam caussam e numero ellipsium eximendum est hoc, *γόνυ κνήμης*, ubi *ἔγγιον* non per ellipsin, sed per aposiopesin omittitur: quod frequens esse in proverbis supra observavimus.

Neque ulla est particulae *ἕως* ellipsis in hoc exemplo, *μειναντες ἀπολήξαι τὸ κλυδώνιον*, quia infinitivus solus per se significat *ut aliquid fiat*, quod ubi de exspectando sermo est, sponte apparet tantumdem esse ac *donec aliquid fiat*.

Speciosior, nec tamen vera ellipsis est particulae *ἤ*, ut in his: *οὐ πλέον τῆς πόλεως σταδίου ἀπέχοντα ἑπτὰ ἔτη γεγωνὸς πλείω ἐβδομήκοντα*. At hic tantum abest ut *ἤ* omissum sit, ut magis praegressi nominis genitivus

*) De huius particulae omissione dictum est in dissertatione de ea particula, quae scripta est editioni Britannicae Thesauri Stephaniani. Ac nullam esse huius particulae ellipsin vel ex eo patet, quod omissio eius mutat sententiae rationem.

mente repeti debeat: *σταδίους ἀπέχοντα οὐ πλέον ἑπτὰ σταδίων· ἔτη γεγωνὸς πλείω ἑβδομήκοντα ἐτῶν*. Neque in illo ellipsis est, *ἐλείπετο οὐδὲν ἔτι αὐτὴν φρονεῦσθαι*, quia solus per se infinitivus significat *ad pereundum*. Parum differt ab hoc loco is, quem ex Euripidis Alceste v. 896. attulit Schaeferus:

- 181 *τί γὰρ ἀνδρὶ κακὸν μείζον, ἀμαρτεῖν
πιστῆς ἀλόχου;*

In quo loco quum recte ellipsin improbaret Schaeferus, non debebat tamen ita eum constituere:

*ἔμνησας, ὃ μου φρένας ἤλκωσεν,
(τί γὰρ ἀνδρὶ κακὸν μείζον;) ἀμαρτεῖν
πιστῆς ἀλόχου.*

Quo modo qui loquutus sit, vereor ut quisquam reperiri queat. Expedita sunt omnia, si sic interpungas:

*τί γὰρ ἀνδρὶ κακὸν μείζον ἀμαρτεῖν,
πιστῆς ἀλόχου;*

ut *πιστῆς ἀλόχου* non ex *ἀμαρτεῖν*, sed e comparativo *μείζον* pendeat: *quid enim viro tristius est ad amittendum, quam fida uxor*.

Quid vero dicemus de eo, quod Porsono, viro Graece doctissimo, etiam ἦν vel ὅταν per ellipsin abesse visum est in hoc Euripidis loco, Hecub. 1018.

*ἀλίμενόν τις ὡς ἐς ἄντλον πεσῶν
λέχριος ἐκπέση φίλας καρδίας,
ἀμέρσας βίον.*

Tales enim particulae si omitti possunt, nihil profecto usquam est, quod non possit ellipseos ope defendi. Particula *ὡς*, ut apud Homerum *ὥστε*, per se regit coniunctivum, si res non ut facta, sed ut quae fieri possit, narratur:

- 182 *τοὺς δ', ὥστ' αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν αἰπόλοι ἄνδρες
ρεῖα διακρίνωσιν, ἐπεὶ κε νομῶ μιγέωσιν.*

Neque vera sunt, quae de omissione particulae *ἵνα* p. 764. afferuntur. Loci, qui ibi commemorantur, non

sunt omnes eiusdem generis. Horum quidam Schaefero structuram habere videntur soloecam, aut quae speciem certe soloecismi prae se ferat. Epigr. incerti poetae 249.

Κύρι, θέλεις οὕτως ἐς κρίσιν ἐρχόμεθα;

Lucian. T. III. p. 250. ἢ ἐθέλεις ἐγὼ αὐτὸς ἐπάνειμι ἐς τὸ πλοῖον; et p. 265. ἢ ἐθέλεις καταριθμῆσομαί σοι. At nihil hic soloecismi est. Sensus est: *visne? ipse conscendam: visne? enumerabo tibi: id est, si vis, enumerabo.* Scriptor epigrammatis pro futuro posuit praesens. Eodem modo nos loquimur: *willst du? so gehen wir vor gericht.*

Alterum genus locorum tale est: Anacreon XII.

τί σοι θέλεις ποιήσω;

Euripides Phoen. 734.

βούλει τράπωμαι δῆθ' ὁδοὺς ἄλλας τινάς;

Homerus Iliad. VI. 340.

ἀλλ' ἄγε νῦν ἐπίμεινον, ἀρήϊα τεύχεα δῶ.

Idem XXIII. 71.

θάπτε με ὅττι τάχιστα, πύλας Ἀΐδαο περήσω.

Hic in Anacreontis et Euripidis versibus nihil est difficultatis. Sunt enim hic quoque duae coniunctae diversae locutiones, una, *τί σοι θέλεις ποιῆσαί με; βούλει τρέ- 183* *πεσθαί με ἄλλας ὁδοὺς;* quibus abruptis adiicitur coniunctivus deliberantis, *ποιήσω, τράπωμαι.* Eodem prorsus modo Latini: *quid vis faciam?* Obiter hoc adiicio, caussam, quare Graeci dicant *ἴωμεν, eatmus,* et similia, non etiam *ἴητε, ἴωσιν,* eamdem coniunctivi significationem esse, quam tetigi. Nam proprie *ἴωμεν* est deliberantium an eant. Atqui quid nos agere oporteat, deliberare possumus: alii autem quid agere debeant quum deliberamus, aut ea frustra est deliberatio, aut id rursus quaerimus, quid nos ab illis agi velimus. Quare quum eos hortamur, non amplius coniunctivo, sed aut imperativo, aut optativo locus est. Sed redeo ad omissum *ἴνα.* Ne Homeri quidem versus aliter, quam ipso illo coniun-

ctivi usu explicandi sunt. Orta est enim ista ratio loquendi e pari deliberatione, ut si dicas, βούλει τεύχεα δύο; ἐπιμεινον τοίνυν βούλει πύλας Ἄϊδαο περήσω; θάπτε με ὅτι τάχιστα. Eodem modo nos: *warte, soll ich die waffen anlegen: begrabe mich, soll ich in die unterwelt gelangen* *).

Non possum, quin paucis attingam ellipsin particulae καί, quam quidam admisisse videntur, ubi *εἰ* est *etiamsi*. At ne haec quidem ellipsis est. Nam *εἰ* non potest aliter pro *etiamsi* dici, quam quum res vix credibilis commo-
184moratur, ubi apertum est, *εἰ* propriam suam vim retinere, quia, quum res ista numquam futura sit, recte potest per simplicem conditionis significationem indicari. Aristophanes in Vespis v. 298.

οὐκ ἄν, μὰ τὸν Δι', εἰ κρέμοισθέ γ' ὑμεῖς.

Quare graviter erravit Brunckius *εἰ tametsi* interpretans apud Sophoclem in Aiace, v. 562.

τοῖον πύλωρον φύλακα Τεῦκρον ἀμφί σοι
λείψω, τροφῆς ἄοκνον ἔμπακ', εἰ τανῦν
τηλωπὸς οἰχνεῖ, δυσμενῶν θήραν ἔχων.

Suidae ed. Mediol. in v. τηλωπός: καὶ νῦν τηλωπὸς οἰχνεῖ. Scholia Romana: καὶ εἰτανῦν καὶ εἰ ἐκδημος νῦν ἐστι. Liberabimus ergo Graecam linguam inaudito vocabulo ἔμπαξ, et scribemus:

τοῖον πύλωρον φύλακα Τεῦκρον ἀμφί σοι
λείψω, τροφῆς ἄοκνον ἔμπα, καὶ τανῦν
τηλωπὸς οἰχνεῖ, δυσμενῶν θήραν ἔχων.

Accedimus ad ellipsiu omnium maxime speciosam, quae est adverbii μάλλον. Homerus:

βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι.

Quid vero? Qui in huiusmodi exemplis μάλλον omissum esse putant, num hi cogitarunt, quid lucri fiat, si μάλλον addatur? Nam quae eo omissa difficultas est, ea addito non tollitur, quandoquidem non illud obscurum est, qui

*) Plurima exempla congescit Elmsleius ad Med. 1242.

μᾶλλον omitti, sed qui ἤ ad comparationem adhiberi possit, quod non magis clarum est adiecto *μᾶλλον*. In aliis quidem linguis, ut in Latina et Germanica, compa-
 185 rationum ratio est facillima, quod hae particulis utuntur similitudinem indicantibus, *quam, ac, atque, als, wie, alswie*: quibus Germanica addit *dem*, quod est *deinde*, quo id, quicum aliquid comparatur, illo significatur posterius esse. Longe ab his comparandi modis discedit Graeca lingua, quae quum particula ἤ utatur, cuius multae aliae, eaeque variae significationes sunt, id ipsum ante omnia quaerendum est, quo significato haec particula comparationi inserviat. Quemadmodum *μὲν* et *μὴν*, *δέ* et *δή* paulatim discerni coeperunt, quum initio utrumque una particula fuisset, *μὴν* et *δή*, ita ἤ nihil aliud est quam ἤ, mutato cum significatione accentu. Illud ἤ proprie significabat *profecto*:

ἤ κεν γηθήσαι Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες.

Manente hoc significato in interrogationibus usurpari incipiebat:

ἤ ῥά νύ μοι τι πίθοιο;

Leniter hinc deflexit significatio, ut indicaret *an forte*:

τίπτ' αὐτ', αἰγιόχοιο Διὸς τέκος, εἰλήλουθας;
 ἤ ἵνα ὑβριν ἴδῃ Ἀγαμέμνονος Ἀτρεΐδαο;

Eodem modo nos in his tribus exemplis eam particulam nostra *wohl* exprimeremus, in tertio exemplo etiam per *etwa*. Haec dubitantis interrogationis significatio traducta est deinde etiam ad alias formulas, ut *πότερον*, ἤ, ubi Latini *an*, nos longius a Graecis recedentes *oder* dici-
 186 mus. Indidem talia sunt, ut

ἤ μὲν ἀνακλῖναι πυκινὸν νέφος, ἠδ' ἐπιθεῖναι,

id est *sive, sive*. Neque ἠδέ, et significans, aliam habet originem; quod initio erat *vel etiam*. Sed nudum ἤ quum esset *an forte*, mox etiam *vel et aut* significare coepit,

ἤ τεόν, ἤ Αἴαντος,

quia hoc ipsum est dubitantis, et quasi semet, utrum hoc,

an illud malit interrogantis. Itaque multo usu factum est, ut ἢ simpliciter *aut* significaret, et ibi quoque usurparetur, ubi omnis interrogatio abesset:

τεθναίης ὦ Προῖτ', ἢ κάκτανε Βελλεροφόντην.

Iam vero unde est, quod hanc particulam significare volunt *quam*? Verum est, eam sic esse interpretandam, quum Latine loquimur: falsum est autem, hanc significationem inesse huic particulae. Nam praeterquam, quod nihil inter se commune aut cognatum habent harum particularum significationes, ne opus quidem est, ut, quum ἢ *quam* notare videtur, a propria eius potestate discedamus. Commode enim ea etiam in comparatione locum habet:

ἦτοι βέλτερόν ἐστι, κατ' οὔρεα θῆρας ἐναίρειν,
ἀγροτέρας τ' ἐλάφους, ἢ κρείσσοσιν ἴφι μάχεσθαι.

id est proprie: *melius sane est, feras occidere: an forte dimicare cum fortibus melius est?* Confirmat hanc interpretationem formula, quam Latini a Graecis acceperunt, rectius ea utentibus: *πρόθυμος μᾶλλον, ἢ σοφώτερος*. Nam Latini si accurate loquerentur, dicere deberent, *studiosior, quam prudens*, non *studiosior, quam prudentior*. Graeci contra recte sic loquuntur, quippe hoc dicentes: *studiosior: an prudentior?* Haec si recte disputavimus, nulla est ellipsis in talibus locis, ut

ἐπεὶ νεφεληγερέτα Ζεὺς
Τρωσὶν δὴ βόλεται δοῦναι κράτος, ἤπερ ἡμῖν.

Nam id proprie sic dictum est: *Juppiter Troianorum vult victoriam esse: an ille eam esse nostram vult?* Quod quid est aliud, quam, *magis ille Troianis, quam nobis favet*. Obiter moneo, veteres in hac maxime formula, *βούλεσθαι ἢ*, sic esse loquutos; in aliis, perspicuitatis caussa, *μᾶλλον* adiecisse; recentiores autem, communem usum deserere amantes, ad antiquam formam interdum rediisse. Thucydidis quidem locus, quem Bosius p. 770. affert, non invenitur eo, quem hic indicavit loco, sed si lib. II. cap. 89. spectavit, negligenter inspexit Thucydidem, apud quem sic legitur: *ἀντίπαλοι*

μὲν γάρ, ὥσπερ οὗτοι, τῇ δυνάμει τὸ πλεόν πίσυντοι, ἢ τῇ γνώμῃ ἐπέρχονται. Sed nondum licet nobis hanc ellipsin dimittere. Cur enim, inquit ellipsium defensores, Graecis eripiamus hanc ellipsin, Latinis concedamus, apud quos *quam* eiusmodi est, ut, nisi *magis* in-188 telligatur, sensus longe alius evadat: veluti apud Plautum in Rudente IV. 4, 70.

eo tacent, quia tacita mulier semper quam loquens bonust.

Ita quidem Reizius edidit, quum antea verba hoc ordine legerentur: *eo tacent, quia tacita bonast mulier semper quam loquens.* Nolo lites de hoc versu movere, quem sane mireris non esse sic a Plauto scriptum:

eo tacent, quia tacita melior mulier semper quam loquens.

Scripserit igitur Plautus, *tacita mulier quam loquens bona est.* Hoc, inquit, nisi ellipsin adhibeas, quid est aliud, quam, quod poeta dicere noluit, *tacita mulier tam est bona, quam loquens.* Equidem ad haec non dubitem respondere, quum frequentissimus sit apud Latinos particulae *quam* usus in comparatione inaequalium, eo usu factum esse, ut *quam* etiam solum per se significaret *magis quam.* In quam rem certe e Graeco sermone illustre exemplum habemus particulam *πρὶν*, quae quum proprie sic esset usurpanda, ut *πρὶν ἢ* diceretur, paullatim factum est, ut *πρὶν* etiam nunc pro *ἢ* usurparetur:

μὴ πρὶν ἐπ' ἡέλιον δύναι, καὶ ἐπι κνέφας ἐλθεῖν,
πρὶν με καταπρηγνές βαλέειν Πριάμοιο μέλαθρον,

nunc pro *πρὶν ἢ*:

τὴν δ' ἐγὼ οὐ λύσω, πρὶν μιν καὶ γῆρας ἔπεισιν.

189

Vtrumque prorsus eodem modo fit apud nos in particulis *cher* vel *ehe*, et *bevor*.

In eodem adverbio *μᾶλλον* gravius etiam erravit Leisnerus p. 771. *μᾶλλον ἢ* omitti putans, ubi positivum nomen infinitivo iungitur, sic, ut aliquid nimium esse in-

dicetur, quam ad certum finem necesse est, ut apud Xenophontem Mem. Socr. III. 13, 3. *ἀλλὰ ψυχρόν, ἔφη, ὥστε λούσασθαι, ἐστίν.* Confugit in huiusmodi exemplis etiam Wytttenbachius ad ellipsin in Bibl. crit. III. 2. p. 65., commemoratus a Schaefero et hic, et p. 212., ubi plura de hoc loquendi modo allata sunt. Nulla hic ellipsis est, sive positivum, sive comparativum, sive superlativum sit nomen. Nam haec locutio sic debet intelligi, ut istud nomen, in quo inest comparatio, tali vocis conformatione pronuciari putetur, quae dubitationem loquentis exprimat. Nemo enim non sentiet, aliud esse utrum *aqua frigida ad lavandum* sic dicatur, ut vocabulum *frigida* non aliter, quam reliqua pronucietur, an idem vocabulum gravius et cum quadam haesitatione proferatur, cuius haec vis est, ut indicetur, satis frigidam dici, quam qua quis lavari velit.

Non magis, ubi *μᾶλλον* post ὅσω abest, ea esse 190 ellipsis putanda est: ut apud Thucydidem VI. 89. (non 86.) *ἐπεὶ δημοκρατίαν γε καὶ ἐγγινώσκωμεν οἱ φρονοῦντές τι, καὶ αὐτὸς οὐδενὸς ἂν χεῖρον, ὅσω καὶ λοιδορῆσαιμι.* Nam, ut supra ostendimus, ea non est ellipsis, quum vocabulum iam antea positum ob id ipsum bis poni detrectatur. Atqui *μᾶλλον* in omni comparativo inest, ita ut *χεῖρον* in Thucydidis loco sit *μᾶλλον κακῶς*. Ex eodem genere est omissio abverbiorum *οὐδὲ* et *οὔτε*, alia sequente negatione: de qua re explicuit Schaeferus p. 777. Nam haec longe alia figura est, quam ellipsis.

Ellipsin particulae ὅτι ne commemorarem quidem, nisi vererem, ne quem H. Stephani auctoritas in errorem implicaret: qui quum eam particulam omissam crederet in hoc Thucydidis loco, V. 61. *καὶ προσβολὰς ἐποιοῦντο, βουλόμενοι ἄλλως τε προσγενέσθαι σφίσι, καὶ ὄμηροι ἐκ τῆς Ἀρκαδίας ἦσαν αὐτόθι ὑπὸ Λακεδαιμονίων κείμενοι,* non animadvertit, Thucydidem, quod is facit saepissime, quum ante ex aliena sententia locutus esset, ex sua ipsius sententia loqui pergere. Maiore cum specie afferri potuissent tales loci, quales Matthiae in

Graeca grammatica p. 756. protulit, ut Sophoclis in Philoct. v. 615.

εὐθέως ὑπέσχετο

τὸν ἄνδρ' Ἀχαιοῖς τόνδε δηλώσειν ἄγων·
οἴοιτο μὲν μάλισθ', ἐκούσιον λαβῶν,
εἰ μὴ θέλοι δ', ἄκοντα.

Verum ne in his quidem ulla ellipsis est, quia optativus 191 per se index est alienae sententiae.

Progredimur denique ad ellipsin particularum ὡς et ὥστε, in quibus dici vix potest, quantum a vero viri docti aberraverint. Ac primo quum in comparatione omitti putant ὡς, tantum abest, ut ea particula omittatur, ut, ubi iis videtur omissa, ne addi quidem potuerit. Vt in isto Aristophanis loco,

σὺ δ' Ἀριστυλλος ὑποχάσκων ἐρεῖς,

non hic est sensus, *tu tamquam Aristyllus hians dices*, sed *ipse eris, quum id facies, Aristyllus*. Sic, praeter Homericam, in caeteris quoque exemplis, de quibus pudet quidquam adiicere. Miror, quod Schaeferus et hic et ad Longum in talibus, ut *ταῖς τοξεύμασιν ἐχρῶντο ἀκοντίοις*, ellipsin admiserit. Nam quid omissum putabimus, si eadem res ita dicatur: *τὰ τοξεύματα αὐτοῖς ἀκόντια ἦν*? An hic quoque ὡς erit intelligendum? Credent hoc fortasse, et credant, per me licet, qui *φασί*, vel *ἐμοὶ δοκεῖ*, mediae orationi inserta, non putant nisi advocato ὡς stare posse.

Sed videamus nunc ὡς et ὥστε infinitivo iuncta, quod ita est usitatum, ut infinitivus his particulis carens ex earum ellipsi pendere omnibus videatur. Adeone vero doctos homines non cogitasse, quid agerent, ut etiam, quae facillima sunt, per difficiliora explicare conarentur? Nam 192 quae haec dementia est, si tibi difficile videatur, *συνελόντι εἰπεῖν*, vel

αὐτὰρ ὁ αὐτὲς Θυέστ' Ἀγαμέμνονι λείπε φορῆμαι,
πολλῆσιν νήσοισι καὶ Ἄργεϊ παντὶ ἀνάσσειν,

a particulis ὡς et ὥστε auxilium petere, quae nec magis,

quam ulla alia particula, infinitivum regant, et ipsae quid hic sibi velint, a te explicari postulent? Hoc scilicet totum est illud ellipseos mysterium, per ellipsin omissa dicere, quae alibi addi videas, sive tu scias, quorsum addantur, sive nescias. Ingrediamur nos aliam viam. Atque haec duo iure nostro, ut certa, sumemus: unum, infinitivum in Graeco sermone per se significare finem, ad quem quid fiat; alterum, neque *ὡς*, neque *ὥστε* infinitivum regere. Iam quo intelligas, quid *ὡς*, vel *ὥστε*, quod nihil est nisi *ut forte*, sibi velit, nihil opus est, nisi ut memineris similium formularum. Xenophon Anab. I. 6, 8. *ὁ δὲ ἀπεκρίνατο, ὅτι οὐδ' εἰ γενοίμην, ὦ Κύρε, σοί γ' ἂν ἔτι ποτὲ δόξαιμι.* Idem Cyrop. IV. 3, 15. *ἀλλ' ἐγὼ μὲν, ἔφη, οὕτως ἐπιθυμῶ ἰππεύειν μαθεῖν, ὡς νομίζω, ἣν ἰππεὺς γένωμαι, ἀνδρωπος πτηνὸς γενέσθαι.* Euripides Iph. Taur. 1211.

οἶσθα νῦν ἄ μοι γενέσθω.

Sophocles Oed. R. 543.

οἶσθ' ὡς ποιήσον.

Aeschylus Pers. 187.

193 *τούτω στάσιν τίν' ὡς ἐγὼ δόκουν ὄραῖν
τεύχειν ἐν ἀλλήλησι,*

de qua formula, in qua haeserat Reizius, (vide ad Vigorum p. 737.) docte disseruit Erfurdinus ad Sophoclis Antig. 732. Herodotus IX. 42. *ἦδεσθε τούτου εἵνεκα, ὡς περιεσομένους ἡμέας Ἑλλήνων.* Hae constructiones omnes quid aliud quam duarum locutionum in unam coniunctione natae sunt? Xenophon sic incipiebat, ac si dicturus esset, *ὅτι οὐδ' εἰ γένοιτο, ἐκείνῳ γ' ἂν ἔτι δόξειεν.* Euripides, tamquam si, *οἶσθα νῦν, ἄ μοι γενέσθαι χρή.* Sophocles, ut si, *οἶσθ' ὡς ποιητέον ἔστιν;* Aeschylus, veluti scripturus, *τούτω στάσιν τίν', ὡς ἐγὼ δόκουν ὄραῖν, ἔτευχον ἐν ἀλλήλησιν.* Herodotus denique, ut qui dicturus esset, *ἦδεσθε τούτου εἵνεκα, ὡς περιεσομέθα ἡμεῖς Ἑλλήνων.* Indidem est, quod etiam Matthiae in Graeca grammatica observavit, usus indicativi

post praeterita, ubi ὅτι vel ὡς optativum exigebat: ut apud Thucydidem II. 8. ἡ δὲ εὐνοια παρὰ πολὺ ἐπήει τῶν ἀνθρώπων εἰς τοὺς Λακεδαιμονίους, ἄλλως τε καὶ προσιπόντων, ὅτι τὴν Ἑλλάδα ἐλευθεροῦσιν. Neque alia constructio est, quum ὡς idem fere est atque γάρ, aut quum ὥστε significat *quare*, ut apud Xenophontem Anab. II. 4, 5. καὶ ἅμα ταῦτα ποιούντων ἡμῶν εὐθύς Ἀριαῖος ἀφροστήξει· ὥστε φίλος ἡμῖν οὐδεὶς ληλείψεται, ἀλλὰ καὶ οἱ πρόσθεν ὄντες, πολέμιοι ἡμῖν ἔσονται. Incipit enim, 194 ac si velit pergere: ὡς φίλος ἡμῖν οὐδεὶς λειφθῆ, ἀλλὰ καὶ οἱ πρόσθεν ὄντες, πολέμιοι ἡμῖν γένωνται. Eodemque talia pertinent, ut apud Sophoclem in Trach. 1182.

ὡς πρὸς τι πίστιν τήνδ' ἄγαθ' ἐπιστρέφεις;
et v. 1192.

οἶδ' ὡς θυτήρ γε πολλὰ δὴ σταθεὶς ἄνω,
quod sic est dictum, ut si voluisset haec ita enunciare: οἶδα, ὡς χρὴ τὸν πολλὰ ἄνω σταθέντα θυτήρα. Haec qui meminerit, non mirabitur, quid sit, quod saepe, maxime apud historicos, coniunctivus cum particulis ὅπως, ὡς, ἵνα, μή, post praeterita pro optativo inveniatur. Iam igitur eodem modo etiam ὡς et ὥστε ante infinitivum debet explicari. Ita ὡς συνελόντι εἰπεῖν e duabus compositum est locutionibus, una, ὡς συνελὼν εἶπω, altera συνελόντι εἰπεῖν. Et quod est apud Sophoclem in Philoct. 656.

ἄρ' ἔστιν ὥστε κἄγγυθεν θεῶν λαβεῖν,
καὶ βαστάσαι με, προσκύσαι θ', ὡσπερ θεῶν;
ubi altera est constructio, ἄρ' ἔστιν ἔγγυθεν θεῶν λαβεῖν; altera, ἄρ' ἔστιν ὡς ἔγγυθεν ἂν θεῶν λάβοιμι; In Trachiniis v. 371.

καὶ ταῦτα πολλοὶ πρὸς μέση Τραχινίων
ἀγορᾷ ξυνεξήκονον ὡσαύτως ἐμοί,
ὥστ' ἐξελέγχειν·

ubi pariter una constructio est, ἐξελέγχειν αὐτούς; altera, ὡς ἂν ἐξελέγχειν αὐτοὺς δύναται. Hoc si reputasset 195

Schaeferus, maluisset, opinor, p. 784. dicere, in quibusdam locutionibus raro inveniri ὥστε, in aliis plerumque addi, quam reperiri ubi non desideres, (desideratur enim nusquam) interdum autem paullo durius deesse. In quam rem quod Herodoti loco I. 13. utitur, valde miror. Ibi sic scriptum est: συνέβησαν ἐς τὸ αὐτὸ οἱ τε τοῦ Γύγω στασιῶται καὶ οἱ λοιποὶ Λυδοί, ἦν μὲν δὴ τὸ χρηστήριον ἀνέλη μιν βασιλέα εἶναι Λυδῶν, τόνδε βασιλεύειν· ἦν δὲ μή, ἀποδοῦναι ὀπίσω ἐς Ἡρακλείδας τὴν ἀρχήν. Nam hic eo minus mirum est, nudum positum esse infinitivum, quod συνέβησαν idem est atque ἔγνωσαν, decreverunt. Sed ut uno quasi ictu istam ellipsin particulae ὥστε evertam, quid habebunt, qui eam tuentur, quo explicent tales locos, qualis hic est Stephani Byzantini in v. Τρεμιθοῦς: φασὶ δ' ὅτι, ἐπιβάσης Ἀφροδίτης εἰς τὸν τόπον, διὰ τὴν παρουσίαν τῆς δαίμονος ὑπὸ τρόμου διασαλευθῆναι· διὸ καὶ Τρεμιθοῦντα κληθῆναι. An etiam in hoc versu,

φαντί νιν Ἡρακλῆϊ βίαν καὶ κάρτος ἐρίσδεν,
ὄτι intelligendum putabunt? Parum differt a Stephani loco hoc Sophoclis in initio Antigoniae:

ἀρ' οἶσθ' ὅτι Ζεὺς τῶν ἀπ' Οἰδίου κακῶν
ὅποιον οὐχὶ νῶν ἐτι ζῶσαιν τελεῖ;

196 Caeterum Graeci similiter etiam alias particulas construunt, ut ἐπεὶ et πλὴν: Sophocles in Electra v. 352.

ἐπεὶ δίδαξον.

Et in Trach. 41.

πλὴν ἐμοὶ πικρὰς
ὠδῖνας αὐτοῦ προςβαλὼν ἀποιχεται.

Sic ibi scribendum.

Sed dictum est satis de ellipsi. Neque enim, quae in Bosii libro de ellipsi plurium verborum adiecta sunt, attingi a nobis quisquam cupiet, quorum maxima pars manifesto ad aposiopesis pertineat, reliqua autem tam sint inepta, ut nemini, qui sana ratione utatur, placere

possint. Caeterum quod omnem nostram disputationem in his scriptoribus, qui profani vocantur, consistere volumus, haec caussa est, quod sacros Christianorum libros, cereos flecti quorundam artibus, neque iuris nostri videbatur attingere, nec scientiae. Quod si qui forte erunt theologi, qui nos aliquid veri dixisse iudicent, hos viam speramus inventuros esse, qua etiam apostolorum sermo ab istis ellipsium sordibus liberetur.

XIII. De pleonasmō.

Transgrediamur ab ellipsi ad pleonasmum, cuius explicatio aliquanto, quam ellipseos, facilior est: non modo quod omnino minor est in pleonasmō obscuritas, sed etiam, quod, quum ellipsi fere contrarius sit pleonasmus, ellipseos expositio ultro ostendit, quae pleonasmī sit ratio. Demonstravimus autem ellipsin esse omissionem vocabuli, ad grammaticam quidem constructionem necessarii, sed usu ita deesse soliti, ut sponte intelligatur. Quod si contrarius est ellipsi pleonasmus, pleonasmum necesse est in adiectione vocabuli positum esse, quod tametsi ad grammaticam rationem nihil conferat, ex usu sic addatur, ut prorsus abundet, id est, ut plane nihil significet. Nam nisi pleonasmum in adiectione vocabuli nihil plane significantis ponimus, non magis pleonasmorum inveniri poterit finis, quam supra in ellipsi factum videmus. Quo in errore exagitando quum totus versetur Weiskii liber, mirum est tamen, quod ille non modo hos, qui veri sunt pleonasmī, fere omnes praeterierit; quos sane quidem secundum definitionem pleonasmī, quam posuit, praeterire debuit: sed etiam quod de his, qui videri possunt pleonasmī esse, quum non sint, minimam partem attigerit. Sed quum ne nobis quidem haec sit cura, ut hos, quos re vera putamus pleonasmos vocandos esse, undique congeramus atque exemplis illustremus: paucis ea dumtaxat consecrari volumus, quae capita sunt huius disputationis.

Ac videmus cum dissimilitudine quadam maximam
 198 pleonasmī atque ellipseos esse similitudinem; similitudinem eo, quod in pleonasmo pleraque contraria sunt, quam in ellipsi; dissimilitudinem, quod non omnia. Ellipsis enim quum non possit eorum esse, quae sponte intelligi nequeant, apertum est, esse, quae necessitate quadam ab numero ellipsium excludantur: pleonasmus autem, quod superflua sensum ex oratione non tollunt, non patitur tam certis se finibus circumscribi. Itaque etsi utriusque, et ellipseos et pleonasmī usus in quaque lingua experientiae est, tamen quid non sit ellipsis, necessitate; quid non sit pleonasmus, eo, quod aptum ineptumve est, definitur. Ac vidimus, ellipsin et copulae esse et subiecti, non etiam praedicati, nisi sic, ut eius aliqua pars omittatur. Omitti enim possunt, quae maxime necessaria sunt, quia ob id ipsum sponte intelliguntur: quod contra minus necessaria, si absunt, non intelliguntur, quia ne desiderantur quidem. Propemodum contraria ratio est pleonasmī. Quamquam enim per se nihil est, quod abundare nequeat, tamen, quoniam pleonasmus est adiectio eorum, quae ne cogitantur quidem, consentaneum est, eum ab his partibus, quae maxime sunt necessariae, plerumque abesse, quod has partes, ut quae maxime emineant, inutili additamento onerari non convenit; in iis autem partibus frequentius inveniri, quae quod secundariae sunt, fa-
 199 cilius delitescit, si quid alieni additum est. Eamque rem confirmat etiam origo pleonasmī. Nam qui vere dicendus est pleonasmus, eius duo sunt, nec plures numero fontes. Etenim aut locutio sic multo usu trita, ut aliquid de propria sua vi amiserit, ad alienas res transfertur, aut iteratio aliqua eiusdem notionis, ad vim orationis augendam inventa, quae eam vim usu paulatim deposuit, ibi usurpatur, ubi nulla vi opus est. Neutrum tale est, quod facile in copulam aut in subiectum cadere possit. Copulam enim, ut quae in omni enunciatione necessaria est, et ob simplicitatem notionis, et quod semper eadem est, pleonasmo carere decet. Subiectum autem perraro recipit pleonasmum, quia cum certum ac definitum esse de-

beat, fere et intensionem significatus et imminutionem ab se segregat. Quare solum relictum est praedicatum, in quo constituendo facillime pleonasmus admittatur. In copula quidem vereor ut ullus inveniri pleonasmus queat. In subiecto, ut dixi, rarus est. Pervulgatum illud, *οὐ ἀμφὶ Πλάτωνα*, pro solo Platone dictum, cadentis est linguae, usitatum Plutarcho et consimilibus scriptoribus, non antiquioribus, ut Thucydidi, Platoni, Xenophonti, nedum, quod quidam opinati sunt, Homero. Et quis non sentiat, hunc pleonasmum, quem quidam etiam in parte elegantiae habuerunt, valde absurdum esse? Com-200 modam vero excusationem is habet in subiecto pleonasmus, quo pronomini praeter necessitatem additur *αὐτός*:

ἐγὼ δ' ἐμαυτὸν παῖδα τῆς τύχης νέμω.

Initio enim *αὐτός* in hisce pronominebus praedicatum fuerat, quod deinde, extenuata significatione et prorsus ad nihilum redacta, pronomini ipsi adiungebatur. Sic plerique omnes, qui vere sunt pleonasmii, in praedicatis consistunt, maximeque in tenuioribus, quod genus continetur particulis. Eiusmodi est *ἡῶθι πρό*, sine pleonasmio, ut videtur, dictum Iliad. XI. 50. Odyss. V. 469. sed abundante particula Odyss. XI. 36.

*ἀλλ' ἄγ', ἐπότηρνον πατέρα κλυτὸν, ἡῶθι πρό
ἡμιόνους καὶ ἄμαξαν ἐφοπλίσαι.*

Eiusdem generis sunt etiam *ἔξοχος ἄλλων* et *κηρόθι μᾶλλον*, de quibus formulis dixi ad Hom. hymn. Cer. 362. Sed ut alterius quoque generis exempla proferam, quod est in iteratione eiusdem notionis, quis non trita illa, *πάλιν αὐθις* et *ὄθ' οὐνεκα* *), meminerit? Tale est etiam *ἄν κεν* et *κέν ἄν*, de quibus particulis expositum est ad Orpheum de lapidibus v. 247, Eodem pleonasmio *ὡς οἶα* dicitur, cuius formulae pauca exempla attulit Bastius in epistola critica ad Boissonadum p. 43. consulto, ut

*) Eximendum est *ὄθ' οὐνεκα*, quod primus nisi fallor Lo-beckius *ὄθ' οὐνεκα* esse vidit. Vide eum ad Phryn. p. 657.

opinor, non faciens quum aliorum, tum Eustathii mentionem, qui haec saepissime coniungit. Ac videntur mihi eodem referenda esse haec Euripidis, in Hecuba v. 402.

ὅποια κισσὸς δρυὸς ὅπως τῆςδ' ἔξομαι,
et in Troad. 147.

*μάτηρ δ' ὡς τις πτανοῖς κλαγγὰν
ὄρνισιν ὅπως ἐξάρξω γ' ὡ
μολπάν.*

Vereor enim ne non possit cum Porsono ad Hecubae verum in his locis ὅπως cum ἔξομαι et ἐξάρξω construi. Quod ut in Aristophanis atque Antiphanis versibus, quos affert, fieri debeat, quibus addi poterat hoc Aeschyli in Agamemnone v. 609. nisi id aliter intelligendum est,

*ὅπως δ' ἄριστα τὸν ἐμὸν αἰδοῖον πόσιν
σπεύσω πάλιν μολόντα δέξασθαι,*

alia tamen est horum locorum, quam Euripideorum ratio, in quibus illud ὅπως, quod semet ipsum monentis est, non videtur admitti posse, quia in his simplex inest eius, quod quis facturus sit, affirmatio *).

Praepositiones duae idem significantes quum coniunguntur, fere semper altera earum adverbium est, ut ἀμφὶ περὶ κρήνην, πολλὰ περὶ ῥόπαλ' ἀμφὶς ἐάγη, νόσφιν ἄτερθε κακῶν, νυκτιπόλοις ἅμα σὺν Βάκχαις, ἐν δὲ καὶ ἐν Μέμφι. Non est tamen verum, quod Boeckhius, vir praeclaræ eruditionis, in commentatione de Platónico Minoe p. 197. contendit, duas praepositiones sic, ut altera 202 non sit adverbium, nusquam iungi, et proinde apud Platonem de legg. III. p. 701. D. τίνος δὴ χάριν ἔνεκα altera utra praepositione eiecta scribendum esse. Non recordabatur vir doctissimus illud a Thucydide et Xenophonte usurpatum, ἀπὸ βοῆς ἔνεκεν, de quo dixit Wyttenbachius ad eclogas historicas p. 414. Neque haec

*) Vide quae adnotavit Matthiae ad Hecubae v. 395.

unica sunt talis pleonasmī exempla. Sophocles in Trachiniis v. 1160.

πρὸς τῶν πνεόντων μηδεὶνός θανεῖν ὕπο.

Idem in Philocteta v. 554.

*ἃ τοῖσιν Ἀργείοισιν ἀμφὶ σ' οὐνεκα
βουλεύματ' ἐστί.*

Euripides in Iphig. Taur. 1138.

εἰς Ἀθηναίων ἐπὶ γᾶν.

Quae iam, opinor, nemo temere audebit tentare. In Euripidis quidem versu, ut hoc adiciam, ὤς, quod Marklando in mentem venit, poeticae dictioni repugnat *).

Alio modo repetita notio sic abundat, ut non integro aliquo vocabulo, sed parte alicuius vocabuli comprehensa sit. Vt Iliad. XXIII. 709.

ἂν δ' Ὀδυσσεὺς πολύμητις ἀνίστατο,

ubi praepositio in ἀνίστατο abundat. Quo loco adduci possit aliquis, ut δι' ἄστν, quod quidam codices habent in versu parum eleganti, qui legitur Iliad. XI. 703.

ἀμφίσταντο δὴ ἄστν, διαπραθέειν μεμαῶτες,

non librariorum errore scriptum putet. Euripides in Andromacha v. 613.

παίδων τ' ἄπαιδας γραῦς ἔθηκας ἐν δόμοις.

203

Nam vocabula, quale est ἄπαις, sic usurpari solent, ut sola remaneat notio privationis. Nec dissimilia sunt talia, ut ἀπ' οὐρανόθεν, quae initio carebant pleonasmō, quum adverbium ἄπο nondum in praepositionem vertisset: sed hoc postquam factum erat, magis terminatio substantivi, quam praepositio coepit abundare. Eodem modo in his, ἀπ' ὄρεσφι, ἐπ' ἐσχαρόφιν: nam ista terminatio nihil est

*) Hunc locum isto insolente pleonasmō bene liberasse videtur Seidlerus, εὖ σ' Ἀθηναίων ἐπὶ γᾶν scribens.

nisi *θι* alio modo pronunciatum. Vnde verissime grammatici *νόσφιν* pro *νοστόφι* dici observant. Usurpari tamen ista deinde pro genitivis coeperunt: ut Iliad. XIII. 588.

ὡς δ' ὄτ' ἀπὸ πλατέος πτυόφιν.

Colligi potest ex huiusmodi exemplis, eodem trahenda esse talia, ut *μᾶλλον ἐνδικώτερος, οὐδὲν ἔν **).

XIV. De iis, qui falso pleonasmī habentur.

Sed satis indicatum videtur, qui veri sint pleonasmī. Nunc paucis illos commemorabimus, qui falso in pleonasmis numerantur, in quo genere explicando quum totus versetur Weiskii liber, quamquam ille pauca de multis comprehendens, malumus hunc omnem locum, qui est de falso pleonasmō, in classes quasdam describere, quam 204 singula exempla verborum, quae abundare vulgo creduntur, perscrutari. Quamquam in horum quoque explicatione haud pauca sunt, in quibus a Weiskio discedendum putamus, ut statim in his, quae de pleonasmō articuli scribit, ubi quum alia miramur, tum hoc, quod p. 34. in Xenophontis lib. III. de institutione Cyri cap. 3, 4. *τὸν ἄνδρα ἀγαθὸν* Graece dici potuisse putat, talibus fortasse locis adductus, qualis hic Sophoclis est in Trach. 936.

*κἀνταῦθ' ὁ παῖς δύστηνος οὔτ' ὀδυρμάτων
ἐλείπετ' οὐδέν.*

Sed ista relinquamus aliis perpendenda.

Et quoniam supra ostendimus, verum pleonasmum esse, quo aliquid sic addatur, id ut plane non cogitetur, apertum est, male in pleonasmis eas locutiones numerari, in quibus id, quod abundare putatur, etiamsi omitti po-

*) Sed ista quoniam fortiora sunt, non sunt in pleonasmis numeranda. Addi his possunt alia, ut *οὐδεὶς* et *τις* coniuncta, de quibus vide quae adnotavi ad Eurip. Alcest. 79.

tuerit, in cogitationem tamen venit additum. Harum autem locutionum, quae iniuria in pleonasmis habentur, classes putamus constitui posse quinque.

Ac prima classis est verbositatis, ut *πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι, ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες, θάνατόν τε μόρον τε*. Euripides Phoen. v. 21.

ἔσπειρεν ἡμῖν παῖδα καὶ σπείρας βρέφος.

Vbi quem pleonasmum vocat Porsonus, hoc minus est pleonasmus, quod vocabula idem significantia in diversis orationis membris inveniuntur. Quamquam enim hic est, quod praeter necessitatem additum sit, at non est tamen ita additum, ut non cogitetur. Sunt in hoc genere, quae temere a criticis tentata videamus, ut hoc Sophoclis in Oed. Col. 668.

*εὐίππου, ξένης, τᾶςδε χώρας
ἴκου τὰ κράτιστα γᾶς ἔπαυλα,*

quorum hic sensus est: *ad equestris loci sedem, hospes, venisti, quae huius regionis est praestantissima.*

Secunda classis est explicationis. Ac miror, quid sit, quod Porsonus ad Phoen. 22. insolentem putaverit pleonasmum esse in his, quae v. 47. huius fabulae leguntur:

*Κρέων ἀδελφὸς τὰμὰ κηρύσσει λέχη,
ὅστις σοφῆς αἰνιγμα παρθένου μάθοι,
τούτῳ ξυνάψειν λέκτρα.*

Quorum versuum qui medius est, non ad praecedentem, sed ad sequentem versum pertinet, quibus duobus versibus ea, quae primo versu dicta sunt, explicantur. Est vero haec tritissima figura, non solum apud Homerum, ut,

*δώδεκα δ' ἵππους,
πηγούς, ἀθλοφόρους, οἱ ἀέθλια ποσσὶν ἄροντο,*

(vide Ruhnkenium in epist. crit. I. p. 56.) sed etiam apud tragicos, aliosque scriptores. Hinc illa sunt usitatissima, *ἐκόντες, οὐκ ἄκοντες· γνωτά, κοῦκ ἄγνωτα*, quae rei

augendae vel confirmandae caussa dicuntur. Cave tamen huc traxeris Euripidis versum in Oreste 538.

ὄπου σε μέλλω σὴν τε λυπήσειν φρένα,

206 ubi verissime Musgravius emendavit,

ὄπου γε μέλλω σὴν τι λυπήσειν φρένα.

Nam Sophoclis locum, quo vulgatam in Euripidis versu lectionem tuetur Porsonus, si diligentius considerare voluisset, alienissimum esse, intellexisset, in Aiace v. 1147.

*οὕτω δὲ καὶ σὲ καὶ τὸ σὸν λάβρον στόμα
σμιχροῦ νέφους τάχ' ἄν τις ἐκπνεύσας μέγας
χειμῶν κατασβέσεις τὴν πολλὴν βοήν.*

Sed hoc obiter indicasse satis est *).

Tertia classis est circumscriptionis, usitata maxime poetis, ut *ὄδυρμάτων θρηνοί, θρηῶν ὄδυρμοί, κοίτης λέκτρον, λέκτρων κοῖται, εὐνῆς λέχος*, quae iniuria in pleonasmis numerat Porsonus ad Hecub. 302. Nam ne hic quidem quidquam est, quod non veniat in cogitationem: quin saepe etiam agent ista vim et splendorem orationis, ut illud Aeschyli:

τῆλε πρὸς δυσμὰς ἀνακτος Ἥλιου φθινασμάτων.

Quarta classis permixtionis est diversarum locutionum, qua saepissime fit, ut aliquid abundare videatur, quod re vera non abundat. Hoc genus, non animadversum, quod sciam, a doctis hominibus, latissime patet. Satis habeo pauca de multis exempla commemorare. Xenophon Cyrop. I. 3, 8. *καὶ τὸν Ἀστυάγην σκώψαντα εἰπεῖν, οὐχ ὄραξ, φάναι, ὡς καλῶς οἰνοχοεῖ καὶ εὐσχημόνως;* Sophocles Philoct. 315.

207

*οἷς Ὀλύμπιοι θεοὶ
δοῖεν ποτ' αὐτοῖς ἀντίποιν' ἐμοῦ τυχεῖν.*

*) Repugnat in novissima editione Schaeferus, aptissime Sophoclis exemplum comparari contendens. Vellem vel aliqua eorum, quae in illa adnotatione dixit, argumenta attulisset. Mecum facit Matthiae, ac γε tres praebent libri.

Plato de legg. VII. p. 816. B. τούτων δὲ ἐν καὶ τὸ περὶ τὰς ὀρχήσεις τὰς τῶν εὐπραπτόντων, ὄντων δὲ μετρίων αὐτῶν πρὸς τὰς ἡδονάς. Homerus Iliad. XXII. 247.

ὡς φαμένη, καὶ κερδοσύνη ἠγήσατ' Ἀθήνη.

Theocritus IV. 60. frustra a quibusdam tentatus,

πρώαν γε μὲν αὐτὸς ἐπενθῶν,
καὶ ποτὶ τᾷ μάνδρα καταλάμβανον, ἄμος
ἐνήργει *).

Observa hic ne γὰ μιν quidem cum Valckenario scribi posse. Vtroque in loco καὶ dicitur, tamquam si ἔφατο et ἐπῆνθον praecessissent. Homerus Iliad. XI. 409.

ὅς δέ κ' ἀριστεύησι μάχη ἐνι, τὸν δὲ μάλα χρεὼ
ἐστάμεναι κρατερῶς, ἦτ' ἔβλητ' ἦτ' ἔβαλ' ἄλλον.

Sophocles in Electra v. 25.

ὡσπερ γὰρ ἵππος εὐγενής, κἂν ἢ γέρων,
ἐν τοῖσι δεινοῖς θυμὸν οὐκ ἀπόλεσεν,
ἀλλ' ὀρθὸν οὐς ἴστησιν· ὡσαύτως δὲ σὺ
ἡμᾶς τ' ὀτρύνεις, καὐτὸς ἐν πρώτοις ἔπει.

similiter, sed non posito δέ, Aeschylus in Septem ad Th. v. 24.

νῦν δ', ὡς ὁ μάντις φησὶν, οἰωνῶν βοτήρ,
ἐν ὡσὶ νωμῶν καὶ φρεσὶν, πυρὸς δίχα,
χρηστηρίους ὄρνιθας ἀψευδεῖ τέχνη·
οὗτος τοιῶνδε δεσπότης μαντευμάτων
λέγει μεγίστην προσβολὴν Ἀχαῖδα
νυκτηγορεῖσθαι καπιβουλεύειν στρατῶ.

208

Nam, ut hoc addam, ὡς quoque est in particulis saepe apodosi carentibus. Ἄδὲ quidem in apodosi positum ubique sic accipi debet, ut constructio mutari putetur: vide, quae dixi ad Hom. hymn. Apoll. 335. Cer. 409. Ven. 226. p. 107. Sic denique etiam geminatum ἄν intelligendum est:

*) Adde XV. 17., ubi v. Kiesslingium.

οὐτ' ἂν μετ' ἄλλου φωτὸς ἂν τλαίῃν ποτέ.

Vnde definiri poterit, ubi ea particula iterari nequeat. Sunt etiam alia, quae ob eandem causam videri possunt pleonasmum habere: ut apud Aeschylum in Sept. ad Theb. 425.

τρέμω δ' αἵματι-
φόρους μύρους ὑπὲρ φίλων
ὀλομένων ιδέσθαι.

Non ibi abundat ὑπὲρ, sed quum dicendum esset aut τρέμω ὑπὲρ φίλων, ιδέσθαι μύρους αὐτῶν ὀλομένων, aut τρέμω ιδέσθαι μύρους φίλων ὀλομένων, coniunxit poeta utrumque, parum accurata structura. Similis perturbatio sententiarum in Sophoclis Antigona v. 1089. invenitur:

καὶ γνῶ τρέφειν τὴν γλῶσσαν ἡσυχωτέραν,
τὸν νοῦν τ' ἀμείνω τῶν φρενῶν, ἣ νῦν φέρει.

209 Nam quum Graeci praeter necessitatem dicant, τὸν νοῦν ἀμείνω τοῦδε, ἣ νῦν φέρει, de quo loquendi genere, quod ipsum quoque e duabus locutionibus compositum est, vide, quos Erfurdcius ad Sophoclis locum p. 350. laudavit, poeta indulsit sibi pro isto pronomine nomen ipsum ponere, quo quidem posito, si accurate loqui voluisset, sic debuisset pergere, ἄς νῦν φέρει, vel ὢν νῦν φέρει.

Venio denique ad quintam classem, quae in his versatur vocabulis, quorum tectior est et obscurior vis ac significatio, quam quae ab omnibus statim percipiatur. Quod genus in primis cernitur in quarumdam usu particularum, ut:

κῆδετο γὰρ Δαναῶν, ὅτι ῥα θνήσκοντας ὄρατο·
ὡς δ' ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη.

In quibus exemplis nullus est pleonasmus, quia omissis particulis ῥά et τέ, ut sensus idem maneret, at aliter tamen conformata esset eius expositio. Vere abundaret particula τέ Iliad. XI. 437.

πάντα δ' ἀπὸ πλευρῶν χροῖα ἔργαθεν, οὐδέ
τ' ἔασεν
Παλλάς Ἀθηναίη μιχθήμεναι ἔγκασι φωτὸς;

et XXI. 595.

Πηλείδης δ' ὤρμησάτ' Ἀγήνορος ἀντιθέοιο
 δεύτερος· οὐδέ τ' ἔασεν Ἀπόλλων κῦδος ἀρέσθαι;

si particula, quae sensum penitus mutat, abundare posset. 210

Quare his quidem in locis non dubium videtur, quin οὐδέ ἔασεν scribi debeat. Facit autem ἔαν saepius hiatum praegresso ε, ut Iliad. I. 165. XVII. 16. XXII. 339. Odyss. IV. 805. X. 536. XVIII. 420 De aliis multis pleonasmorum exemplis, a quibus recte intellecta verbi vis removet pleonasmum, duo tantum adiiiciam, unum, in quo εἶναι, alterum in quo negatio putatur abundare.

Quod Graeci dicunt ἐκὼν εἶναι, τὸ νῦν εἶναι, et similia, tantum abest, ut per se pleonasmum contineant, ut plane aliud significant, quam simplicia ἐκὼν vel τὸ νῦν. Plato in Gorgia cap. 118. p. 499. E. καίτοι οὐκ ὄμην γε κατ' ἀρχὰς ὑπὸ σοῦ ἐκόντος εἶναι ἑξαπατηθήσεσθαι, ὡς ὄντος φίλου. Qui si εἶναι omisisset, hoc dixisset: *atqui non putabam initio me a te ultro deceptum iri*, non indicans fieri potuisse, ut etiam ab imprudente deciperetur: nunc autem addito εἶναι hoc dicit: *atqui non putabam initio me, si a te deciperer, ita deceptum iri, ut me velles decipere*. Est enim ἐκὼν εἶναι proprie ad ultro faciendum. Negari tamen non potest, in hac formula idem, quod in aliis, accidisse, ut multo usu aliquid de propria vi amitteret. Hinc interdum vere abundat εἶναι. Herodotus VII. 164. ὁ δὲ Κάδμος οὔτος, πρότερον τουτέων παραδεξάμενος παρὰ πατρὸς τὴν τυραννίδα Κώων 211 εὐ βεβηκῦϊαν, ἐκὼν τε εἶναι, καὶ δεινοῦ ἐπιόντος οὐδενός, ἀλλ' ὑπὸ δικαιοσύνης, ἐς μέσον Κώοισι καταθείς τὴν ἀρχήν, οἶχετο ἐς Σικελίην. Quod grammatici observarunt, ἐκὼν εἶναι plerumque praegressa negatione dici, idoneam habet rationem. Nam quum ἐκὼν εἶναι sit, ut quis sponte aliquid faciat, raro nulla praecedente negatione id proprie dici potest. Quamvis enim multa sponte faciamus, sunt tamen in his perpauca, quae eo fine faciamus, ut ea sponte fiant. Alia res est praecedente negatione. Nam quae non facimus sponte, ea quum

facimus, facimus eo consilio, ut cedamus necessitati: cuius rei quum contrarium sit, sponte aliquid facere, hoc pro illo nominatur. Itaque pro eo, quod dici debebat, *facio hoc, ut cedam cogenti*, recte dicitur ita, *non facio hoc, ut sponte faciam*. Satis erit hunc usum uno exemplo illustrasse. Xenophon Cyrop. II. 2, 15. οὐδὲ μὴν φίλοις γε, οὐδὲ ξένοις ἐκὼν εἶναι γέλωτα παρέχεις: *nemini risum praebes ea mente, ut id volens facias, sed quum facis, facis tantummodo ut cedas necessitati*. Neque illa τὸ νῦν εἶναι, τὸ τήμερον εἶναι, idem significant, quod νῦν et τήμερον, sed, *ut id nunc, ut id hodie sit, id est, quantum hodie satis est: quod nos dicimus, für jetzt, für heute:*

κεχόρευται γὰρ μετρίως τόγε τήμερον εἶναι.

212 Recte igitur in Sophoclis Oed. Col. 1189. legitur:

ὥστε μηδὲ δρωῶντά σε
τὰ τῶν κάκιστα δυσσεβεστάτων, πάτερ,
θέμις, σέ γ' εἶναι, κείνον ἀντιδρᾶν κακῶς·

nec debebat Porsonus in appendice ad Toupii emendationes in Suidam p. 453. aut hunc aut Brunckium reprehendere, quod Dawesii coniecturam *θέμις* non admiserunt. Sensus est, *ut tu sis is, qui illum malis remuneretur*. Nos, *du für deine person* *).

Magis impeditus est usus negationis οὐ: quae quidem in talibus exemplis, οὐκ ἔστιν οὐδεὶς, quum proprie augendae rei inserviat, interdum sic usurpatur, ut una negatio satis sit; sed in formula *μὴ οὐ* recte explicanda saepius videmus doctos homines errasse. Quae voculae quum proprie *ne non*, id est *ut*, significant, mirum est tamen, eas interdum sic usurpari, ut negationes non videantur sese invicem tollere. At videntur tantum: re vera

*) Aliam huius loci ac nescio an veram explicationem sagaciter invenit Buttmanus, de qua dictum in adnotatione ad eum loeum.

suam sibi propriam servant significationem. Recte in Euripidis Oreste v. 766. emendavit Brunckius,

μη̄ οὐ λάβωσι σ' ἄσμενοι,

ne te non excipiant placide, quum οὐ ab librariis omis-
sum esset. Sed eidem Brunckio non semel hae particulae
fraudem fecerunt, ut in Sophoclis Antigona v. 33.

καὶ δεῦρο νείσθαι, ταῦτα τοῖς μη̄ οὐκ εἰδόσι 213
σαφῆ προκηρύξοντα.

Sic ille quidem edidit, quum libri omnes *τοῖς μη̄ εἰδόσι*
praebent. Schaefero, vitium sentienti, in Meletem.
crit. p. 108. scribendum videbatur, *τοῖς οὐκ εἰδόσι*. At
quanto lenius et usui accommodatius scribes *τοῖσι μη̄ εἰδό-
σιν*. Brunckius quidem quum sciret, *μη̄ οὐ* saepe signifi-
care *nisi*, hoc tamen non animadverterat, ubi *μη̄ οὐ*, et
ubi simpliciter *μη̄* dicendum esset. Id quod etiam Schae-
fero accidit, qui eo loco, quem indicavi, pro *μη̄ οὐ nisi*
significante etiam simpliciter *μη̄* dici putat. Id quod nul-
lo pacto fieri potest. Sed ut ostendamus, quid haec dif-
ferant, res longius repetenda est.

Continetur autem omnis harum negationum usus una
regula, sed ea tali, quae plures complectatur alias regu-
las. Ea regula haec est. *Cum coniunctivo et optativo*
et indicativo, ad rem cum dubitatione affirmandam,
μη̄; ad negandam cum dubitatione, μη̄ οὐ dicitur: cum
infinitivo autem et participio et imperativo, ad rem
certo negandam, μη̄; ad certo affirmandam, μη̄ οὐ
usurpatur. Cur harum particularum usus pro verbi for-
mis, quae iis adiunguntur, diversus sit, rem accurate con-
sideranti non potest obscurum esse. Nam quum particula
μη̄, ut alibi demonstravimus, negationi exprimendae in-
serviat, quam philosophi subiectivam vocant, id est; 214
quum indicet, nos aliquid cum negatione cogitare, sive id
re ipsa negationem contineat, sive non contineat: dupli-
cem necesse est huius particulae usum esse pro duplici
conditione modorum verbi. Eorum tres in unam classem
coniicimus, infinitivum, participium, et imperativum: quo-

rum infinitivus nudam notionem actionis, participium nudam notionem agentis continet. His ergo si negatio subiectiva *μη* additur, ea non potest aliam vim habere, quam ut notionem sive actionis sive agentis simpliciter tolli cogitatione indicet. Itaque *μη δρᾶν* dicitur, si quis non facere aliquid cogitatur, quum *οὐ δρᾶν* sit *re vera non facere*; *μη δρῶν*, quem non facere aliquid sumimus, quum *οὐ δρῶν* sit, qui re vera aliquid non facit. Accedit non tam propter similitudinem cum his, quam propter dissimilitudinem cum altera classe, imperativus. Necessitas aliquid non faciendi per se constans sic exprimitur, *οὐ δραστήον*: necessitas voluntate, ideoque non re ipsa, sed cogitatione cuiuspiam alicui imposita sic, *μη δρᾶ*. Imperativus igitur quia rem certam, nec talem, quae possit etiam aliter esse, indicat, ad hanc classem, non ad alteram refertur. Nam etiamsi incertum est, quid is, cui aliquid imperatur, facturus sit, ipsum tamen iussum non est ambiguum, sed ut quod maxime certum.

215 Secunda classis illos verbi modos complectitur, quibus posse aliquid fieri indicatur, id est, coniunctivum, optativum, et indicativum, ubi quidem is finem et consilium indicat. Hi modi quia non re vera aliquid esse, sed posse esse significant, necessario, si iis adiungitur subiectiva negatio *μη*, aliam vim habent, quam si eadem negatio infinitivo aut participio aut imperativo additur. Quum enim *μη* etiam conianctivo et optativo et indicativo additum notionem, quae verbo continetur, neget; formae autem istae verbi non esse aliquid, sed posse esse significant: clarum est, non modo notionem verbi cogitatione tolli, sed hanc ipsam quoque sublata notionem ut quae possit tantummodo sublata esse cogitari. Sic *μη θάνω* est *ut possim non mori*. Vt aliis verbis utar, istae verbi formae finem denotant. Atqui quem finem vocamus, is nihil est nisi rei cogitatio, qua pro caussa eius rei efficiendae utimur. Haec autem cogitatio non in eo versatur, quod est, sed in illo, quod potest esse. Itaque quod ob finem aliquem facimus, id facimus sic, ut id, quod volumus, cogitemus esse posse, quum possit etiam non esse.

Quod si verbi formis, quae finem significant, negatio additur, (eam autem necesse est subiectivam esse, ut in re, quae tota in cogitatione versetur) ea negatione indicatur, finem agentis esse hunc, ut possit non esse, quod alio-216 quin esse possit. Itaque *μη θάνω* est *ut possim non mori*: quo ipso alterum, quod est posse me mori, tantum abest ut tollatur, ut magis futurum esse dicatur, nisi faciam, ne sit futurum. Ita fit, ut *μη* cum istis formis coniunctum ob id ipsum, quia finem esse hunc indicat, ne qua res sit, eandem rem esse significet; *μη οὐ* autem, quod indicat, finem esse, ne quid non sit, eam rem non esse denotet, sed utrumque cum dubitatione, quia verbi modus non de eo est, quod sit, sed de eo, quod possit esse.

Explicemus haec ordine, initium facientes a particulis *μη* et *μη οὐ* cum verbo finito coniunctis. *Δέδοικα μη θάνω* dicit is, qui quum non velit, moriturum se putat; *δέδοικα μη οὐ θάνω*, qui quum optet mori, se non putat moriturum. Plato in Gorgia p. 67. B. *μη καθαρῶ γὰρ καθαρῶ ἐφάπτεσθαι μη οὐ θεμιτὸν ἦ*. Negat hic fas esse, sed cum quadam dubitatione. Idem in Menone p. 89. D. *πρὸς τί βλέπων δυσχεραίνεις, καὶ ἀπιστεῖς, μη οὐκ ἐπιστήμη ἢ ἡ ἀρετή;* Dubitare Meno Socratem dicit, an virtus non sit scientia, id est, putare, fortasse non esse scientiam. Infinitivo si uti voluisset, *ἀπιστεῖς μη εἶναι ἐπιστήμην τὴν ἀρετὴν* dicere debuisset, sed sic certius affirmasset: *credis non esse scientiam?* Xenophon Cyrop. I. 1, 3. *ἐκ τούτου δὴ ἀναγκαζόμεθα μετανοεῖν, μη οὔτε τῶν ἀδυνάτων οὔτε τῶν χαλεπῶν ἔργων ἢ τὸ ἀν-217 θρώπων ἄρχειν*. Ita, inquit, *sentire cogimur, ut dubitemus, an non sit arduum imperare hominibus*, id est, fortasse facile esse. Cum infinitivo dicendum erat, *ἀναγκαζόμεθα μετανοεῖν μη τῶν ἀδυνάτων μήτε τῶν χαλεπῶν ἔργων εἶναι τὸ ἀνθρώπων ἄρχειν*. Ita vero rem ut certam protulisset: *cogimur fateri, non esse difficile*. Eadem ratio cernitur in indicativo interrogantis. Aeschylus in Prometheus v. 247.

μη πού τι προὔβης τῶνδε καὶ περαιτέρω;

Et v. 958.

μή τί σοι δοκῶ
ταρβεῖν ὑποπτῆσαι τε τοὺς νέους θεοίς;

Et in Supplicibus v. 309.

μή καὶ λόγος τις, Ζῆνα μιχθῆναι βροτῶ;

Plato in Apol. Socr. p. 28. D. de Achille, dum Hectorem ulciscatur, mori non recusante: *μή αὐτὸν οἶμι φροντίσαι θανάτου καὶ κινδύνου*; In his locis hic inest sensus: *longius fortasse progressus es? videor tibi fortasse timere novos deos? fertur, puto, Jovem cum mortali consuesse? putas fortasse hunc mortem et periculum respexisse?* Saepe sic grammatici, *μήποτε τοῦτο λέγει.*

Videamus nunc *μή* et *μή οὐ* infinitivo et participio iunctas. Ac diximus *μή* cum his verbi formis certo negare, *μή οὐ* certo affirmare. Sed hic quoque usus suas 218 habet regulas, quae duae sunt. Prima haec est. *Quoniam μή infinitivo et participio iunctum certo negat, ea particula non solum usurpatur post verba actionem significantia, cuius affirmativus finis est, sed etiam post verba actionem negativo fine significantia, quum quidem rei effectio indicatur.* Ὁμολογῶ μή εἶναι, ἀρνοῦμαι μή εἶναι. Plerique tradunt, post verba negationem continentia *μή* abundare. Id vero falsum est, et quidem dupliciter; semel, quod non post omnia verba negationem continentia; iterum, quod non abundat. Vt primo errori occurreremus, diximus, post verba actionem negativo fine significantia. Exclusa enim ab hac regula sunt verba, quae etsi negationem continent, finem tamen habent affirmativum, ut *οὐ λέγω, οὐ δύναμαι, ἀδύνατός εἰμι, οὐχ οἶός τ' εἰμί*: cuiusmodi verbis non actio indicatur finem habens negativum, sed negatur actio finem habens affirmativum. Deinde vero ne abundat quidem *μή*. Significat enim proprie effectioem rei. Euripides in Herc. fur. 194.

μυριούς οἰστοὺς ἀφείς
ἄλλοις, τὸ σῶμα ῥύεται μή κατθανεῖν.

Se tutum praestat a morte: non moritur. Si dixisset, *μη καθάνη*, dixisset hoc, *tutum se praestat, ne moriatur*; ubi quum consilium tantummodo significaretur, non consequeretur, etiam effici, quod ille vult, non mori se. Ambiguum est, *ρύεται θανεῖν, tutum praestat se a mo-* 219 *riendo*. Id alio exemplo clarum fiet. *Θανεῖν δέδοικα* est *metuo mortem*, omnino, sive nunc, sive olim, sive certa, sive incerta instet. *Δέδοικα μη θάνω, metuo ne moriar*, futurum putans, ut moriar. Non dicitur autem *δέδοικα μη θανεῖν*: quod esset, *metuo mori, sic, ut metuendo non moriar*: id quod absurdum est. Interdum tamen talia recte dici possunt, ut apud Euripidem in *Andromacha* v. 644.

*τοῦτο δ' οἱ σοφοὶ βροτῶν
ἐξευλαβοῦνται, μη φίλοις τεύχειν ἔριν.*

Cavendo enim vere evitant rixas. Caeterum observa raram esse in hoc genere participii usum; quod vix aliter invenietur, quam ubi nomen, quod actionem negativo fine significet, pro verbo ponitur, ut apud Sophoclem in *Oed. R.* 56.

*ὡς οὐδέν ἐστιν οὔτε πύργος οὔτε ναῦς
ἔρημος ἀνδρῶν μη ξυνοικούντων ἔσω;*

id est, *ἐρημοθεῖσα μη ξυνοικεῖν ἔσω τινάς*. Male ad hoc genus relatus est in adnotationibus ad Vigerum p. 777. Herodoti locus IX. 51. *ἣν ὑπερβάλονται κείνην τὴν ἡμέρην οἱ Πέρσαι, συμβολὴν μη ποιεύμενοι*. Est enim horum verborum hic sensus: *si praetermisissent Persae eum diem sine praelio*.

Progredior ad secundam regulam, quae est de particulis *μη οὐ*. *Μη οὐ* infinitivo sic iunctae, ut certo 220 *affirment, usurpantur post duas negationes se invicem tollentes*. Est enim harum usus particularum ibi proprius, ubi negativa sententia negatur. Quare etsi nihil obstat, quin etiam nulla praegressa negatione *μη οὐ* cum affirmatione dicatur, non est id tamen usitatum. Videamus nunc exempla. Plato de rep. I. in fine, p. 354. B. *καὶ ἐμπροσθέντος αὐ ὑστερον λόγου, ὅτι λυσιτελέστερον ἢ ἀδι-*

opinor, non faciens quum aliorum, tum Eustathii mentionem, qui haec saepissime coniungit. Ac videntur mihi eodem referenda esse haec Euripidis, in Hecuba v. 402.

ὅποῖα μισσὸς δρυὸς ὅπως τῆςδ' ἔξομαι,

et in Troad. 147.

*μάτηρ δ' ὡς τις πτανοῖς κλαγγάν
ὄρνισιν ὅπως ἐξάρξω ἔγω
μολπάν.*

Vereor enim ne non possit cum Porsono ad Hecubae versum in his locis ὅπως cum ἔξομαι et ἐξάρξω construi. Quod ut in Aristophanis atque Antiphanis versibus, quos affert, fieri debeat, quibus addi poterat hoc Aeschyli in Agamemnone v. 609. nisi id aliter intelligendum est,

*ὅπως δ' ἄριστα τὸν ἐμὸν αἰδοῖον πόσιν
σπεύσω πάλιν μολόντα δέξασθαι,*

alia tamen est horum locorum, quam Euripideorum ratio, in quibus illud ὅπως, quod semet ipsorum monentis est, non videtur admitti posse, quia in his simplex inest eius, quod quis facturus sit, affirmatio *).

Praepositiones duae idem significantes quum coniunguntur, fere semper altera earum adverbium est, ut ἀμφὶ περὶ κρήνην, πολλὰ περὶ ῥόπαλ' ἀμφὶς ἐάγη, νόσφιν ἄτερθε κακῶν, νυκτιπόλοις ἅμα σὺν Βάγκαις, ἐν δὲ καὶ ἐν Μέμφι. Non est tamen verum, quod Boeckhius, vir praeclarae eruditionis, in commentatione de Platonico Minoe p. 197. contendit, duas praepositiones sic, ut altera non sit adverbium, nusquam iungi, et proinde apud Platonem de legg. III. p. 701. D. τίνος δὴ χάριν ἔνεκα altera ultra praepositione eiecta scribendum esse. Non recordabatur vir doctissimus illud a Thucydide et Xenophonte usurpatum, ἀπὸ βοῆς ἔνεκεν, de quo dixit Wyttenbachius ad eclogas historicas p. 414. Neque haec

*) Vide quae adnotavit Matthiae ad Hecubae v. 395.

unica sunt talis pleonasmī exempla. Sophocles in Trachiniis v. 1160.

πρὸς τῶν πνεόντων μηδενὸς θανεῖν ὑπο.

Idem in Philocteta v. 554.

*ἃ τοῖσιν Ἀργείοισιν ἀμφὶ σ' οὐνεκα
βουλεύματ' ἐστί.*

Euripides in Iphig. Taur. 1138.

εἰς Ἀθηναίων ἐπὶ γᾶν.

Quae iam, opinor, nemo temere audebit tentare. In Euripidis quidem versu, ut hoc adiciam, ὡς, quod Marklando in mentem venit, poeticae dictioni repugnat *).

Alio modo repetita notio sic abundat, ut non integro aliquo vocabulo, sed parte alicuius vocabuli comprehensa sit. Vt Iliad. XXIII. 709.

ἂν δ' Ὀδυσσεὺς πολύμητις ἀνίστατο,

ubi praepositio in ἀνίστατο abundat. Quo loco adduci possit aliquis, ut δι' ἄστν, quod quidam codices habent in versu parum eleganti, qui legitur Iliad. XI. 703.

ἀμφίσταντο δὴ ἄστν, διαπραθέειν μεμαῶτες,

non librariorum errore scriptum putet. Euripides in Andromacha v. 613.

παίδων τ' ἄπαιδας γραῦς ἔθηκας ἐν δόμοις.

203

Nam vocabula, quale est ἄπαις, sic usurpari solent, ut sola remaneat notio privationis. Nec dissimilia sunt talia, ut ἀπ' οὐρανόθεν, quae initio carebant pleonasmo, quum adverbium ἄπο nondum in praepositionem vertisset: sed hoc postquam factum erat, magis terminatio substantivi, quam praepositio coepit abundare. Eodem modo in his, ἀπ' ὄρεσφι, ἐπ' ἐσχαρόφιν: nam ista terminatio nihil est

*) Hunc locum isto insolente pleonasmo bene liberasse videtur Seidlerus, εὖ σ' Ἀθηναίων ἐπὶ γᾶν scribens.

nisi *θι* alio modo pronuntiatum. Vnde verissime grammatici *νόσφι* pro *νοστόφι* dici observant. Usurpari tamen ista deinde pro genitivis coeperunt: ut *Iliad. XIII. 588.*

ὡς δ' ὄτ' ἀπὸ πλατέος πτύοφι.

Colligi potest ex huiusmodi exemplis, eodem trahenda esse talia, ut *μᾶλλον ἐνδικώτερος, οὐδὲν ἔν **).

XIV. De iis, qui falso pleonasmī habentur.

Sed satis indicatum videtur, qui veri sint pleonasmī. Nunc paucis illos commemorabimus, qui falso in pleonasmis numerantur, in quo genere explicando quum totus versetur Weiskii liber, quamquam ille pauca de multis comprehendens, malumus hunc omnem locum, qui est de falso pleonasmō, in classes quasdam describere, quam
204 singula exempla verborum, quae abundare vulgo creduntur, perscrutari. Quamquam in horum quoque explicacione haud pauca sunt, in quibus a Weiskio discedendum putamus, ut statim in his, quae de pleonasmō articuli scribit, ubi quum alia miramur, tum hoc, quod p. 34. in Xenophontis lib. III. de institutione Cyri cap. 3, 4. *τὸν ἄνδρα ἀγαθὸν* Graece dici potuisse putat, talibus fortasse locis adductus, qualis hic Sophoclis est in *Trach. 936.*

*κάνταῦθ' ὁ παῖς δύστηνος οὔτ' ὀδυρμάτων
ἐλείπετ' οὐδέν.*

Sed ista relinquamus aliis perpendenda.

Et quoniam supra ostendimus, verum pleonasmum esse, quo aliquid sic addatur, id ut plane non cogitetur, apertum est, male in pleonasmis eas locutiones numerari, in quibus id, quod abundare putatur, etiamsi omitti po-

*) Sed ista quoniam fortiora sunt, non sunt in pleonasmis numeranda. Addi his possunt alia, ut *οὐδεὶς* et *τις* coniuncta, de quibus vide quae adnotavi ad *Eurip. Alcest. 79.*

tuerit, in cogitationem tamen venit additum. Harum autem locutionum, quae iniuria in pleonasmis habentur, classes putamus constitui posse quinque.

Ac prima classis est verbositatis, ut *πολεμίζειν ἤδὲ μάχεσθαι, ἡγήτορες ἤδὲ μέδοντες, θάνατόν τε μόρον τε*. Euripides Phoen. v. 21.

ἔσπειρον ἡμῖν παιδα καὶ σπείρας βρέφος.

Vbi quem pleonasmum vocat Porsonus, hoc minus est pleonasmus, quod vocabula idem significantia in diversis orationis membris inveniuntur. Quamquam enim hic est, quod praeter necessitatem additum sit, at non est tamen ita additum, ut non cogitetur. Sunt in hoc genere, quae temere a criticis tentata videamus, ut hoc Sophoclis in Oed. Col. 668.

*εὐίππου, ξένη, τᾶςδε χώρας
ἴκου τὰ κράτιστα γὰρ ἔπαυλα,*

quorum hic sensus est: *ad equestris loci sedem, hospes, venisti, quae huius regionis est praestantissima.*

Secunda classis est explicationis. Ac miror, quid sit, quod Porsonus ad Phoen. 22. insolentem putaverit pleonasmum esse in his, quae v. 47. huius fabulae leguntur:

*Κρέων ἀδελφὸς τὰμὰ κηρύσσει λέχη,
ὅστις σοφῆς αἰνιγμα παρθένου μάθοι,
τούτῳ ξυνάψειν λέκτρα.*

Quorum versuum qui medius est, non ad praecedentem, sed ad sequentem versum pertinet, quibus duobus versibus ea, quae primo versu dicta sunt, explicantur. Est vero haec tritissima figura, non solum apud Homerum, ut,

*δώδεκα δ' ἵππους,
πηγούς, ἀθλοφόρους, οἱ ἀέθλια ποσσὶν ἄροντο,*

(vide Ruhnkenium in epist. crit. I. p. 56.) sed etiam apud tragicos, aliosque scriptores. Hinc illa sunt usitatissima, *ἐκόντες, οὐκ ἄκοντες· γνωτὰ, κούκ ἄγνωτα*, quae rei

augendae vel confirmandae caussa dicuntur. Cave tamen huc traxeris Euripidis versum in Oreste 538.

ὄπου σε μέλλω σὴν τε λυπήσειν φρένα,

206 ubi verissime Musgravius emendavit,

ὄπου γε μέλλω σὴν τι λυπήσειν φρένα.

Nam Sophoclis locum, quo vulgatam in Euripidis versu lectionem tuetur Porsonus, si diligentius considerare voluisset, alienissimum esse, intellexisset, in Aiace v. 1147.

*οὐτω δὲ καὶ σέ καὶ τὸ σὸν λάβρον στόμα
σμικροῦ νέφους τάχ' ἄν τις ἐκπνεύσας μέγας
χειμῶν κατασβέσεις τὴν πολλὴν βοήην.*

Sed hoc obiter indicasse satis est *).

Tertia classis est circumscriptionis, usitata maxime poetis, ut *ὄδυρμάτων θρηῆνοι, θρηῆνων ὄδυρμοί, κοίτης λέκτρον, λέκτρων κοῖται, εὐνήs λέχος*, quae iniuria in pleonasmis numerat Porsonus ad Hecub. 302. Nam ne hic quidem quidquam est, quod non veniat in cogitationem: quin saepe etiam agent ista vim et splendorem orationis, ut illud Aeschyli:

τῆλε πρὸς δυσμὰς ἀνακτος Ἑλίου φθινασμάτων.

Quarta classis permixtionis est diversarum locutionum, qua saepissime fit, ut aliquid abundare videatur, quod re vera non abundat. Hoc genus, non animadversum, quod sciam, a doctis hominibus, latissime patet. Satis habeo pauca de multis exempla commemorare. Xenophon Cyrop. I. 3, 8. *καὶ τὸν Ἀστυάγην σκώψαντα εἰπεῖν, οὐχ ὄραs, φάναι, ὡς καλῶs οἰνοχοεῖ καὶ εὐσχημόνωs*; Sophocles Philoct. 315.

207

*οἷs Ὀλύμπιοι θεοὶ
δοῖεν ποτ' αὐτοῖs ἀντίποιν' ἐμοῦ τυχεῖν.*

*) Repugnat in novissima editione Schaeferus, aptissime Sophoclis exemplum comparari contendens. Vellem vel aliqua eorum, quae in illa adnotatione dixit, argumenta attulisset. Mecum facit Matthiae, ac γε tres praebent libri.

Plato de legg. VII. p. 816. B. τούτων δὲ ἐν καὶ τὸ περι
τὰς ὀρχήσεις τὰς τῶν εὐπραπτόντων, ὄντων δὲ μετριῶν
αὐτῶν πρὸς τὰς ἡδονάς. Homerus Iliad. XXII. 247.

ὡς φαμένη, καὶ κερδοσύνη ἡγήσατ' Ἀθήνη.

Theocritus IV. 60. frustra a quibusdam tentatus,

πρώαν γε μὲν αὐτὸς ἐπενθῶν,
καὶ ποτὶ τᾷ μάνδρα κατελάμβανον, ἄμος
ἐνήργει *).

Observa hic ne γὰ μιν quidem cum Valckenario scribi
posse. Vtroque in loco καὶ dicitur, tamquam si ἔφατο
et ἐπῆνθον praecessissent. Homerus Iliad. XI. 409.

ὃς δὲ κ' ἀριστεύησι μάχῃ ἐνι, τὸν δὲ μάλα χρεῶ
ἐστάμεναι κρατερῶς, ἦτ' ἔβλητ' ἦτ' ἔβαλ' ἄλλον.

Sophocles in Electra v. 25.

ὡςπερ γὰρ ἵππος εὐγενής, κἂν ἢ γέρων,
ἐν τοῖσι δεινοῖς θυμὸν οὐκ ἀπώλεσεν,
ἀλλ' ὀρθὸν οὐς ἴστησιν· ὡσαύτως δὲ σὺ
ἡμᾶς τ' ὀτρύνεις, καὐτὸς ἐν πρώτοις ἔπει.

similiter, sed non posito δέ, Aeschylus in Septem ad
Th. v. 24.

νῦν δ', ὡς ὁ μάντις φησὶν, οἰωνῶν βοτήρ,
ἐν ὡσὶ νομῶν καὶ φρεσὶν, πυρὸς δίχα,
χρηστηρίους ὄρνιθας ἀψευδεῖ τέχνῃ·
οὗτος τοιῶνδε δεσπότης μαντευμάτων
λέγει μεγίστην προσβολὴν Ἀχαΐδα
νυκτηγορεῖσθαι κἀπιβουλεύειν στρατῶ.

208

Nam, ut hoc addam, ὡς quoque est in particulis saepe
apodosi carentibus. Δὲ quidem in apodosi positum ubi-
que sic accipi debet, ut constructio mutari putetur: vide,
quae dixi ad Hom. hymn. Apoll. 335. Cer. 409. Ven.
226. p. 107. Sic denique etiam geminatum ἄν intelligen-
dum est:

*) Adde XV. 17., ubi v. Kiesslingium.

οὐτ' ἂν μετ' ἄλλου φωτὸς ἂν τλαιήν ποτέ.

Vnde definiri poterit, ubi ea particula iterari nequeat. Sunt etiam alia, quae ob eandem causam videri possunt pleonasmum habere: ut apud Aeschylum in Sept. ad Theb. 425.

τρέμω δ' αἵματη-
φόρους μόρους ὑπὲρ φίλων
ὀλομένων ιδέσθαι.

Non ibi abundat ὑπέρ, sed quum dicendum esset aut τρέμω ὑπὲρ φίλων, ιδέσθαι μόρους αὐτῶν ὀλομένων, aut τρέμω ιδέσθαι μόρους φίλων ὀλομένων, coniunxit poeta utrumque, parum accurata structura. Similis perturbatio sententiarum in Sophoclis Antigona v. 1089. invenitur:

καὶ γνῶ τρέφειν τὴν γλῶσσαν ἡσυχωτέραν,
τὸν νοῦν τ' ἀμείνω τῶν φρενῶν, ἢ νῦν φέρει.

209 Nam quum Graeci praeter necessitatem dicant, τὸν νοῦν ἀμείνω τοῦδε, ἢ νῦν φέρει, de quo loquendi genere, quod ipsum quoque e duabus locutionibus compositum est, vide, quos Erfurdlius ad Sophoclis locum p. 350. laudavit, poeta indulsit sibi pro isto pronomine nomen ipsum ponere, quo quidem posito, si accurate loqui voluisset, sic debuisset pergere, ἄς νῦν φέρει, vel ὢν νῦν φέρει.

Venio denique ad quintam classem, quae in his versatur vocabulis, quorum tectior est et obscurior vis ac significatio, quam quae ab omnibus statim percipiatur. Quod genus in primis cernitur in quarumdam usu particularum, ut:

κῆδετο γὰρ Λαναῶν, ὅτι ῥα θνήσκοντας ὄρατο·
ὡς δ' ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη.

In quibus exemplis nullus est pleonasmus, quia omissis particulis ῥά et τέ, ut sensus idem maneret, at aliter tamen conformata esset eius expositio. Vere abundaret particula τέ Iliad. XI. 437.

πάντα δ' ἀπὸ πλευρῶν χροῖα ἔργαθεν, οὐδέ
τ' ἔασεν
Παλλὰς Ἀθηναίη μιχθήμεναι ἔγκασι φωτὸς;

et XXI. 595.

*Πηλείδης δ' ὠρμήσατ' Ἀγέρορος ἀντιθέοιο
δευτέρος· οὐδέ τ' ἔασεν Ἀπόλλων κῦδος ἀρέσθαι;*

si particula, quae sensum penitus mutat, abundare posset. 210
Quare his quidem in locis non dubium videtur, quin οὐδὲ ἔασεν scribi debeat. Facit autem εἴν saepius hiatum praegresso ε, ut Iliad. I. 165. XVII. 16. XXII. 339. Odys. IV. 805. X. 536. XVIII. 420 De aliis multis pleonasmorum exemplis, a quibus recte intellecta verbi vis removet pleonasmum, duo tantum adiciam, unum, in quo εἶναι, alterum in quo negatio putatur abundare.

Quod Graeci dicunt ἐκὼν εἶναι, τὸ νῦν εἶναι, et similia, tantum abest, ut per se pleonasmum contineant, ut plane aliud significant, quam simplicia ἐκὼν vel τὸ νῦν. Plato in Gorgia cap. 118. p. 499. E. καίτοι οὐκ ᾤμην γε κατ' ἀρχὰς ὑπὸ σοῦ ἐκόντος εἶναι ἐξαπατηθήσεσθαι, ὡς ὄντος φίλου. Qui si εἶναι omisisset, hoc dixisset: *atqui non putabam initio me a te ultro deceptum iri*, non indicans fieri potuisse, ut etiam ab imprudente deciperetur: nunc autem addito εἶναι hoc dicit: *atqui non putabam initio me, si a te deciperer, ita deceptum iri, ut me velles decipere.* Est enim ἐκὼν εἶναι proprie ad ultro faciendum. Negari tamen non potest, in hac formula idem, quod in aliis, accidisse, ut multo usu aliquid de propria vi amitteret. Hinc interdum vere abundat εἶναι. Herodotus VII. 164. ὁ δὲ Κάδμος οὗτος, πρότερον τουτέων παραδεξάμενος παρὰ πατρὸς τὴν τυραννίδα Κώων 211 εὐ βεβηκυῖαν, ἐκὼν τε εἶναι, καὶ δεινοῦ ἐπιόντος οὐδενός, ἀλλ' ὑπὸ δικαιοσύνης, εἰς μέσον Κώοισι καταθεῖς τὴν ἀρχήν, οἶχετο εἰς Σικελίην. Quod grammatici observarunt, ἐκὼν εἶναι plerumque praegressa negatione dici, idoneam habet rationem. Nam quum ἐκὼν εἶναι sit, ut quis sponte aliquid faciat, raro nulla praecedente negatione id proprie dici potest. Quamvis enim multa sponte faciamus, sunt tamen in his perpauca, quae eo fine faciamus, ut ea sponte fiant. Alia res est praecedente negatione. Nam quae non facimus sponte, ea quum

facimus, facimus eo consilio, ut cedamus necessitati: cuius rei quum contrarium sit, sponte aliquid facere, hoc pro illo nominatur. Itaque pro eo, quod dici debebat, *facio hoc, ut cedam cogenti*, recte dicitur ita, *non facio hoc, ut sponte faciam*. Satis erit hunc usum uno exemplo illustrasse. Xenophon Cyrop. II. 2, 15. οὐδὲ μὴν φίλοις γε, οὐδὲ ξένοις ἐκὼν εἶναι γέλωτα παρέχεις: *nemini risum praebes ea mente, ut id volens facias, sed quum facis, facis tantummodo ut cedas necessitati*. Neque illa τὸ νῦν εἶναι, τὸ τήμερον εἶναι, idem significant, quod νῦν et τήμερον, sed, *ut id nunc, ut id hodie sit, id est, quantum hodie satis est: quod nos dicimus, für jetzt, für heute:*

κεχώρευται γὰρ μετρίως τόγε τήμερον εἶναι.

212 Recte igitur in Sophoclis Oed. Col. 1189. legitur:

*ὥστε μηδὲ δρωῶντά σε
τὰ τῶν κάκιστα δυσσεβεστάτων, πάτερ,
θέμις, σέ γ' εἶναι, κείνον ἀντιδρᾶν κακῶς.*

nec debebat Porsonus in appendice ad Toup̄ii emendationes in Suidam p. 453. aut hunc aut Brunckium reprehendere, quod Dawesii coniecturam *θέμις* non admiserunt. Sensus est, *ut tu sis is, qui illum malis remuneretur*. Nos, *du für deine person* *).

Magis impeditus est usus negationis οὐ: quae quidem in talibus exemplis, *οὐκ ἔστιν οὐδείς*, quum proprie augendae rei inseruiat, interdum sic usurpatur, ut una negatio satis sit; sed in formula *μη̄ οὐ* recte explicanda saepius videmus doctos homines errasse. Quae voculae quum proprie *ne non*, id est *ut*, significant, mirum est tamen, eas interdum sic usurpari, ut negationes non videantur sese invicem tollere. At videntur tantum: re vera

*) Aliam huius loci ac nescio an veram explicationem sagaciter invenit Buttmannus, de qua dictum in adnotatione ad eum locum.

suam sibi propriam servant significationem. Recte in Euripidis Oreste v. 766. emendavit Brunckius,

μη οὐ λάβωσι σ' ἄσμενοι,

ne te non excipiant placide, quum οὐ ab librariis omissum esset. Sed eidem Brunckio non semel hae particulae fraudem fecerunt, ut in Sophoclis Antigona v. 33.

καὶ δεῦρο νείσθαι, ταῦτα τοῖς μὴ οὐκ εἰδόσι 213
σαφῆ προκηρύξοντα.

Sic ille quidem edidit, quum libri omnes τοῖς μὴ εἰδόσι praebent. Schaefero, vitium sentienti, in Meletem. crit. p. 108. scribendum videbatur, τοῖς οὐκ εἰδόσι. At quanto lenius et usui accommodatius scribes τοῖσι μὴ εἰδόσιν. Brunckius quidem quum sciret, μὴ οὐ saepe significare nisi, hoc tamen non animadverterat, ubi μὴ οὐ, et ubi simpliciter μὴ dicendum esset. Id quod etiam Schaefero accidit, qui eo loco, quem indicavi, pro μὴ οὐ nisi significante etiam simpliciter μὴ dici putat. Id quod nullo pacto fieri potest. Sed ut ostendamus, quid haec differant, res longius repetenda est.

Continetur autem omnis harum negationum usus una regula, sed ea tali, quae plures complectatur alias regulas. Ea regula haec est. *Cum coniunctivo et optativo et indicativo, ad rem cum dubitatione affirmandam, μή; ad negandam cum dubitatione, μὴ οὐ dicitur: cum infinitivo autem et participio et imperativo, ad rem certo negandam, μή; ad certo affirmandam, μὴ οὐ usurpatur.* Cur harum particularum usus pro verbi formis, quae iis adiunguntur, diversus sit, rem accurate consideranti non potest obscurum esse. Nam quum particula μὴ, ut alibi demonstravimus, negationi exprimentae inserviat, quam philosophi subiectivam vocant, id est; 214 quum indicet, nos aliquid cum negatione cogitare, sive id re ipsa negationem contineat, sive non contineat: duplicem necesse est huius particulae usum esse pro duplici conditione modorum verbi. Eorum tres in unam classem coniicimus, infinitivum, participium, et imperativum: quo-

rum infinitivus nudam notionem actionis, participium nudam notionem agentis continet. His ergo si negatio subiectiva $\mu\eta$ additur, ea non potest aliam vim habere, quam ut notionem sive actionis sive agentis simpliciter tolli cogitatione indicet. Itaque $\mu\eta$ $\delta\rho\alpha\acute{\nu}$ dicitur, si quis non facere aliquid cogitatur, quum $\omicron\upsilon$ $\delta\rho\alpha\acute{\nu}$ sit *re vera non facere*; $\mu\eta$ $\delta\rho\omega\acute{\nu}$, quem non facere aliquid sumimus, quum $\omicron\upsilon$ $\delta\rho\omega\acute{\nu}$ sit, qui re vera aliquid non facit. Accedit non tam propter similitudinem cum his, quam propter dissimilitudinem cum altera classe, imperativus. Necessitas aliquid non faciendi per se constans sic exprimitur, $\omicron\upsilon$ $\delta\rho\alpha\sigma\tau\acute{\epsilon}\omicron\nu$: necessitas voluntate, ideoque non re ipsa, sed cogitatione cuiuspiam alicui imposita sic, $\mu\eta$ $\delta\rho\alpha$. Imperativus igitur quia rem certam, nec talem, quae possit etiam aliter esse, indicat, ad hanc classem, non ad alteram refertur. Nam etiamsi incertum est, quid is, cui aliquid imperatur, facturus sit, ipsum tamen iussum non est ambiguum, sed ut quod maxime certum.

215 Secunda classis illos verbi modos complectitur, quibus posse aliquid fieri indicatur, id est, coniunctivum, optativum, et indicativum, ubi quidem is finem et consilium indicat. Hi modi quia non re vera aliquid esse, sed posse esse significant, necessario, si iis adiungitur subiectiva negatio $\mu\eta$, aliam vim habent, quam si eadem negatio infinitivo aut participio aut imperativo additur. Quum enim $\mu\eta$ etiam coniunctivo et optativo et indicativo additum notionem, quae verbo continetur, neget; formae autem istae verbi non esse aliquid, sed posse esse significant: clarum est, non modo notionem verbi cogitatione tolli, sed hanc ipsam quoque sublata notionem ut quae possit tantummodo sublata esse cogitari. Sic $\mu\eta$ $\theta\acute{\alpha}\nu\omega$ est *ut possim non mori*. Vt aliis verbis utar, istae verbi formae finem denotant. Atqui quem finem vocamus, is nihil est nisi rei cogitatio, qua pro caussa eius rei efficiendae utimur. Haec autem cogitatio non in eo versatur, quod est, sed in illo, quod potest esse. Itaque quod ob finem aliquem facimus, id facimus sic, ut id, quod volumus, cogitemus esse posse, quum possit etiam non esse.

Quod si verbi formis, quae finem significant, negatio additur, (eam autem necesse est subiectivam esse, ut in re, quae tota in cogitatione versetur) ea negatione indicatur, finem agentis esse hunc, ut possit non esse, quod alio-216 quin esse possit. Itaque *μη θάνω* est *ut possim non mori*: quo ipso alterum, quod est posse me mori, tantum abest ut tollatur, ut magis futurum esse dicatur, nisi faciam, ne sit futurum. Ita fit, ut *μη* cum istis formis coniunctum ob id ipsum, quia finem esse hunc indicat, ne qua res sit, eandem rem esse significet; *μη οὐ* autem, quod indicat, finem esse, ne quid non sit, eam rem non esse denotet, sed utrumque cum dubitatione, quia verbi modus non de eo est, quod sit, sed de eo, quod possit esse.

Explicemus haec ordine, initium facientes a particulis *μη* et *μη οὐ* cum verbo finito coniunctis. *Δέδοικα μη θάνω* dicit is, qui quum non velit, moriturum se putat; *δέδοικα μη οὐ θάνω*, qui quum optet mori, se non putat moriturum. Plato in Gorgia p. 67. B. *μη καθαρῶ γὰρ καθαρῶ ἐφάπτεσθαι μη οὐ θεμιτὸν ἦ*. Negat hic fas esse, sed cum quadam dubitatione. Idem in Menone p. 89. D. *πρὸς τί βλέπων δυσχεραίνεις, καὶ ἀπιστεῖς, μη οὐκ ἐπιστήμη ἢ ἡ ἀρετή;* Dubitare Meno Socratem dicit, an virtus non sit scientia, id est, putare, fortasse non esse scientiam. Infinitivo si uti voluisset, *ἀπιστεῖς μη εἶναι ἐπιστήμην τὴν ἀρετὴν* dicere debuisset, sed sic certius affirmasset: *credis non esse scientiam?* Xenophon Cyrop. I. 1, 3. *ἐκ τούτου δὴ ἀναγκαζόμεθα μετανοεῖν, μη οὔτε τῶν ἀδυνάτων οὔτε τῶν χαλεπῶν ἔργων ἢ τὸ ἀν-217 θρώπων ἄρχειν*. Ita, inquit, *sentire cogimur, ut dubitemus, an non sit arduum imperare hominibus*, id est, fortasse facile esse. Cum infinitivo dicendum erat, *ἀναγκαζόμεθα μετανοεῖν μη τῶν ἀδυνάτων μήτε τῶν χαλεπῶν ἔργων εἶναι τὸ ἀνθρώπων ἄρχειν*. Ita vero rem ut certam protulisset: *cogimur fateri, non esse difficile*. Eadem ratio cernitur in indicativo interrogantis. Aeschylus in Prometheus v. 247.

μη πού τι προὔβης τῶνδε καὶ περαιτέρω,

Et v. 958.

μή τί σοι δοκῶ
ταρβεῖν ὑποπτήσσειν τε τοὺς νέους θεοίς;

Et in Supplicibus v. 309.

μή καὶ λόγος τις, Ζῆνα μιχθῆναι βροτῶ;

Plato in Apol. Socr. p. 28. D. de Achille, dum Hectorem ulciscatur, mori non recusante: μή αὐτὸν οἶε φροντίσαι θανάτου καὶ κινδύνου; In his locis hic inest sensus: longius fortasse progressus es? videor tibi fortasse timere novos deos? fertur, puto, Jovem cum mortali consuesse? putas fortasse hunc mortem et periculum respexisse? Saepe sic grammatici, μήποτε τοῦτο λέγει.

Videamus nunc μή et μή οὐ infinitivo et participio iunctas. Ac diximus μή cum his verbi formis certo negare, μή οὐ certo affirmare. Sed hic quoque usus suas 218 habet regulas, quae duae sunt. Prima haec est. Quoniam μή infinitivo et participio iunctum certo negat, ea particula non solum usurpatur post verba actionem significantia, cuius affirmativus finis est, sed etiam post verba actionem negativo fine significantia, quum quidem rei effectio indicatur. Ὁμολογῶ μή εἶναι, ἀρνοῦμαι μή εἶναι. Plerique tradunt, post verba negationem continentia μή abundare. Id vero falsum est, et quidem dupliciter; semel, quod non post omnia verba negationem continentia; iterum, quod non abundat. Vt primo errori occurreremus, diximus, post verba actionem negativo fine significantia. Exclusa enim ab hac regula sunt verba, quae etsi negationem continent, finem tamen habent affirmativum, ut οὐ λέγω, οὐ δύναμαι, ἀδύνατός εἰμι, οὐχ οἶός τ' εἰμί: cuiusmodi verbis non actio indicatur finem habens negativum, sed negatur actio finem habens affirmativum. Deinde vero ne abundat quidem μή. Significat enim proprie effectioem rei. Euripides in Herc. fur. 194.

μυριούς οἰστούς ἀφεῖς
ἄλλοις, τὸ σῶμα ῥύεται μή κατθανεῖν.

Se tutum praestat a morte: non moritur. Si dixisset, *μη καθάνη*, dixisset hoc, *tutum se praestat, ne moriatur*; ubi quum consilium tantummodo significaretur, non consequeretur, etiam effici, quod ille vult, non mori se. Ambiguum est, *ρύεται θανεῖν, tutum praestat se a mo-* 219 *riendo*. Id alio exemplo clarum fiet. *Θανεῖν δέδοικα* est *metuo mortem*, omnino, sive nunc, sive olim, sive certa, sive incerta instet. *Δέδοικα μὴ θάνω, metuo ne moriar*, futurum putans, ut moriar. Non dicitur autem *δέδοικα μὴ θανεῖν*: quod esset, *metuo mori, sic, ut metuendo non moriar*: id quod absurdum est. Interdum tamen talia recte dici possunt, ut apud Euripidem in *Andromacha* v. 644.

*τοῦτο δ' οἱ σοφοὶ βροτῶν
ἐξευλαβοῦνται, μὴ φίλοις τεύχειν ἔριν.*

Cavendo enim vere evitant rixas. Caeterum observa rarum esse in hoc genere participii usum; quod vix aliter invenietur, quam ubi nomen, quod actionem negativo fine significet, pro verbo ponitur, ut apud Sophoclem in *Oed. R.* 56.

*ὡς οὐδέν ἐστιν οὔτε πύργος οὔτε ναῦς
ἔρημος ἀνδρῶν μὴ ξυνοικούντων ἔσω;*

id est, *ἐρημωθείσα μὴ ξυνοικεῖν ἔσω τινάς*. Male ad hoc genus relatus est in adnotationibus ad Vigerum p. 777. Herodoti locus IX. 51. *ἣν ὑπερβάλονται κείνην τὴν ἡμέρην οἱ Πέρσαι, συμβολὴν μὴ ποιεύμενοι*. Est enim horum verborum hic sensus: *si praetermississent Persae eum diem sine praelio*.

Progredior ad secundam regulam, quae est de particulis *μη οὐ*. *Μη οὐ infinitivo sic iunctae, ut certo* 220 *affirment, usurpantur post duas negationes se invicem tollentes*. Est enim harum usus particularum ibi proprius, ubi negativa sententia negatur. Quare etsi nihil obstat, quin etiam nulla praegressa negatione *μη οὐ* cum affirmatione dicatur, non est id tamen usitatum. Videamus nunc exempla. Plato de rep. I. in fine, p. 354. B. *καὶ ἐμπεσόντος αὐ ὕστερον λόγου, ὅτι λυσιτελέστερον ἢ ἀδι-*

κία τῆς δικαιοσύνης, οὐκ ἀπεσχόμεν τοῦ μὴ οὐκ ἐπὶ τοῦ-
το εἰσεῖν ἀπ' ἐκείνου. Et in Menone p. 89. D. τὸ μὲν
γὰρ διδασκὸν αὐτὸ εἶναι, εἶπερ ἐπιστήμη ἐστίν, οὐκ
ἀνατίθεμαι μὴ οὐ καλῶς λέγεσθαι. In Symposio Xeno-
phonteo III. 3. ἀλλ' οὐδεὶς σοι, ἔφη, ἀντιλέγει, τὸ μὴ
οὐ λέξειν ὃ τι ἕκαστος ἡγεῖται πλείστου ἄξιον ἐπίστα-
σθαι. Sic Cyrop. I. 4, 2. IV. 3, 8. Hist. Gr. III. 3, 6.
de redivitibus III. 7. Idem in Anabasi III. 1, 13. εἰ δὲ
γενησόμεθα ἐπὶ βασιλεῖ, τί ἐμποδῶν, μὴ οὐχὶ πάντα
μὲν τὰ χαλεπώτατα ἐπιδόντας, πάντα δὲ τὰ δεινότερα
παθόντας, ὑβριζομένους ἀποθανεῖν. Nam τί ἐμποδῶν
est οὐδὲν ἐμποδῶν ἐστι. Magis tecta est negatio in Cy-
rop. II. 2, 20. ἅμα δὲ αἰσχρὸν ὄν ἀντιλέγειν, μὴ οὐχὶ
τὸν πλείστα καὶ πονοῦντα καὶ ὠφελοῦντα τὴν πόλιν,
τοῦτον καὶ μεγίστων ἀξιοῦσθαι: ubi αἰσχρὸν idem est,
quod οὐ δέον. Sophocles in Oed. R. 1232.

λείπει μὲν οὐδ' ἂ πρόσθεν ἤδειμεν τὸ μὴ οὐ
βαρύστον εἶναι.

221 In Electra, 132

οὐδ' ἐθέλω προλιπεῖν τόδε,
μὴ οὐ τὸν ἐμὸν στοναχεῖν πατέρ' ἄθλιον.

In Trach. 621.

οὔτι μὴ σφαλῶ γ' ἐν σοί ποτε,
τὸ μὴ οὐ τόδ' ἄγγος, ὡς ἔχει, δεῖξαι φέρων.

Saepius in huiusmodi locis librariorum negligentia excidit
οὔ, ut in quibusdam codd. hoc ipso in Trachiniarum lo-
co. Recte hanc particulam in eadem fabula v. 88. addi-
dit Brunckius:

οὐδὲν ἐλλείπω τὸ μὴ οὐ
πᾶσαν πυθέσθαι τῶνδ' ἀλήθειαν πέρι.

Restituenda est etiam v. 225 *).

ὄρω, φίλαι γυναῖκες, οὐδέ μ' ὄμματος
φρουρα παρηλθε τόνδε μὴ οὐ λεύσσειν στόλον.

*) Hoc loco recte se habere nudum μὴ monui ad Viger.
p. 800.

Neglecta est eadem particula etiam in duobus aliis, iisque sibi simillimis eiusdem poetae locis. In Aiace interroganti v. 94. Minervæ,

ἀλλ' ἐκεῖνό μοι φράσον,
ἔβαψας ἔγχος εὐ πρὸς Ἀργείων στρατῶ;

ita respondet Ajax:

κόμπος πάρεστι, κούκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μῆ.

In Antigona v. 443. sic est:

καὶ φημί δρᾶσαι, κούκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μῆ.

Quae si genuina lectio esset, verba sibi repugnarent: hoc enim diceretur: *et aio me fecisse, nec nego non fecisse.*

Quare utroque loco scribendum est μῆ οὐ. Quod in Aiacis versu etiam Suidam in v. μῆ οὐχί, ut utrumque 222 Scholiasten, nec non Triclinium habuisse, ostendunt, quae illi ad eum locum adnotarunt. Idem error commissus in Aeschylī Agam. 1178., ubi scribendum:

ἄκος δ' οὐδὲν ἐπήρκεσαν,
τὸ μῆ οὐ πόλιν μὲν ὥσπερ οὖν ἔχει παθεῖν *);

cum quo loco comparandus Sophocl. Ai. 729. Adde οὐκ etiam apud Platonem in Sophista p. 235. B. ὥστε οὐκέτι ἐκφεύξεται τόδε γε. Τὸ ποῖον; Τὸ μῆ οὐκ ἐκ τοῦ γένους εἶναι τῶν θαυματοποιῶν τις. Quod effugit Heindorfium ad Parmenidem p. 246., qui hac re uti poterat ad tuendam interrogationem, quam iure statuit in hoc esse Parmenidis loco p. 147. A. εἰ δὲ μήτε ἑαυτοῖς ἕτερα ἔστι, μήτε τῷ ἑτέρῳ, οὐ πάντη ἂν ἤδη ἐκφύγοι τὸ μῆ ἕτερα εἶναι ἀλλήλων; Nam sublata interrogatione non μῆ, sed μῆ οὐχί dici debuisset, quia tunc οὐκ ἂν ἐκφύγοι proprie dictum fuisset, neque ut nunc, idem quod ἐκφεύγει significasset. Rarius μῆ omiserunt librarii, ut apud Alciphronem II, 2, p. 214., ubi legendum: οὐκ

*) Ne hic quidem mutatione opus. Nam μῆ οὐ est *quo minus*, μῆ autem *ut non*. Vnde μῆ οὐ ad id quod efficiendum erat, μῆ ad id quod effectum est, refertur.

ἀρνοῦμαι πρὸς τὸν νεανίσκον μὴ οὐκ οἰκείως ἔχειν ἐκ πολλοῦ, nisi quis cum codice Dorvillii legere malit: οὐκ ἀρνοῦμαι πρὸς τὸν νεανίσκον οἰκείως ἔχειν ἐκ πολλοῦ.

Participii usum in hoc genere non habeo quibus exemplis confirmem, quod verba, quae in hac constructione occurrunt, fere infinitivum sibi adiungunt. Quod 223 si quando participium additur, utraque negatio omitti solet, ut apud Aeschylum in Agam. 592.

νικῶμενος λόγοισιν οὐκ ἀναίνομαι.

et apud Euripidem in Iphig. Aul. 1512.

θανοῦσα δ' οὐκ ἀναίνομαι.

Sed veniendum iam est ad alium usum particularum μὴ οὐ, qui talis est, ut illi regulae, quam primam et generalem posuimus, repugnare videatur. Hunc dico, quo μὴ οὐ etiam cum infinitivo et participio iunctae non affirmant, sed cum dubitatione negant. Tantum vero abest, ut ista regula hac re labefactetur, ut magis ea confirmetur. Diximus enim μὴ οὐ cum verbo finito iunctas dubitanter negare: id vero in hoc ipso usu, de quo nunc dicimus, sic esse invenietur. Hanc quoque rem regula quadam comprehendemus, quae haec est. *Μὴ οὐ ubi cum infinitivo vel participio vel nudo nomine vel adverbio ita coniunguntur, ut unam contineant negationem, non cum eo infinitivo, aut participio, aut nomine, aut adverbio construuntur, sed in medio adduntur, repetitis cogitatione praecedentibus verbis: ideoque, ut cum verbo finito constructae, dubitanter negant.* Vno hanc rem exemplo planam faciam, alia deinde plura additurus, ad differentiam inter μὴ et μὴ οὐ declarandam. Demosthenes de falsa legatione p. 224 379, 6. *αἶ τε πόλεις πολλαὶ καὶ χαλεπαὶ λαβεῖν, αἱ τῶν Φωκέων, μὴ οὐ χρόνω καὶ πολιορκίᾳ.* Hic μὴ οὐ, pariter atque in caeteris huius formae exemplis, in medio additum est, ut εὖ οἶδ' ὅτι, et similia, ita ut plena oratio haec sit: *αἱ πόλεις πολλαὶ καὶ χαλεπαὶ λαβεῖν μὴ οὐ χρόνω καὶ πολιορκίᾳ χαλεπαὶ λαβεῖν ὥσι: vide ne sine mora et obsidione difficiles expugnati sint.*

Ex his apertum est, quare saepe in eadem formula nunc μή, nunc μή οὐ reperiatur, sed hoc discrimine, ut μή certo neget, μή οὐ autem cum dubitatione. Xenophon in Anabasi II. 5. 29. τῶν δὲ στρατιωτῶν ἀντίλεγον τινες, μή ἰέναι πάντας τοὺς λοχαγοὺς καὶ στρατηγούς, μηδὲ πιστεύειν Τισσαφέρνει. Sic etiam Hist. Gr. II. 2, 19. Idem in Anabasi IV. 8, 14. ἄνδρες, οὗτοί εἰσιν, οὓς ὁρᾶτε, μόνοι ἔτι ἐμποδῶν τοῦ μή εἶναι, ἔνθα πάσαι σπεύδομεν. Non potuit in his locis μή οὐ dici, quia res certa est. Idem in Hist. Gr. VI. 3, 5. εἰ δὲ δὴ καὶ ὁμογνωμονοῦμεν, οὐκ ἂν πάντῳ τῶν θανυμαστῶν εἴη, μή εἰρήνην ποιῆσθαι; Et paullo post: πῶς οὖν δίκαιον, ἢ ὑμᾶς, παρ' ὧν ἐλάβετε σπέρματα, τὸν τούτων καρπὸν ποτε ἐλθεῖν δηλώσοντας, ἡμᾶς τε, οἷς ἐδώκαμεν, μή οὐχὶ βούλεσθαι ὡς πλείστην τούτοις ἀφθονίαν τροφῆς γενέσθαι; In his locis hoc dicit: *quod si iam consentiamus, nonne mirum sit, nos non facere pacem? quomodo iusti essemus, nisi vellemus, quibus semina* 225 *dedimus, iis etiam fructuum esse ubertatem.* Quod si in priore loco μή οὐ, in altero μή dixisset, hic esset sensus: *mirum sit, ni pacem faciamus: iniusti essemus, quod nollemus habere vos, unde viveretis.* Aeschylus in Pometheo:

ἀλλ' οὔτε σιγᾶν, οὔτε μή σιγᾶν τύχας
οἶόντα μοι τάςδ' ἐστί.

Xenophon Hist. Gr. V. 4, 32. ἐπεὶ ἐκεῖνός γε πρὸς πάντας, ὅσοις διείλενται, ταῦτα λέγει, μή ἀδικεῖν μὲν Σφοδρίαν ἀδύνατον εἶναι. Idem Cyneg. V. 31. ἔστιν οὖν ἀδύνατον, μή οὐκ εἶναι, ἐκ τοιούτων συνηρμοσμένον, ἰσχυρόν, ὑγρόν, ὑπερέλαφρον. Thucydides VIII. 60. ἐπὶ γὰρ τῇ Ἐρετρῖα τὸ χωρίον ὄν, ἀδύνατα ἦν, Ἀθηναίων ἐχόντων, μή οὐ μεγάλα βλάπτειν καὶ Ἐρετρῖαν καὶ τὴν ἄλλην Εὐβοίαν. Horum quattuor exemplorum duo habent μή, duo μή οὐ; sed in his, quae μή habent, res ut certa refertur: *προφωνῶ τύχας τάςδε· ἀδικεῖ Σφοδρίας*; in duobus alteris non ut quae ita sit, sed ut quae mirum ni ita esset. Leporem Xenophon non simpliciter dicit validum, mobilem, velocem esse, qui talem corpo-

ris structuram habeat, sed hac re fieri, ut vix carere istis virtutibus possit. Thucydides Boeotos dicit Oropum cepisse, non quod istud oppidum Eretriensibus et Euboeae vere nocuisset, sed quod, si in potestate Atheniensium 228 mansisset, nociturum probabile fuisset. Vtraque forma coniuncta reperitur in fine Apologiae Socratis Xenophontae: ἐγὼ μὲν δὴ κατανοῶν τοῦ ἀνδρός τὴν τε σοφίαν καὶ τὴν γενναιότητα οὔτε μὴ μεμνήσθαι δύναμαι αὐτοῦ, οὔτε μεμνημένος μὴ οὐκ ἐπαινεῖν. Μὴ μεμνήσθαι, ut indicet, se vere semper eius recordari; μὴ οὐκ ἐπαινεῖν, ut significet, se, quoties de eo cogitet, vix posse sibi ab eo laudando temperare. Tantumdem est enim, ac si dixisset, μὴ, μεμνημένος, οὐκ ἐπαινεῖν ἀδύνατος ὦ. Idem Xenophon Anab. II. 3, 11. ὥστε πᾶσιν αἰσχύνῃν εἶναι, μὴ οὐκ συσπυδάξειν. Et de rep. Laced. VI. 2. ἦν δέ τις παῖς ποτὲ πληγὰς λαβὼν ὑπ' ἄλλου, κατείπη πρὸς τὸν πατέρα, αἰσχρὸν ἐστὶ μὴ οὐκ ἄλλας πληγὰς ἐμβάλλειν τῷ νείῃ. Tolle in his locis οὐ, et sensus erit: *turpe erat, non una adniti; turpe est, non denuo castigare filium.* Haec vero hanc vim habent, ut tamquam certum sumatur, fuisse, qui id facerent, quod turpe ducebatur. Nunc addito οὐ hic sensus est: *turpe erat, nisi quis una adniteretur; turpe est, nisi quis denuo filium castiget.* Id autem quis non videt sic dici, ut dubitetur, an ista nemo fecerit? Contra in Mem. Socr. IV. 8, 9. ἐμοὶ δὲ τί αἰσχρὸν, τὸ ἐτέροισι μὴ δύνασθαι περὶ ἐμοῦ τὰ δίκαια μῆτε γνῶναι μῆτε ποιῆσαι, id est, *quod iusta nec iudicare nec facere sciunt.* De 229 mosthenes in epist. V. p. 1490, 15. ἥς μὰ τοὺς θεοὺς τῷ μετασχόντι μὴ οὐχὶ ἀψευδεῖν καὶ πρὸς ἅπαντας ἀγαθῷ εἶναι, οὐχ ὅσιον ἡγοῦμαι: *qui huius disciplinae particeps est, is nisi fidus et erga omnes iustus sit, nefas esse duco.* Hic si μὴ posuisset, hoc dixisset: *nefas duco, qui hac disciplina usus est, eum perfidum esse neque erga omnes iustum.* Atqui sic Heracleodorum non monuisset, ne talem se praeberet, sed reprehendisset, tamquam qui esset talis.

Sed obiiciet aliquis, quod supra diximus, μὴ in hu-

iusmodi locis sic dici, ut praecedentia cogitatione repellantur, id non posse ubique fieri. Enimvero videtur tantum fieri non posse. Multo enim usu factum est, ut, quum μή, sic in medio insertum, negationem, quae sequitur, minus certam redderet, ibi etiam adhiberetur, ubi praecedentia non possent simpliciter repeti. Id maxime elucet, ubi ὥστε praecedit. Sophocles in Antig. 96.

πίσσομαι γὰρ οὐ
τοσοῦτον οὐδέν, ὥστε μὴ οὐ καλῶς θανεῖν.

Xenophon de rep. Athen. III. 8. πολὺ δ' οὐχ οἶόν τε μετακινεῖν, ὥστε μὴ οὐχὶ τῆς δημοκρατίας ἀφαιρεῖν τι. Haec hanc vim habent: οὐδέν πείσσομαι τοσοῦτον, ὥστε (ὄρα μὴ) οὐ καλῶς θανεῖν· πολὺ οὐχ οἶόν τε μετακινεῖν, ὥστε (ὄρα μὴ) οὐχὶ τῆς δημοκρατίας ἀφαιρεῖν τι. Sed non minus haec quoque, quam illud, quod supra attuli, 228 αἰσχύνῃ ἢ μὴ οὐ συσπουδάξουσιν, ad regulam, quam posuimus, revocari poterunt, si quis singulas enunciationes, quae in his locis sunt, recte consideraverit. Id fieri debet hoc modo: αἰσχύνῃ ἢ· τί; (ὄρα) μὴ οὐ συσπουδάξουσιν αἰσχύνῃ ἢ. οὐδέν πείσσομαι τοσοῦτον, ὥστε θανεῖν· πῶς; (ὄρα) μὴ οὐ καλῶς: id est, ὄρα μὴ, ὥστε αἰσχροῶς θανεῖν, οὐδέν τοσοῦτον πείσσομαι. πολὺ οὐχ οἶόν τε μετακινεῖν, ὥστε ποιεῖν· τότε· τί; (ὄρα) μὴ οὐχὶ τῆς δημοκρατίας ἀφαιρεῖν τι: id est, ὄρα μὴ, ὥστε μένειν τὴν δημοκρατίαν, οὐχ οἶόν τε ἢ πολὺ μετακινεῖν. Composita igitur haec sunt ex una certa sententia, ut αἰσχύνῃ ἢ, et altera incerta, μὴ οὐ συσπουδάξουσιν αἰσχύνῃ ἢ. Sed quod potior est certa sententia, haec plene enunciatur, incerta autem supprimitur, particulis eo in loco collocatis, ubi ad eam ipsam partem, quae incerta est, referuntur. Simillimum quid factum videmus in hoc oratoribus usitato, οὐκ οἶδ' ὅτι δεῖ πλείω λέγειν, quod attigit Frid. Aug. Wolfius ad Demosth. orat. contra Lept. p. 388. vel ut apud Isocratem in Trapez. cap. 17. est, οὐκ οἶδ' ὅτι πλείω δεῖ λέγειν. Nam ibi οἶδ' ὅτι neque ad οὐ δεῖ pertinet, quod dicendum esset, οὐ δεῖ, οἶδ' ὅτι; πλείω λέγειν, neque ad οὐ πλείω, quod dici debe-

ret, οὐ πλείω, οἶδ' ὅτι, δεῖ λέγειν, sed ad solam negationem οὐ, quae propterea cum accentu scribenda est: 229 οὐκ, οἶδ' ὅτι, δεῖ πλείω λέγειν, non sane *). Hoc quoque si quomodo cogitetur explanandum est, sic dici debet: οὐ δεῖ πλείω λέγειν, οἶδ' ὅτι οὐ (δεῖ πλείω λέγειν). Hic pariter, ut in particulis μὴ οὐ, duae sunt sententiae, altera simpliciter rem enuncians, altera addens maiorem quamdam affirmationem; quam affirmationem, quoniam non ad universam sententiam, sed ad aliquam eius partem spectare volumus, huic parti eam adiungimus, suppressis reliquis.

Exempla nunc afferamus particularum μὴ οὐ cum participio sic iunctarum, ut dubitanter negent. In quo usu nihil difficultatis est, si quis meminerit, μὴ ποιῶν esse quod quis non facit aliquid, aut si non facit; μὴ οὐ ποιῶν autem nisi facit. Quae quomodo differant, non est obscurum. Qui nisi fallor dicit, dubius est, utrum fallatur, an non; qui si non fallor, hoc, non falli se, ut certum sumit. Haec si dicantur per participia, alterum nisi falsus, alterum non falsus dici necesse est. Iam exempla videamus. Sophocles in Oed. R. 12.

δυσάλλατος γὰρ ἂν
εἶην, τοιάνδε μὴ οὐ κατοικτείρων ἔδραν.

Et v. 220.

οὐ γὰρ ἂν μακρὰν
ἔχνευον αὐτός, μὴ οὐκ ἔχων τι σύμβολον.

In his locis hoc dicit: durus essem, nisi vestra me supplicatio tangeret: parum ipse investigando proficerem, 230 nisi aliquid indicii reperirem. Quod si μὴ dixisset, sensus esset: durus essem, si me non moveret vestra supplicatio, aut quod me non movet: parum profice-

*) De accentu non recte praeceptum. Quoniam enim illud οἶδ' ὅτι ita coniungitur cum reliquis verbis, ut ad sensum pro adverbio sit, nihil potest ad accentum conferre.

rem, si nihil indicii haberem, aut quod nullum indicium habeo. Contra Sophocles in Trachiniis v. 592.

ἀλλ' εἰδέναι χρὴ δρῶσαν. ὡς οὐδ' εἰ δοκεῖς
ἔχειν, ἔχοις ἂν γνώμα, μὴ πειρωμένη.

Hic si dixisset, μὴ οὐ πειρωμένη, hoc significasset: *non cognoscas rem, nisi experimentum facias.* Nunc μὴ πειρωμένη dicens, hoc vult: *rem non cognoscas si non facias experimentum.* Dixerat enim Deianira, πείρα δ' οὐ προσωμίλησά πω. Non recte ergo Schaeferus in Meletem. crit. p. 57. istud μὴ πειρωμένη tantumdem esse dicit atque εἰ μὴ πειρῶ. Immo idem est quod ἄπειρος οὐσα, vel εἰ οὐ πειρᾶ, ut apud Homerum Iliad. XXIV. 296.

εἰ δέ τοι οὐ δώσει ἐὼν ἄγγελον εὐρύοπα Ζεύς.

Vt Sophocles, ita Plutarchus in initio libri, quo quaerit, quomodo quis suos in virtute progressus sentiat, p. 75. B. commemoratus ille eadem pagina a Schaefero: οὐδὲ γὰρ ἂν ἐν μουσικοῖς τις ἢ γραμματικοῖς ἐπιδιδούς γνοίη, μηδὲν ἐν τῷ μανθάνειν ἀπαρύτων τῆς περὶ ταῦτα ἀμαθίας, ἀλλ' ἴσης αὐτῷ τῆς ἀτεχνίας αἰεὶ παρούσης· οὐδὲ κάμνοντι θεραπεία, μὴ ποιοῦσα ῥαστώνην, μηδὲ κουφισμὸν, ἀμωσγέπως τοῦ νοσήματος ὑπέικοντος καὶ χαλῶντος αἰσθησιν ἂν παρέχοι διαφορᾶς, πρὶν εἰλικρινῆ τὴν ἐναντίαν ἔξιν ἐγγενέσθαι παντάπασιν, τοῦ σώματος ἀναρῶ-231 σθέντος. Hic ut θεραπεία μὴ ποιοῦσα ῥαστώνην est *curatio nihil allevans aegrotum*, sic etiam in prioribus verbis, μηδὲν ἀπαρύτων τῆς ἀμαθίας non est *nisi quis aliquid de incitia sua deponat*, quod dicendum fuisset, μὴ οὐκ ἀπαρύτων τι, sed *si non deponat aliquid.* Euripides Heracl. 283. ibidem allatus a Schaefero:

μάτην γὰρ ἦβην ᾧδὲ γ' ἂν κεκτώμεθα,
πολλὴν ἐν Ἄργει, μὴ σε τιμωρούμενοι.

Non nisi te puniremus, sed si te non puniremus. Κεκτώμεθα, modo iota subscribatur, videtur defendi posse *). Vide Eustathium ad Hom. p. 1305, 48. 1332, 19

*) De his formis, quae hic commemoratae sunt, videnda est
HERM. OP. I. Q

Favorinum in v. *μεμνέφτο* et in v. *χρεώμενοι*. Vnde quamvis mirum *φοβῶτο*, quod habent codices duo Stobaei in Ecl. I. 8. p. 214. ed. Heeren. in versu Sophoclis ex Oed. R. 977., dignum tamen est, quod consideretur. Eiusdem generis sunt *ἀναβιῶν* apud Aristophanem in Ranis v. 177. commemoratum Etymologo in v. *βιῶν* et aliis grammaticis, ac *συγνώη* apud Aeschylum in Suppl. v. 223. Quas formas Buttmannus, memor eorum quae de formis *ῥιγῶν*, *ῥιγῶ*, *ῥιγῶή* ad Platonis Gorgiam ed. Heindorf. p. 528. et in novissima editione Graecae grammaticae p. 241. attulerat, quibus addi exemplum formae *ῥιγῶή* potest ex Hippocrate Sect. IV. p. 337, 33. ed. Genev. sive 232 p. 2, 39. ed. Mack. non debebat in eadem grammatica p. 252. quod ab recentioribus frequentatae sunt, deteriores vocare. Recentiores enim, ut alibi, ita hic quoque rariora et antiquiora praetulerunt. Grammaticis, qui has formas improbant, Phrynicho p. 152. Thomae Magistro p. 125. seqq. Moeridi p. 117. praeter lexicographos et Eustathium, saepius earum mentionem facientes, adde Georgium Lecapenum in Matthaei lectt. Mosq. vol. I. p. 59. Mansisse illae videntur e Dorica lingua, cui *βιῶή* tribuit e veteri grammatico Suidas, *βιῶτω* Eustathius p. 1418, 13. Manifesto Doricum est *διδῶν* apud Theocritum XXIX. 9. Non fuit tamen *διδῶναι* dictum: vide Eustathium p. 1357, 18. ad Iliad. XXIV. 425. ubi *διδῶναι* est infinitivus aoristi. Nam ut ab *ἀλώω*, *βιῶω*, *γνώω*, legitimae formae sunt *ἀλῶναι*, *βιῶναι*, *γνώναι*, ita a *δῶω* legitima forma est *δοῦναι*. Nec dictum fuit *ἀρώμεναι*, sed *ἀρόμεναι*, agnitum apud Hesiodum in O. et D. 22. a Moschopulo certe et in lexico Favorini in v. *ἀπαρέμματα*. Cuius similia sunt *ξενγνύμεν* Iliad. XVI. 145. et *ἴμεναι* XX. 365. commemoratum Etymologo p. 467, 20. quae quo iure scribantur *ξενγνῦμεν* et *ἴμεναι*, quemadmodum recte scribitur *ἄμεναι* Iliad. XXI. 70., nescio. Ad easdem illas verborum Doricas vel antiquas

docta disputatio Buttmanni in Epimetro, quod dissertationi meae adiecit in museo antiq. stud. p. 235 — 250.

formas alia quoque pertinere videntur, quae epica poesis usurpat, ut *δηϊόωεν* Odyss. IV. 226. Ac nescio an eodem referri debeant terminationes verborum *ώω* et *ώω*, e terminatione *άω* ortae. Omnino terminationes verborum in *άω* desinentium, quae paradigmatis loco exhiberi solent, in perpauca verbis usitatae fuerunt. Boeotis eas tribuit Heraclides apud Eustathium p. 831, 63. sed quae ille exempla affert, apud Homerum inveniuntur, *έλάων* in hymno Merc. 342. *διψάων* Odyss. XI. 584. *πεινάων* Iliad. III. 25. XVI. 758. XVIII. 162. quibus addi quaedam possunt alia, ut *άναμáιμάει* Iliad. XX. 490. *τηλεθάον*, *τηλεθάόντας*, *τηλεθάούσαι* Iliad. XVII. 55. XXII. 423. hymn. Ven. 267. et saepissime occurrens verbum *ναϊετáειν*. Nondum de hoc omni genere allatum est, quod operae pretium sit.

Sed redeo, unde digressus sum. Euripides in Troad. 402. a Schaefero citatus:

*Πάρις δ' έγημε την Διός' γήμας δέ μη,
σιγώμενον το κήδος ειχεν έν δόμοις.*

Si non duxisset. Apertum est, quod eorum caussa mono, qui *μη ου* post negationem dici tradunt, hic, etiamsi in apodosi accessisset negatio, non *μη ου* sed *μη* dicendum fuisse. Fac enim scripsisse poetam, *το κήδος ουκ αν ειχε κλεινον έν δόμοις*, nihilominus debuisset *μη γήμας* addere, quia non ambiguum relinquit, utrum Paris uxorem duxerit, an non duxerit. Aeschylus in Prometheo v. 503.

ουδεις, άαφ' οίδα, μη μάτην φλύσαι θέλων. 234

Nemo, qui temere se iactare nolit, id est, nemo vera dicere amans. *Μη ου* si dixisset, id foret, *nemo, nisi iactor*. Interdum ambiguum est, utrum *μη* sit *si non*, an *quod non*. Male Schaeferus in Meletem. crit. p. 109. *ου* omissum putat in hoc Xenophontis loco, in Anab. VI. 4, 19. *και επί τούτω páλιν έθύετο ές τρις, και ουκ έγιγνετο τά ιερά. και ηδη και επί σκήνην ιόντες την Ξενοφώντος έλεγον, ότι ουκ έχοιεν τά επιτήδεια. ό δ' ουκ αν έφη εξαγαγειν, μη γιγνομένων των ιερών.* Non dicit

Q 2

hic, *nisi sacra addicerent*, quo prorsus ea res incerta relinqueretur, sed aut, *si non addicerent*, aut *quod non addicerent*. Sic etiam apud Platonem in Parmenide p. 146. E. οὐδὲ μὴν ἑαυτοῖς γὰρ ἕτερον ἂν εἶη ἀλλήλων, μὴ μετέχοντα τοῦ ἑτέρου.

Sed finem imponam huic dissertationi. Neque enim aliud volui, quam ostendere, explicationem huius loci, qui est de ellipsi et pleonasmō, vix inchoatam, nedum perfectam esse; ac ne posse quidem perfici, nisi illa, quae ab hoc loco aliena sunt, removeantur. Poterit autem vel ex hac re intelligi, quantopere fallantur, quamque parum, quo in statu sit Graecae linguae cognitio, intelligant, qui vel fundamenta iacta esse Graecae grammaticae credunt. Quod si recte rem volumus aestimare, aliquid ad 235 eum finem materiae parari coeptum esse fatebimur; coeptum esse etiam in varios locos digeri hanc materiam; sed antequam plura, eaque non temere, sed cum consilio quodam et iudicio congesta fuerint, non esse futurum, ut ad veram et accuratam Graecae grammaticae scientiam perveniatur.

DE DIALECTO PINDARI OBSERVATIONES *).

Graecae grammaticae pervestigatio, quae nuper pauco-**3**rum quidem, sed idoneorum hominum studiis admirabiles fecit progressus, nunc, si recte sentio, aut consistere in medio cursu cogetur, aut alia, quam hactenus, via debet ingredi. Eo enim iam perducta videtur ista doctrina, ut, nisi ille locus, qui est de dialectis, pertractetur, nulla in parte eius cum aliquo fructu procedi possit longius. Non mirabor tamen, si plerique dialectorum explicationem propter incredibilem rei difficultatem defugient. Neque enim haec res collectione diversarum formarum confici potest, ut quidam opinati sunt, sed et lectio in singulis locis ad criticas regulas expendenda est, et tempora scribendique genera diligenter sunt discernenda. Quod quam magnum sit, quamque difficile, in tanta non solum copia, sed etiam corruptione veterum scriptorum, sponte intelligitur. Equidem ut aliquid ad eam rem conferam, editis ante biennium de hac materia observationibus nunc alias addam, quae ad Pindarum spectabunt. De quo scriptore non minus perverse quosdam iudicare video, quam de Theocrito, quum utrumque Do-

*) Edita est haec dissertatio a. 1809, repetita in ed. Heyniana Pindari a. 1817. vol. 3. adiectis paucis adnotationibus.

rica lingua usum existimantes, temere, quidquid Doriensibus usitatum fuit, aut ferendum in his scriptoribus, aut etiam reponendum esse censent. At ne Theocritus quidem ubique aut Doricam dialectum, aut eundem Dorismum admisit: sed huius rei fines qui monstraret, praesertim in tam corrupto scriptore, nondum inventus est. Minus etiam Dorica lingua usus est Pindarus: qui ne ipse quidem, quamvis integrior aliis scriptoribus ad nos pervenisse creditus, suae dialecti probabilem reperit explanatorem. Nimirum, ut alibi non semel diximus, ante omnia gentium dialecti a dialectis scribendi generum discernendae erant. Quae res habet sane aliquid difficultatis, quod gentium usus e scriptoribus tamen, exempla sectantibus illorum, qui in eodem genere elaborarunt, cognoscendus est. Verumtamen scribendi genera alia aliis ad hunc finem aptiora sunt; maxime pleraeque prosae orationis formae; tum poesis illa, quae communem vitam imitatur, ut comoedia et mimi: multo minus caetera poeseos genera, quorum nullum est, quod puram cuiusquam gentis linguam exprimat. Et quoniam prima omnium fuit epica poesis, cuius duae fuerunt levi discrimine distantes familiae, una Ionica Homeri, altera Aeolica Hesiodi, quarum victrix Ionica diu lex et norma habita est omnis poeseos: quaecumque deinde aliae exstiterunt poeseos formae, eae aut epicam sequuntae sunt poesin, alia ab alius gentis lingua colorem trahens, ut lyrica poesis, nunc Ionum linguae, nunc Aeolensium, nunc Doriensium, neque uno modo, sese accommodans, aut certarum gentium linguam consecratae sunt, colorem ab epicis ducentes, ut tragoedia et bucolicum genus. Haec reputantibus planum erit, qua via in hac disputatione incedendum sit.

Veniamus ad Pindarum. Verissime hunc veteres communi lingua usum dixerunt. Sturzium quidem, hoc in Maitairii libro p. XXXIV. sic interpretantem, ut Pindari, poetae temporibus Persicis florentis, dialectum proxime ad antiquissimam Hellenum linguam, a qua omnium minime abfuerit Dorica sive Aeolica, accedere putaret, mirarer profecto, si nullus Pindari versus ad nos perve-

nisset: nunc autem, quum tantum eius carminum volumen omnium manibus teratur, quid de tali opinione dicam, non invenio. Qui communem linguam Pindaro tribuerunt, hoc dixisse censendi sunt, dialectum, qua utitur, singulari quodam temperamento pene ex omnibus dialectis mixtam videri. Id quomodo factum sit, apertum est. Est enim Pindari dialectus epica, sed colorem habens Doricae, interdum etiam Aeolicae linguae *). Aliis verbis, fundamentum huius dialecti est lingua epica, sed e Dorica dialecto tantum adscivit Pindarus, quantum et ad dictionis splendorem et ad numerorum commoditatem idoneum videretur, repudians illa, quae aut interioris essent, aut vulgaris, aut certis in locis usitati Dorismi. Nec primus hoc fecit Pindarus, sed sequutus alios, ipse quoque post in exemplis habitus. Horum attingam quae praecipua sunt. Fines libelli, brevitatem, brevitatem ordinem consulto neglectum excusabit.

Ac de epica apud Pindarum dialecto quum multa dici possent, consistam in hiatu et quorumdam verborum mensura. De hiatu quidem hoc magis mihi dicendum est, quod is nuper quemdam doctissimum virum adduxit, ut digamma a Pindaro usurpatum crederet. At ea littera Pindarum non esse usum, certissimum est. Nam et hiatum admisit in his quoque vocabulis, quae numquam habuerunt digamma, neque ante illa vocabula, quae apud antiquos a digamma incepisse scimus, aut correptionem syllabae consonante terminatae, aut apostrophum declinavit. Neque enim fore puto, qui digamma nunc adhibitum, nunc neglectum fuisse censeat; nec magis, qui eam litteram cum spiritu aspero comparet, qui ad mensuram nihil usquam confert, hiatum autem reddit etiam duriorum. Omnino ex quanam dialecto digamma a Pindaro sumptum dicetur? Ex epica? At Pindari tempore pridem

*) Ὡς δὲ οἱ Δωρικεῖς ἔχαιρον καὶ αἰολίζοντες, δηλοῖ Πίνδαρος, ἀναμιξὺ ὄντων ποιῶν, ἤτοι Δωρικῶς γράφων καὶ Αἰολικῶς. Eustathius p. 1702, 3.

digamma ex epica poesi evanuerat. An e Dorica? At ab antiquo illo et interiore Dorismo, cuius proprium erat digamma, plane abstinuit Pindarus. An denique ex Aeolica? At quum omnino perpauca hinc hausit, tum ne Aeolici quidem poetae, ut Alcaeus et Sappho, digamma magnopere frequentarunt, quo illi in multis vocabulis abstinerunt, quibus Pindarus, si ex hiatus coniectura facienda esset, adiecisset digamma. Bis occurrens apud hunc *ἀνάτα* de se ipso, non de aliis vocibus, testimonium edit. Sola ille pronomina *ἔθεν*, *ἔ*, *οἶ*, quae tamen ne ipsa quidem apud eum digamma habuisse puto, prorsus ita, ac si haberent, usurpat. Horum *ἔ* semel invenitur, sed post consonantem, Ol. IX. 23. *οῦ* Ol. I. 37. 106. VI. 35. 111. VII. 164. 168. IX. 24. 101. XIII. 39. 52. 92. 100. 109. 130. XIV. 32. Pyth. I. 14. II. 153. III. 112. IV. 40. 65. 84. 129. 337. 432. 470. 510. V. 157. IX. 62. 99. 145. 192. 213. Nem. I. 19. 24. 88. 92. III. 66. 98. V. 62. VI. 38. VII. 58. X. 53. Isthm. V. 78. VI. 16. 72. VIII. 125. in fragm. p. 80. III. ed. Heyn. His adde 6 Ol. II. 74. Pyth. II. 78. IX. 148. Nem. IV. 96. VII. 32. X. 27. 149. Isthm. IV. 109. de quibus locis disputavi ad Orphica p. 787. seqq. *ἔθεν*, nusquam occurrens, quin eandem legem sequi debuerit, non est dubium. Hoc unum addo, si quando syllaba ob digamma per positionem produci videatur, hos locos aut aperte vitiosos esse, aut suspicionem certe vitii habere non exiguum. Male numeris consulens lectio Pyth. IV. 450. *ἔπεδειξαντο κρίσιν ἐσθᾶτος ἀμφίς*, scribi postulat *ἔπέδειξαν*: quo facto ad digamma confugientem retinebit eiusdem carminis v. 140. Quare rectius fortasse scribetur *κρίσις*, Ionice pro *κρίσιαις*, ut in libris certe omnibus *φάτις* est Pyth. III. 199. In Isthm. VI. 61. *τοιούτῳ γ' ἔπος* haud obscure offert ed. Rom. Ars quidem in lyricorum versibus non sufficit ad producendas breves syllabas. Quare vide ne Ol. II. 10. scribendum sit *γεγωνητέον*, *ὄπιν δίκαιον ξένον*: v. Isthm. V. 74. In Pyth. IV. 328. deletum uno cum codice ineptum *γὲ* gravioris mendae index est, cuius correctionem ab libris, quam a coniectura, sperare malim. Quam-

quam haec tenuis spes est, quum codices Pindari omnes ex uno videantur fonte manasse, unde tantus eorum etiam in vitiis consensus est. Sic in eodem carmine v. 452. ubi scribendum videtur: *καὶ ἐν ἀλλοδαπαῖς σπέρμ' ἀρούραις τουτάκις ὑμετέρας ἀκτῖνος ὄλβου δέξατο μοιριδίον ἄμαρ.* Et V. 55. ubi poetam dedisse conicio *κάθεσαν θεῶ.*

Redeo ad hiatum, quem epicae poeseos exemplo admissum esse a Pindaro inde cognoscitur, quod plerumque in iis vocabulis reperitur, in quibus Homerus quoque eum habet; deinde in nominibus propriis, et quibusdam verborum coniunctionibus, quae ipsae, si opus esset, similibus epicorum locis defendi possent. Quo certius de hac re constat, ipsos afferam Pindari locos, ac primo, ubi in brevi vocali hiatus est. *Τε ἴδρις* Ol. I. 167. *πολλὰ εἰδῶς* II. 155. *τε Ἰλιον* V. 52. *δὲ ἔχοντες* 37. *τι ἔπος* VI. 25. *τε Ἰάλυσον* VII. 136. *κατὰ εἶδος* VIII. 25. *σάφα εἶπας* 61. *τὲ ἰδῶν* IX. 94. *καλὰ ἔρξαις* X. 109. *διαλλάξαιτο ἦθος* XI. 22. *εὐρὸ ἀνάσσων* XIII. 34. *δὲ ἴδιος* 69. *τόσα εἰπεῖν* 101. *παρὰ ἐλπίδα* 117. *ἐρασίμολπε ἰδοῖσα* XIV. 22. *ἴθι Ἀχοῖ* 29. *ὄφρα ἰδοῖς* 31. sic enim legendum; *ἀντὶ ἔργων* Pyth. II. 33. *ἐπὶ ἐλπίδεσσι* 89. *ποτὶ ἅπαντα* 123. *πάντα ἴσαντι* III. 52. *ἀνέρι εἰδομένῳ* IV. 37. *Ἐπιάλτα ἀναξ* 159. *οὔτε ἔργον* 185. *δὲ Ἰαωλόν*, nisi δ' *Ἰαωλόν* legendum, 334. *παῖδα ὄν, συμπ,* VI. 36. *μάλα ἀδόντι* 51. *καλὰ ἔργα* VII. 20. *ποτὲ Οἰκλέος*, si recte sic cod. Bodl. VIII. 55. *δὲ οἰκοθεν* 72. *μελαδῆτε ἄκρα* XI. 17. *τε ἀναξ* 94. *μέγα εἰπεῖν* Nem. V. 25. *οὔτινα οἶκον* VI. 42. *μέγα εἰπὼν* 45. *ἐπὶ εἴκοσι* cum cod. Aug. 100. *ἐπὶ ἴσα* VII. 7. *τρία ἔπτα* 71. *γλυκεῖα ἔργη* 77. *καλὰ ὤκισεν* X. 8. *μέγα ἔργον* 119. *ἀλιερκέα Ἰσθμοῦ*, nisi *ἀλιερκέος* scripsit, Isthm. I. 10. *Ποσειδάωνι Ἰσθμῷ* 45. *περὶ ᾧ, suo,* IV. 60. *ἄρα εἰπὼν* VI. 81. *τε εὐανθέα* VII. 47. *τε ἄδον* VIII. 40. *Ἀρεῖ ἐναλίγκιον* 81. *δὲ ἐσπέραις* 94. Quod Ol. II. 169. legitur, *ἐκατόν γε ἐτέων*, defendi potest, sed non male scriberetur *ἐκατόν γ' ἐπ' ἐτέων*. Ol. III. 29. hiatum tollit melior lectio. V. 42. corruptum videtur, de quo loco infra. Pyth. I. 72.

scribe στεφάνοισι τ' ἐν ἵπποις τε. Ibidem v. 178. scribe, ὦ φίλος εὐτραπέλοις κέρδεσσ', ut Nem. III. 133. qua oblata opportunitate moneo i dativi post duplex σ abiici epicorum exemplo, non post unum σ. Itaque Nem. IX. 55. aut cum scholiasta σώματ' ἐπίαναν, aut σώμασι πίαναν legendum. Cod. Aug. σώμασιν ἐπίαναν. Olymp. XIII. 153. autem scribe Ἀρκάς. Hic hiatus, Κάρνεια ἐν δαιτι σεβίζομεν Pyth. V. 106. non ferendus: malim σύν. Nem. V. 58. scribe τοῖο δ' ὄργάν, et Isthm. VII. 18. cum Heynio ἀνίκ' ἄρ' ὄρθῳ. Alius locus, VIII. 87. infra emendabitur. Ibidem v. 130. scribendum videtur, ἔδοξεν δ' ἄρ' ἐν ἀθανάτοις. In fragm. p. 19. μελίφρονα ἀρχὰν error Schneideri est: apud Athenaeum recte μελίφρονος.

Sequitur hiatus in longa syllaba, quae est in arsi: Ol. III. 54. IV. 10. VI. 141. VII. 3. IX. 149. X. 81. XI. 10. XIII. 48. XIV. 28. Pyth. I. 74. II. 122. III. 3. IV. 252. V. 112. IX. 79. 137. XI. 92. XII. 6. Nem. III. 58. XI. 35. 36. IX. 131. X. 162. XI. 52. Isthm. I. 21. 86. IV. 24. 69. VI. 47. VII. 14. Sed Ol. XI. 87. XIII. 96. versuum distinctio mutata hiatum tollet. Ibidem v. 164. et Pyth. I. 130. scribendum Ζεῦ τέλει. De Pyth. XII. 24. vide ad Orph. p. 722. Nem. I. 78. iam in commentatione de metris Pindari correctum. Isthm. VI. 83 ex Olymp. IX. 120. et Nem. X. 35. scribendum ἀναγήσασθ'. Isthm. VIII. 124. lege αἰοῖσαι γ' ἔλιπον.

8 Longa syllaba in thesi, ut iam ad Orphica observatum, non facit hiatum, nisi in fine ordinis. Vide Pyth. I. 56. VIII. 136. Isthm. I. 21. II. 64. Ita defendi posset οὐπω a Schmidio in Pyth. X. 42. illatum, nisi etiam vulgata recte se haberet. Defendi posset etiam Pyth. IV. 115. παισὶ τούτου e cod. Bodl. receptum: sed longe exquisitius est vulgatum, παισὶ τούτοις. Sed quod IX. 84. legitur, φθονεροὶ δ' ἀμύνοντ' ἅτα εἴ τις ἄκρον ἐλών, nullo pacto ferri potest. Locum pessime corruptum sic emendandum puto: φθονεροὶ δ' ἀμύνονται. εἰ γὰρ τις etc. i. e. invidi praelereunt mediocrem sortem. Vide Pyth. I. 86.

Frequentissimus omnium ille hiatus est, quo longa syllaba ante vocalem corripitur: qui quidem hiatus ab his numeris, qui ad trochaicum genus pertinent, prorsus exclusus est. Quare *λυγρῶ ἐν νείκει* Nem. VIII. 42. sic, ut apud scholiasten est, *ἐν λυγρῶ νείκει* scribi debet. Etiam in dactylicis numeris hic hiatus peccat Nem. VI. 6. ubi *αἰὲν* scribendum.

Progredior ad productiones correptionesque brevium vocalium ante mutam cum liquida. Et quum vetustiores epici, ut ad Orpheum docui, productionem praeferant, Pindarus non rarius hos sequitur, quam corripiendo vincit etiam Atticos. Sic frequentes apud eum correptiones sunt ante *γλ*, quas rarissime admiserunt Attici; ante *φν* ut in *ἀφνεός*, in *ἔπεφνε* Ol. II. 74. et alibi; ante *πτ* in *Νεοπτόλεμος* Nem. VII. 52. Sed nusquam ante *ζ*, quamquam ante *σκ* Nem. VI. 46. VII. 89. quorum tamen locorum in priore cum Heynio *σκοποῦ ἄντα τυχεῖν* scribendum videtur: quo magis alterum suspectum habeo. Monstra sunt *πλαγχθέντες* prima brevi Nem. VII. 55. ubi videant grammatici, ne *πλανέντες* legendum sit; et *ἔσλος* ter primam corripere creditum, Ol. II. 35. Pyth. III. 116. Nem. V. 155. Equidem, venia enim erit modesta audenti, antiquam vocabuli formam cum Ev. Scheidio *ἔθλος* fuisse puto, servatam, ut tot alias, in Germanico *edel*. Ex qua forma quum medium *s* eüceretur, factum est *ἔθλος*, iure suo primam corripiens: quod quum Dorienses *ἔσλος* pronuntiarent, hoc pro *ἔθλος* Pindaro obtruserunt grammatici. Caeteri Graeci, invitante ipsa littera *θ*, *ἔσθλος* dixere. Alia similia non rara sunt, e quibus *δίδυμνος* vindicavi Pindaro in epist. ad Heynium p. 398. Sed propius 9 accedunt *βαθμός*, *βασμός*, *ἴθμα*, *ἴσμα*, *δυθμή*, *δυσμῆ*, male *δυσθμη* scriptum in schol. Ven. ad Iliad. XI. 62. *Ἰσθμός* pro *ἰθμός* dictum tradunt grammatici. Apud Hesychium est *ἰθμαίνων*, *ἰσθμαίνων*, *ἰσμαίνει*.

Pergo ad alia. Quum numeri e genere dactylico spondeum in quibusdam locis adspersentur, mirum est tamen, eam legem saepius a Pindaro violari. Excusationem ab sede versus praesertim in nomine proprio habet

Ol. X. 119. Nullam excusationem admittit Ol. V. 42. *τιμῶν τ' Ἀλφειὸν εὐρὺ ρέοντ' Ἰδαῖόν τε σεμνὸν ἄντρον*, ubi vulgo *ρέοντα Ἰδαῖον*, peius etiam. Hunc locum aliis emendandum relinquo: illud apertum est, nusquam a Pindaro invocatum Idaeum Iovem hic etiam inepte invocari. Pyth. IV. 406. scribendum *ὀρόγνιαν*, de qua forma videndus censor Porsoni in *Monthly Review* 1799. mens. April. p. 430. s. Nem. XI. 45. recte Schmidius *χαλκεντέα*, ubi codex Aug. *χαλκίων τε*. Isthm. VIII. 67. scribendum videtur, *ἐπεὶ θεσφάτων ὄπ' ἄκουσαν*. Pleraque huius generis vitia in uno vocabulo *χρύσεος* reperiuntur, si id, ut saepius monenti Clarkio creditur, prima semper longa est. At equidem persuasum mihi habeo, ancipitem eam syllabam in lyrica dialecto esse. Brevem facit Pindarus Pyth. III. 129. IV. 6. 257. 411. IX. 98. X. 61. Nem. V. 14. Isthm. VII. 69. Ipsique hoc tragici in melicis versibus aliquoties fecerunt: Sophocles in *Antig.* 103. Euripides in *Med.* 639. 683. in *Iphig.* Aul. 1057. in *Bacchis* 97. in *Heracl.* 919. in *Herc. fur.* 350. Ambigui loci sunt Sophoclis in *Oed. R.* 158. 188. Euripidis in *Herc. fur.* 395. Expendi merentur apud eundem in *Bacchis*, 372. in *Elect.* 192. Obtinet haec mensurae ambiguitas in solo adiectivo *χρύσεος*. Pindarus tamen etiam nomen *χρυσός* semel prima brevi posuit Nem. VII. 115. Aliae apud hunc sunt longarum vocalium correptiones, partim ab epicis quoque aliisque poetis admissae, ut primae in *νιέων* Nem. VI. 37. Isthm. VIII. 52. tertiae in *ιέρεια*, neglecta lexicis forma, Pyth. IV. 9. quod *ιερέα* scribendum, *ιερή* dictum Callimacho epigr. 42, 1. partim excusationem idoneam habent, ut secundae in *ἦρωας* Pyth. I. 103. III. 13. IV. 102. et *ἠρωαῖς* Nem. VII. 68. ultimae in *ισχὺν* Nem. 10 XI. 41. partim insolentiores sunt, ut primae in *πιαίνων* Pyth. IV. 267. in *αἰόλει* ibidem v. 414. in *ιοχέαιρα* II. 16. in *μητίονται* 170. secundae in *τετραόροισιν* Nem. VII. 137. ultimae in *Κύννεια* Ol. X. 119. quamquam huic quidem exemplo similia alibi quoque inveniuntur, ut *Ἐπτόρεια χεῖρ* in *Rheso* v. 764. quod iste Atticorum imitator

ex diversae formae exemplis, ut βασιλεια χείρ, Πολυ-
 δεύκεια χείρ, apud Etym. M. p. 451, 50. 461, 44. hau-
 sit. Magis singularia sunt πὰν Ol. II. 153. οἰκοριᾶν Pyth.
 IX. 35. ἀέ v. 154. Nam Σερῖφω media correpta Pyth.
 XII. 21. nondum credo sanum esse. Θεὸς autem pro una
 brevi syllaba positum Pyth. I. 109. nescio an defendi pos-
 sit versu Praxillae, ἀλλὰ τεὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσ-
 σιν ἔπειθον, apud Hephaest. p. 9. Eustath. p. 12, 23.
 805, 21. 1372, 8. Πέλλανα Ol. XIII. 155. ultima bre-
 vi, quae producitur VII. 156. Aeolicae dialecti est. Simile
 Νέμεα Ol. XIII. 47. potest etiam pluralis esse. Primae
 correptio in Θειαῖος Nem. 45. 69. arguere videtur, nomen
 illud caruisse diphthongo. Δάπεδον sequitur auctoritatem
 epicam: quare Nem. VII. 121. ubi longa est prima, for-
 tasse γάπεδον scribendum: v. Pors. ad Eurip. Or. 324.
 Ἄνηρ et ὕδωρ epicorum exemplo variant: καλὸς, ut apud
 Atticos, prima semper brevi posuit: sic etiam ἴσος et
 φθίνειν.

Non mihi in contractionibus licentia. Epicorum usu
 firmantur hae: ἀργυρέω Ol. IX. 48. πορφυρέους Nem. XI.
 36. κουλεῶ, sic enim scribendum, X. 11. Ἡρακλέος
 Pyth. X. 4. Πηλέος Isthm. VI. 36. Πολυδεύκεος V. 42.
 γονέων Pyth. V. 27. Πυθία Isthm. VI. 85. Νεμέα Nem.
 IV. 122. διαπρηπία Isthm. V. 42. Ἄλκωνῆ VI. 48.
 Ὀδυσσῆ Nem. VIII. 44. πάτρω Pyth. VI. 46. ἐπηετανὸν
 Nem. VI. 19. πνέον Pyth. IV. 401. ἦ ὄτ' Isthm. VII.
 11. 12. Non multum recedunt hae: Ὀποῦντος Ol. IX.
 87. Νικοκλέους Isthm. VIII. 134. Ἀριστοφάνους Nem.
 III. 35. ubi cod. Aug. male Ἀριστοφάνους; γενύων Pyth.
 IV. 401. Magis Dorica videntur hae: ξυνάνα Nem. V.
 50. τετράορον Pyth. X. 103. τετραοριᾶν Isthm. III. 28.
 τιμάορος Ol. IX. 124. χρυσάορα Pyth. V. 139. Λαομε-
 δοντίαν Isthm. VI. 28. Λᾶον Ol. II. 70. τεαῖσιν Isthm.
 VII. 71. νεαρά Pyth. X. 39. Nem VIII. 34. κτέατα VII.
 59. πολυκτέανον Ol. X. 44. Κτέατον v. 33. Δι Pyth.
 VIII. 142. Nem. I. 111. IV. 15. X. 105. Isthm. VIII.
 75. Quaedam ex hoc genere corrupta sunt. Ol. VII. 122. 11
 scribendum videtur φανόν. Pyth. XI. 67. recte Pauwius

Πυθονίῳ, ut *Πυθοχρήστας*, *Πυθόκραντος*. Nihil enim sani est in his, quae Brunckius ad Aesch. Pers. 35. attulit. Tale esset *λόγιοι* Nem. VI. 51. sed veram lectionem, *λόγοι*, servavit cod. Aug. Nec *μάτρως* Isthm. VI. 91. contrahi potuisse puto, sed aut *μάτρως* legendum, aut, sublata interpunctione, *ἀνάγαγον*.

Diphthongi *αι* abiectioem, acceptam ab epicis, latius extendit Pindarus. Invenitur haec in prima persona praesentis passivi Pyth. XI. 80. et futuri Ol. XIII. 72. et in tertia sing. Isthm. VI. 18. et in coniunctivo Ol. VIII. 15. in tertia pluralis Ol. III. 18. XII. 9. XIII. 59. Pyth. IV. 259. IX. 73. Nem. I. 48. IV. 125. V. 39. XI. 49. Isthm. IV. 20. et in perfecto Isthm. VI. 32. et in infinitivis passivi Ol. X. 47. Pyth. I. 86. III. 33. 205. Nem. VII. 31. VIII. 17. X. 35. et, secundum supra propositam emendationem, Isthm. VI. 83.

In crasi propius ad Atticos accedit Pindarus, v. c. *κἀκείνον* Ol. III. 55. *κἀσόφοις* 81. *χῶπόταν*, *χῶταν* Pyth. II. 159. s. *χῶπόσαι* IX. 83. *χῶτι*, *χῶπόθεν* 86. Doricae crases sunt *τῶντ'* Ol. I. 71. *τῶργείου* Isthm. II. 15. Sed quod Isthm. IV. 42. Aldina habet, *κῆν*, vulgo *κείν* et VI. 87. *κ' ἐν* scriptum, id vereor ne abhorreat a Pindari dialecto. Solutio Ionica *παρθενηῖοισι*, nostra emendatione Nem. VIII. 3. restituta, firmatur quodammodo a cod. Aug. in quo est *παρθενηῖσι*. Ad epicam legem factum est *ἄϊσος* Isthm. VII. 60.

Venio nunc ad Dorismum Pindari, qui aliquanto angustioribus circumscriptus est limitibus, quam plerosque existimasse video. Non Pindarus usquam primam personam pluralis numeri in *μες* terminavit; non *ἦνθεν* dixit, aut quae similia apud alios reperiuntur: nam scholiastes ad Ol. VI. 37. nugae profert; non *σδ* pro *ζ*: nam *καχλάσδον* in fragm. p. 71. Reiskii inventum est, meliora monstrante Pindaro Ol. IX. 3. IV. 318. non *Μῶσα*, Alcmani usurpatum et certa lege Theocrito; non genitivum secundae declinationis in *ω* terminatum: nam Pyth. IV. 202. Nem. VI. 36. VII. 8. 41. Isthm. IV. 122. quin etiam Ol. VII. 35. et Nem. XI. 4. ubi *πέλας* additum, dativi restituendi

sunt. Nec mirum, si Pindarus huic casui iunxit πέλας: in quam quidem rem nolim Sophoclis loco uti in Ai. 774. Πέ-12 λας, ἐγγύς, et similia, genitivo iuncta significant *prope ab aliquo loco*: dativo, *prope ad aliquem locum*. Ol. IX. 83. recte legitur φερτάτων. Nem. III. 16. οὐρανῶ πολυνεφέλα scholiorum indicio grammaticis debetur, ut fere in caeteris locis. Pindarus dederat οὐρανῶ πολυνεφέλα κρέοντι, ut οἰκεῖν οὐρανῶ dixit X. 109. Iam nemo, opinor, dubitabit, quin Nem VI. 62. scribendum sit χρυσалаκάτου. Librarii, nimis interdum Dorismo prospicientes, aliquando etiam monstra reposuerunt, ut θάσσομαι Isthm. I, 3. ubi v. Heynium, et Ἀσκλάπιον ἄρωα Pyth. III. 12. ubi etiam Ἀσκλάπιον in dubitationem venit ob Nem. III. 94. Nec Δωριῆς Pyth. I. 125. scriptum a Pindaro puto, sensu etiam Δωρίοις requirente. Valde suspectum est ποττὰν in fragm. p. 19. Nec νικῆ Nem. V. 9. licet agnitum scholiastae, probaverim, cui tuendo frustra afferas δειψῆ III. 10. Interdum vero Atticas formas librarii vel Ionicas pro Doricis dederunt, ut, λεῶν Ol. IX. 100. λεῶ Pyth. VIII. 76. Μοῦσα in fragm. p. 90. 152. Ἀθηναίων Pyth. I. 148. fragm. p. 26. 101. Nolim tamen sollicitari Μουσαγέτας p. 115. etsi Μοισαῖος Pindarus dixit Nem. VIII. 80. Isthm. VI. 2. VIII. 134. Non enim constans ubique usus est, nec si κεί μδεννός, κλεεννός, φαεννός, aut ὄδυναρός, aut ἔφανας, ἀπεφάνατο, ἀπανάνατο dixit Pindarus, mirabere ποθεινός, σκοτεινός, τυχηρός, ὑγιηρός, παπτήνας dicentem. Sunt tamen, quae numquam Doricis formis careant. Quare librariis imputanda ἰερῆσιν αἰοιδῆς fragm. p. 123. ἐφημερίων p. 124. ἐφήμερος p. 149. ἡμένη p. 119. quod scribendum ἡμένα. Nam Ol. X. 41. male est ἄμενον, quod e vestigiis ed. Rom. ἀμμένον scribendum, cui verbo dativus iunctus etiam Isthm. IV. 20. Deinde ὑπηντίασεν Pyth. IV. 241. et ἦκουσαν Isthm. VIII. 67. εἰργασάμην II. 67. ναιουσι VI. 97. περιπνέουσι Ol. II. 136. αἰίδουσι fragm. p. 36. κικλήσκουσι p. 43. στυγέουσι, ἀναδέρουσι p. 126. καίουσαι p. 36. λαχοῦσαι p. 147. τυχοῦσα Isthm. VIII. 79. Nam τυχοῖσα dicit Pindarus, et aut ναιόνται, cuius for-

mae exempla inveniuntur Ol. I. 47. II. 135. III. 12. VI. 36. 163. 170. VII. 18. 100. IX. 31. 75. X. 115. XIII. 12. XIV. 12. 17. Pyth. I. 43. 100. 121. II. 27. 40. 56. 161. IV. 55. 157. 511. V. 16. 60. 97. 108. 135. 144. VI. 21. VII. 11. VIII. 124. X. 109. Nem. III. 6. V. 72. 13 VII. 14. 19. 123. IX. 65. X. 99. XI. 53. Isthm. V. 15. VI. 94. VIII. 102. fragm. p. 19. 129. aut *ναίοισι*, ut Pyth. III. 31. IV. 32. IX. 110. X. 67. XII. 46. Nem. VI. 102. IX. 98. XI. 6. Isthm. II. 41. Hinc Isthm. VIII. 87. *φασί*, alio quoque nomine vitiosum, ita corrigendum, *φάτις Ἰωλκοῦ*. In singulari numero, si recte memini, semel τ pro σ positum in *ἐφίητι* Isthm. II. 15. Tangam hic verbum *εἶναι*, cuius prima persona singularis numeri apud Pindarum est *εἶμι*, secunda *ἔσσι*, tertia *ἔστι*; prima pluralis *εἰμέν*, Pyth. III. 108. tertia *ἐντι*, Ol. III. 151. IX. 158. Pyth. IV. 247. V. 132. Nem. I. 34. VI. 76. IX. 75. Isthm. II. 44. et duobus locis, quorum tamen prior tantum certus est, *εἰσίν*, Pyth. V. 155. fragm. p. 31. *Ἄραρ* Pindaricum praebet cod. Aug. Nem. V. 81. Nec ferendum *οὖν* Pyth. IX. 179. quod *ὄν* est Ol. I. 138. 179. III. 67. VI. 33. 87. Pyth. III. 83. 147. IV. 138. 529. Nem. VI. 18. XI. 50. Isthm. II. 19. IV. 11. fragm. p. 134. *Φρασί* quoque vereor ne ubique dixerit, quemadmodum Pyth. II. 49. III. 192. IV. 194. Nem. III. 108. Isthm. III. 4. ut corrigi debeant Ol. VII. 44. Pyth. III. 107. IV. 389. Similia sunt *σκιαρός* Ol. III. 25. 31. et inversa ratione *γελανῆς* Ol. V. 5. Pyth. IV. 322. *Ἀρτάμιδος* vero Nem. I. 3. non habet idoneam auctoritatem. Constanter dicit *σκᾶπτον*, *ὄρηχα*, et, nisi fallor, *δίδοι*, quod quum codd. habeant Ol. I. 136. VI. 178. VII. 164. restituendum videtur etiam Nem. V. 93. Vti *Ψαύμιος* Ol. IV. 18. *Πάριος* Pyth. VI. 33. *Θέτιος* Isthm. VIII. 104. ita *Ἀσίνιος* cod. Aug. Nem. VIII. 26. In aliis vocabulis dialecti diversitas coniuncta est cum discrimine significationis. Ita *τότε nunc*, *τόκα interdum* dicit: v. Ol. VI. 112. Nem. VI. 18. 20. Quare in suspicionem venirent haec Pyth. II. 163. *ὃς ἀνέχει τότε μὲν τὰ κείνων, τότε αὐτῷ ἑτέροις ἔδωκεν μέγα κῦδος*. nisi cod. Aug. praerberet *ποτὲ μὲν*,

quo recepto recte servari *τότ' αὐτε* periti intelligent. *Πό-
κα* nusquam dixit. Similis differentia est in pronomi-
τιν, σοί, et τοί, quorum *τιν* personae distinguendae in-
servit: v. Ol. VI. 18. XII. 4. Pyth. I. 134. III. 150. IV.
489. VI. 49. Nem. III. 145. VII. 9. 85. 132. 140. Isthm.
V. 21. et quidem correpta vocali, quae apud Theocritum
longa est: v. Pyth. I. 56. Nem. X. 55. unde Isthm. VI.
5. scribendum *τιν γ'*: encliticum autem nunc epicorum¹⁴
more *τοί* est, Pyth. IV. 252. 263. 294. fragm. p. 134.
nunc *σοί*, Pyth. IV. 481. IX. 96. quod tamen personam
distinguit in fragm. p. 110. *Τεῖν* et *ἐμιν* nusquam inve-
niuntur: quibus usum eum esse ex Aristophane non tuto
colligitur: v. fragm. p. 13. Primae personae apud Pin-
darum est *ἐμοί*, Ol. I. 82. 134. fragm. p. 103. accusati-
vus pluralis *νώ* e cod. Bodl. reponendus Pyth. IV. 261.
secundae nominativus *τύ*, Ol. I. 135. Pyth. II. 104. VIII.
7. 10. 88. Nem. V. 75. Isthm. VII. 43. sed *σὺ* Ol. X.
5. Pyth. V. 7. genitivus *σεῦ* et *σέθεν*, accusativus *σέ* et
semel *τιν*, correptum, ut in dativo, Pyth. VIII. 97.
Vexatissimi loci haec constructio est, *εὐχομαι, ἐκόντι
νόῳ σέ καταβλέπειν ἀρμονίαν*: *cantum tu mihi, precor,
inspires*. Raram hanc accusativi formam habent Theo-
critus XI. 39. 55. 68. et Corinna in excerptis gramm.
Apollon. p. 555. (427. A.) Tertiae personae dativum *ιν*,
correptum, et digammo carentem, bis habet ex nostra
emendatione Pyth. IV. 63. Nem. I. 99. Vsus hac forma
est etiam Hesiodus ibidem apud Apollon. p. 556. (427.
B.) de quo loco v. Ruhnck. ep. crit. p. 115. Accusati-
vum *εἶ* iam supra commemoravi: sed plerumque *μιν* et *νιν*
usurpantur: quorum quum *μιν* Ionicum, *νιν* Doricum sit,
ex quodam Pindari carmine allatum ab Apollonio in ex-
cerptis gramm. p. 557. (428. A.) videri poterit *νιν* ubi-
que restituendum esse. Et fluctuat lectio Ol. IX. 116.
Pyth. IV. 71. 193. Non tamen temere quidquam auden-
dum. Libri *μιν* praebent Ol. II. 48. 102. III. 50. 81.
ubi male plerique *μήν*; VI. 94. 107. 163. VII. 10. 108.
111. 122. 128. 153. IX. 48. 90. 96. XI. 17. XIII. 98.
113. Pyth. I. 98. 188. IV. 140. 426. IX. 218. Nem. III.

19. 66. V. 57. 70. VII. 124. IX. 119. X. 63. 139. XI. 22; ubi sic Heynius pro μέν; Isthm. I. 90. II. 27. VIII. 113. 136. νιν autem Ol. I. 110. III. 46. 58. VI. 21. VII. 70. VIII. 44. Pyth. I. 61. II. 52. 104. III. 64. IV. 77. 414. 430. 510. V. 7. 166. VI. 19. IX. 11. 45. 58. 92. 126. 130. 138. 154. XI. 35. XII. 39. 52. Nem. II. 10. IV. 5. 34. 126. V. 48. 95. VI. 71. VII. 61. VIII. 14. X. 128. Isthm. I. 52. 60. II. 38. IV. 123. VI. 77. 106. VIII. 148. Offert haec locorum enumeratio rem satis miram, dignamque de qua amplius quaeratur: nam in quibusdam carminibus codices fere ubique hanc, in aliis alteram formam exhibent, ut in Ol. VII. et Pyth. IX. Eadem inconstantia etiam in his est: Ποσειδάων et Ποσειδᾶν, unde genitivus Pyth. IV. 246. in uno codice Ποτειδᾶνος scriptus cum Heynio improbandus videtur. Similia sunt apud Pindarum Ἀλκμῶν et Ἀμυθᾶν. Nolim tamen Ἀμφιάραον tueri Isthm. VII. 47. qui Ἀμφιάρηος vocatur Ol. VI. 20. Pyth. VIII. 78. Nem. IX. 30. ubi v. 57. insolens dativi forma est Ἀμφιάρη, cum qua non potest comparari Παμφάη Nem. X. 92. ubi restituendus accusativus. Non magis κρατήρα Isthm. VI. 2. praefendum Ionicae formae, quae exstat Ol. VI. 155. Nem. IX. 118. Sed ἀσυχῆ Nem. VII. 120. corrigendum e Pyth. XI. 84. Aliquid etiam inconstantiae est in futuris, aoristis, et perfectis verborum contractorum, et nominibus inde derivatis: in quibus verbis universe ex εω est η, ex αω autem α, in quo genere ut singulare notandum κοινᾶσαι et παρακοινᾶσαι Pyth. IV. 204. 236. Iure suo excipiuntur κτάσμαι et χράω, unde κτησάσθαι est Ol. IX. 70. κτησάμεναι Nem. IX. 124. et χρῆσαι, χρῆσις, χρησιμὸς saepius. Tum καύχημα Isthm. V. 65. Correctione autem indigent ἀντήσας Ol. X. 49. et ἀναστήση Pyth. IV. 276. ubi de tribus lectionibus, ἀναστήση, ἀναστήσης, ἀνασταίη, fortasse nulla vera est, sed ἀναστήη. Ex altera classe regulam deserunt δοναθειῶσα Pyth. VI. 36. ἐδινάδην XI. 53. unde ὠνυδίνατος Isthm. V. 7. Tum ἀφθόνατος Ol. XIII. 35. ἀταρβάτοιο Pyth. IV. 149. ἐϋδματον XII. 6. Mire variant haec: ἐνόστης Nem. XI. 33. et ἀπονοστάσατος

VI. 84. ubi Heynius non suspectum habens ὑμᾶσαι Isthm. III. 12. edidit tamen deinde ὑμῆσαι, recte fortassis, ut alibi semper est apud Pindarum. Porro φωνᾶσαι et φωνᾶεν, quum Pyth. IV. 422. ἀφωνήτω reperiatur. Magis etiam variat φιλεῖν, unde minime dubia sunt περιήλασε Pyth. I. 25. et περιηλημένον Nem. IV. 74. sed suspecta φίλησε Nem. V. 82. et φιλήσαντα VII. 129. quum ἐφίλασε legatur Pyth. II. 30. IX. 34. Pro significatione mutat dialectum πονεῖν, quod de molestia dicitur πονῆσαι Nem. VII. 53. Isthm. I. 56. de efficiendo πονᾶσαι Ol. VI. 17. Pyth. IX. 166. Ex his intelligi potest, cautum esse in hoc genere debere criticum, nec monstra procedere, velut nuper quidam νόαμα. Non magis Atheniensem Timodemum Nem. II. Doriensem facere licebit. Maxime differunt codd. in formis participiorum αῖς, αῖσα, 16 et ας, ασα. Quarum Doricas quidam editores pene ubique praetulerunt, recte forsitan, modo ne metri caussa: nusquam enim Aeolensium more ας illud corripuit Pindarus, qui error ne Maittairio quidem p. 319. (241. D.) ignoscendus. Variant in his formis libri, codices dico, quorum lectiones aut editae aut a me adnotatae sunt, et editionem Romanam, nondum ubique satis excussam, Ol. I. 127. ubi ὀλέσαις soli debetur Gregorio Cor. III. 28. Pyth. I. 12. 158. 177. III. 102. 136. IV. 60. 65. 337. 405. VIII. 13. IX. 209. X. 52. Nem. I. 45. 68. 74. III. 107. V. 92. XI. 36. Isthm. I. 56. Consensu, quod sciam, libri a criticorum mutationibus puri formas communes exhibent Ol. I. 98. II. 108. III. 5. V. 17. VI. 10. 34. 61. 97. VII. 8. 52. 61. 96. 106. IX. 87. 91. 111. 139. X. 23. 36. 49. 51. 54. 58. 87. 109. Pyth. III. 23. 39. 190. IV. 109. 169. 179. 383. 393. 409. 413. 417. 479. 502. 522. V. 67. VI. 30. VIII. 37. 74. IX. 66. 93. 129. 147. X. 37. XII. 28. Nem. V. 29. VI. 87. VII. 104. Isthm. VI. 60. nam VIII. 61. ἔρισαν legendum videtur. Doricae formae inveniuntur Ol. II. 165. IX. 23. 142. X. 111. Pyth. I. 86. 154. III. 63. 89. IV. 178. 184. 240. XII. 14. Nem. IV. 104. V. 51. VII. 99. 145. IX. 45. 58. ubi cod. Aug. σχίσαις, quod si σχίσσαις scribatur, et deinde χρύ-

ψεν θ', habebit quo defendi possit; X. 44. 152. Isthm. II. 21. 51. 59. III. 1. IV. 43. 57. 65. 98. VI. 21. 75. In hoc quoque indice illud notabile est, quod in Nemeis, maximeque in Isthmiis, pene ubique Dorica forma comparet. In infinitivis quoque quum tantum non ubique communi forma utatur, aliquando tamen Doricam εν, nusquam ἦν habet. Quamquam non ausim contendere illud εν non deberi grammaticis. Nam bis tantum certa lectio est, γαρύεν Ol. I. 5. et τράφεν Aeolicum pro τραφεῖν Pyth. IV. 205. quorum locorum prior a carmine isto habet aliquam excusationem, ut infra apparebit, alter fortasse a verbo. Sed πορεύεν Ol. III. 45. ἀκούεν VI. 112. σχέν Nem. I. 106. τύχεν VI. 46. criticorum inventa sunt, repugnantibus antiquis libris. Ἀγαγέν Pyth. IV. 98. iam in commentatione de metris Pindari correctum. Στέλλεν Ol. VII. 61. lectionis varietatem et scholia consideranti non erit dubium quin genuino εὐθύν cedere de-
17beat. Μελιζέμεν Nem. XI. 23. si μελίξεν scriberetur, metro satis fieret, non sensui. Fortasse poeta scripsit μέλειν ἐν αὐδαῖς.

Addam his denique singulares quasdam formas et verba Pindaro propria. Ἀπίδας ex nostra emendatione Pyth. I. 161. ὑποφάτιες Pyth. II. 140. ψεῦδις Nem. II. 72. ψέγιον VII. 102. τόσσαι et ἐπιτόσσαι Pyth. III. 48. IV. 43. X. 52. πεπαρεῖν II. 105. παλαιμονεῖν 112. σωπάσαι Isthm. I. 88. et διασωπάσαι Ol. XIII. 130. κεχλάδως IX. 3. κεχλάδοντας Pyth. IV. 319. ἀκᾶ Pyth. IV. 277. ἀμᾶ Ol. III. 38. ὄττε Nem. VI. 47. VII. 90. 137. Isthm. IV. 31. ᾶς Ol. X. 61. ἔργμα cum aspero spiritu semper scriptum, et praegressam tenuem litteram in adspiratam mutans Nem. I. 9. Isthm. I. 65. *) Nec praetereundum κάπετον Ol. III. 50. correpta prima, pro κάπτειον.

*) Perperam scribi puto ἔργμα, restituendamque tenuem in duobus istis locis. Invenitur hoc nomen tantum in Nemeis et Isthmiis, in quibus paucos codices habemus. Perpetuo variant ἔρδω et ἔρδω, ἔργμα et ἔρμα. Quin ἔργμα et ἄρμα Isthm. I. 65. et fr. inc. 82.

Alibi in verbo *πεσεῖν τ* pro *σ* ponit, ubi duo *σ* sibi vicina futura essent. Hinc est participium *πετοῖσα* Ol. VII. 126. Nem. IV. 66. *ἔμπετες* Pyth. VIII. 117. Servatur *σ*, ubi non accedit alterum *σ*. Sed *πετόντεσσιν* Pyth. V. 64. ad Aeolismum, de quo mox, retulerim. Pro *πιπνῶντα* Isthm. II. 39. scribendum *πιπνόντα*. Illud *κάπετον* et Alcmanis *καβαίνων* apud Hephaest. p. 44. ne quem moveat, ut *καβὰς* scribendum putet Nem. VI. 87. in quo carmine pene omnium stropharum finis corruptus est, moneo ibi sic legendum videri: *βαρὺ δέ σφι νεῖνον ἔμπας, Καββαῖς Ἀχιλεὺς χαμαὶ ὦν ἀφ' ἀρμάτων Φαεινῶς υἱὸν εὐτ' ἐνάριξεν Ἄδος ἀκμᾶ Ἐγχεος ζακότοιο.* Ἐμπας, ab sensu commendatum, ob metrum necessarium est, quum in vulgato *ἔμπεσ'*, etiamsi vocalis sequatur, non possit brevem syllabam apostrophus ante anacrusin excipere. Ἀχιλεὺς uno *λ* cod. Aug. Ὡν addidi, quod alibi quoque Homerum sequitur Pindarus. Correctionem diphthongi ante hoc pronomen tuetur Ol. V. 17. Ἄδος Schmidio debetur: metrum certe hanc formam requirit: alibi poeta Ἀοῦς, Ἀροῦς, Κλεοῦς, sed Pyth. IV. 182. ed. Rom. Χαρικλοῖς. Ἀκμᾶ denique, iam ab aliis inventum, et saepius similiter a Pindaro usurpatur, nec semel cum *αἰκμᾶ* permutatum invenitur. Sed ne cui in reliquis strophis metrum difficultates obiiciat, de his quoque dicendum puto. Ac v. 12. scribendum videtur *οἶαν τίν'*: v. 25. *νῦν πέφανται οὐκ ἄμμορος*, ubi *ἄμμορος* cod. Aug. praebuit: v. 49. *εὐκλήα*, forma ab Homero accepta, apud quem est 18 *ἀκληεῖς* Iliad. XII. 318. denique v. 99. *ἄγγελος ἔβαν* (seu potius *βᾶν*) *πεμπτόν γ' ἐπὶ εἴκοσι.* Ἐπὶ sine elisione esse in cod. Aug. iam supra indicavi.

Dicendum est denique etiam de Aeolismo Pindari, qui, si recte diiudico, duplex est, alius communis omnium eius carminum, alius quorundam proprius. Habet hic locus magnam difficultatem, nec nunc quidem nisi primis lineis describi potest. Motam semel quaestionem erit fortasse aliquando qui plenius tractet. Harmonias Pindarus, quibus usus sit, commemorat tres, Doricam, Aeolicam, Lydiam. Dorica et Aeolica quales fuerint, docebit in-

star omnium Heraclides Ponticus apud Athenaeum XIV. p. 624. D. his verbis: ἡ μὲν οὖν Δωριος ἀρμονία τὸ ἀνδρῶδες ἐμφαίνει, καὶ τὸ μεγαλοπρεπές καὶ οὐ διακεχυμένον, οὐδ' ἰλαρόν, ἀλλὰ σκυθρωπὸν καὶ σφοδρόν, οὔτε δὲ ποικίλον, οὔτε πολύτροπον. τὸ δὲ τῶν Αἰολέων ἦθος ἔχει τὸ γαῦρον καὶ ὀγκῶδες, ἔτι δὲ ὑπόχαννον· ὁμολογεῖ δὲ ταῦτα ταῖς ἵπποτροφίαις αὐτῶν καὶ ξενοδοχίαις· οὐ πανοῦργον δὲ, ἀλλὰ ἐξηρμένον καὶ τεθαρρῆκός. διὸ καὶ οἰκείον ἐστὶν αὐτοῖς ἡ φιλοποσία καὶ τὰ ἐρωτικά, καὶ πᾶσα ἡ περὶ τὴν διαίταν ἄνεσις. Lydiam Plutarchus de musica p. 1136. B. a Platone in lib. III. de rep. repudiata esse scribit, ἐπειδὴ ὄξεια καὶ ἐπιτήδειος πρὸς θρηνον. Plato isto loco p. 389. E. θρηνώδεις esse dicit harmonias, quae μιξολυδιστί et συντονολυδιστί vocabantur: mox autem μαλακὰς et συμποτικὰς appellat τὴν Ἰαστί καὶ Λυδιστί, αἰτίνες χαλαραὶ καλοῦνται. Plura in hanc rem quum ex aliis scriptoribus, tum ex illo Plutarchi libro de musica colligi possent. Ex eodem libro, maxime p. 1143. cognoscimus, id quod etiam sponte poterat intelligi, aliis harmoniis alios numeros aptari solitos fuisse. Ad quem finem philosophiam commendat Plutarchus p. 1142. D. αὕτη γάρ, inquit, ἰκανὴ κρίναι τὸ μουσικῆ πρέπον μέτρον καὶ τὸ χρήσιμον. Haec quoque res multis posset veterum scriptorum locis confirmari: de pleniore tamen eius cognitione, nisi plura veterum musicorum scripta in lucem protrahantur, desperamus. Quare, quid coniectura effici possit, experiendum est. Quod si in numeris Pindari eadem diversitas invenietur, quae est inter illas tres harmonias, ex numeris conici poterit, quae cuiusque carminis fuerit harmonia. Inde 19vero, quae maxime sibi dissimiles sunt harmoniae, Dorica et Aeolica, etiam cum dialecti quadam diversitate coniunctas fuisse non immerito suspicabimur. Ac maior Pindari carminum pars numeros habet e dactylis et trochaeis cum spondeo alternantibus mixtos: quod genus ob insignem gravitatem eximie convenit Doricae harmoniae. Idque ipse poeta indicat Ol. III. 9. Μοῖσα δ' οὕτω τοι παρέστα μοι νεοσίγαλον εὐρόντι τρόπον Δωριῶ φωνῶν ἑναρμόξει

πεδίλω ἀγλαόκωμον: ubi v. schol. Alia pars numeros habet brevium syllabarum frequentia concitatos, multoque motu inaequabiles: quod genus ab Horatio legibus solum dici videtur. Hos ad Aeolicam harmoniam aptatos fuisse, et similitudo eorum cum isto genere harmoniae ostendit, et ipse poeta significat Ol. I. 162. ἐμὲ δὲ στεφανῶσαι κείνον ἰππικῷ νόμῳ Αἰοληΐδι μολπᾷ χρῆ. Nem. III. 136. ubi se carmen mittere dicit Αἰολίσσιν ἐν προαΐσιν αὐλῶν. Ad utrumque locum falsa veris miscent scholiastae. Sed obiiciuntur nobis haec duo, unum, quod, quum poeta Ol. I. 26. dicat, ἀλλὰ Δωρίαν ἀπὸ φόρμιγγα σασσάλου λάμβανε, nihil discriminis inter Doricam atque Aeolicam harmoniam agnoscere videatur. At non dubitamus, quin Δωρίαν φόρμιγγα de Hypodoria harmonia intelligi voluerit *): ita vero Aeolica harmonia vocabatur, ut Heraclides Ponticus apud Athenaeum docet XIV. p. 624. E. F. et 625. A. Eandem harmoniam poeta tangit his verbis in schol. ad Pyth. II. 127. Αἰολεὺς ἔβαινε Δωρίαν κέλευθον ὕμνων. Alterum, quod obiicietur, haec verba sunt, Pyth. II. 125. τόδε μὲν κατὰ Φοίνισσαν ἐμπολὴν μέλος ὑπὲρ πολιᾶς ἀλὸς πέμπεται· τὸ Καστόρειον δ' ἐν Αἰολίδεσσι χορδαῖς θέλων ἄθρησον χάριν ἐπτακτύπου φόρμιγγος ἀντόμενος. Nam, si scholiastas audias, Pindarus hoc carmen, quod nobis Aeolicis numeris scriptum videtur, pretio emptum mitti dicit, distinguens illud ab Aeolico carmine, gratis misso, cuius initium fuerit, σύνες ὃ τι λέγω, ζαθέων ἱερῶν ὁμῶννμε, κτίστορ Αἴτνας. Fuerunt sane huius quoque carminis numeri, ut exordium docet, Aeolici: sed inepta tradere scholiastas iam Heynius et Gedickius senserunt: qui quidem nollem ad emendationem confugissent, quam nec res, nec metrum admittit. Inepta sunt in scholiastarum explicatione haec duo, unum, quod de mercenario carmine et gratis misso poetam loqui putant; alterum, quod hic eum 20 istud gratis missum carmen Hieroni commendare credunt,

*) Praestabit, opinor, Δωρίαν φόρμιγγα de poesi Doria, non de modis musicis intelligi.

quod in ipso illo carmine fieri debebat. Vtraque criminatione liberabitur Pindarus, si eum hoc dicere statuas: hoc carmen, i. e. ipsa carminis verba, Tyriae mercis modo, i. e. navi, tibi mittitur: ipsum vero chori ingressum, carmen hoc Aeolicis fidibus canentis, benigne excipias. *Καστόρειον* enim *μέλος*, obscurius memoratum Isthm. I. 21. canebatur apud Lacedaemonios, quum acie instructa hosti obviam irent: v. Plutarch. de mus. p. 1140. C. et alios, quos citavit Heynius ad Pyth. II. init. Est autem carmen Pyth. II. vel maxime in his, quorum numeri Aeolicae harmoniae conveniunt. Eosdem numeros eandemque harmoniam habuit Lasi hymnus in Cererem, ut ex eius initio apparet, servato apud Athenaeum XIV. p. 624. E. *Δάματρα μέλω Κόραν τε Κλυμένοιο ἄλοχον Μελίβοιαν, ὕμνων ἀνάγων Αἰολίδ' ἄμα βαρὺβρομον ἄρμονιαν*. Tertia denique a Pindaro memoratur Lydia harmonia Ol. V. 44. XIV. 24. Nem. IV. 73. VIII. 25. Quae carmina, numeris mirifice diversa, hoc tamen commune habent, quod nec tam concitatis numeris sunt, ut Aeolica, nec tam gravibus, ut Dorica. Ad Doricos numeros propius accedit Nem. VIII. ad Aeolicos Ol. XIV. maxime omnium proprie Lydios numeros dixerim, qui sunt in Nem. IV. Quantum ex tam tenuibus indiciis colligi potest, Doricam harmoniam in his carminibus fuisse conicio: Ol. III. VI. VIII. XI. XII. Pyth. I. III. IV. Nem. I. V. X. XI. Isthm. I. II. III. et IV. V. VI. Aeolicam in his; Ol. I. II. X. Pyth. II. V. VI. VII. VIII. XI. Nem. III. VI. VII. Lydiae vestigia reperire mihi videor in his: Ol. IV. V. VII. IX. XIII. XIV. Pyth. IX. X. XII. Nem. II. IV. VIII. IX. Isthm. VII. VIII.

Redeo nunc ad Aeolismum. Ac veri simile est, concitatiores Aeolicae harmoniae numeros maiorem sibi dialecti libertatem vindicasse. Lydii enim numeri, leviores Doricis, non aliam, quam hi, linguam habent. Aeolicis igitur numeris hae videntur propriae formae esse: *ποι* pro *πὸν* Pyth. V. 135. expellendum Ol. III. 7. ubi cod. Pal. recte *τοι*. In Doricis enim et Lydiis carminibus *πὸν* dicit, ut Pyth. IV. 154. X. 18. Isthm. II. 37. ne ab Aeolicis

quidem prorsus alienum, ut Ol. I. 44. Deinde *πέδα* Pyth. 21 V. 62. (in quo tamen carmine v. 126. *μέτα* sine libris non mutandum) VIII. 105. fragm. p. 115. apud Athen. p. 641. C. e Schneideri emendatione: *πεδέρχεται* Nem. VII. 109. Composita tamen etiam in Doricis *πέδα* admittunt *): *πεδάμειψαν* Ol. XII. 18. *πεδαυγάζων* Nem. X. 114. ubi cod. Aug. ed. Rom. aliique libri *πόδ' αὐγάζων*. Porro *ἐπάμεροι* Pyth. VIII. 135. quod in Doricis est *ἐφάμεροι* et *ἐφάμεριοι*. Tum *ἐν* pro *ἐς* Pyth. II. 21. V. 50. et in Aeolico fragm. p. 67. Nusquam hoc in Doricis invenitur, nisi forte librariorum errore, aut grammaticorum invento, ut Pyth. IV. 459. Ibidem v. 376. pro *ἐς Φᾶσιν δ' ἔπειτ' ἐνήλυθον* scribendum est, versuum quoque distinctione postulante, *ἐς Φᾶσιν δ' ἔπειτεν ἤλυθον*. Hoc *ἔπειτεν*, quod Aelius Dionysius apud Eustath. p. 1158, 39. Ionicum esse et apud Herodotum inveniri testatur, Phrynicho p. 48. Atticos respicienti, et inde Favorino in v. *εἶτε, ἐσχάτως βάρβαρον* vocatum, Pindaro etiam Nem. III. 94. pro *ἔπειτ' ἐν*, ut iam Pauvius suspicabatur, restituendum. Cod. Aug. ibi *ἐπὶ τὸν*. Aeolicis carminibus etiam *ὄνυμάξαι* tribuendum videtur, Pyth. II. 82. VII. 6. XI. 10. In caeteris enim communis forma invenitur, *ὄνυμασθεν* Ol. IX. 71. *ὄνυμασεν* Pyth. XII. 41. ubi nemo paullo doctior *ὄνυμασθεν* et *ὄνυμασεν* scribi volet. Nomen autem *ὄνυμα* et in Dorico et in Aeolico carmine locum habet: Ol. VI. 95. Nem. VI. 82. neque usquam *ὄνομα* apud Pindarum est. Etiam accusativus pluralis secundae declinationis in *ος* terminatus in solis Aeolicis carminibus videtur admissus esse: *νασος* Ol. II. 129. *ἑσλὸς* Nem. III. 50. ubi quidem cod. Aug.

*) Boeckhius p. 293. „quod Hermannus hoc excusat in „compositis, nihil est: quid enim hac quidem in re interest „inter *πέδα* simplex et cum verbo compositum?“ Non nihil, sed aliquid dictum esse fatebitur vir optimus, ubi reputaverit, vel a tragicis *πέδα* in compositis admissum inveniri. Omninoque non adeo ignotum credideram, compositorum alium esse quam simplicium usum.

ἔσλόν. Alibi si haec forma invenitur, expellenda est, non minus quam Dorica *ως*, qua nusquam usum esse Pindarum puto. Traxit enim aliquid labis hic illic Pindarus a grammaticis, neque a recentioribus, sed a veterrimis et clarissimis, quod vel haec, quae habemus, scholia ostendunt: multo clarius intelligeretur, si reperirentur, qualia ad Iliadem. Ol. I. 85. genuina scriptura est *κακαγόρος*. Nem. III. 42. *ὑπερόχος*, quod editum, vel *ὑπερόχους* duorum librorum, metro conveniret, si *ιδία* sanum esset, quod et sensus et praestantissima apud scholiasten lectio *διά τ' ἐρεύνας* corruptum esse arguunt. Restitue tres litteras ob praecedentium similitudinem neglectas: *δάμασ* 22 δὲ θῆρας ἐν πελάγεσιν ὑπερόχος· διά τ' αὐτ' ἐρεύνας *τεναγέων ροάς*. *Πελάγεσι* et accusativum *ὑπέροχος*, accentu nominativi scriptum, praebuit optimus codex, cuius saepius iam facta est mentio. Nem. I. 35. fuisse qui metro repugnans *ἔσλός* scriberent *ἔσλώς*, scholia docent. Scribe *ἔσλούς*. Aristarchi apud scholiasten verba in cod. MS. sic scripta: *καταλείπεται δὲ τῇ ἀρχαίᾳ σημασίᾳ τὸ ἔσλός. ἢ γὰρ ἀντίστροφος οὐκ ἀπῆται τὸ υ*. Dele cum edd. *οὐκ*, et hoc dicet Aristarchus, antiquo more Pindarum *ο* scripsisse, quod esset *ου* pronunciandum. Nem. X. 116. cod. Aug. *ἦμενος*, quae vetus lectio fuit. Aristarchus et Apollodorus scribebant *ἦμενον*, Didymus *ἦμένος* pro *ἦμένους*. Ed. Rom. al. *ἦμένως*. Accusativum seu pluralem seu singularem agnoscunt Heynio commemorati Pausanias et scholiastes Aristophanis, auctoritatem, opinor, sequuti grammaticorum. Mihi Pindarus spreto incredibili commento, ut facit Ol. I. 43. ss. nominativo casu videtur *ἦμενος* de Lynceo dixisse. Denique in Aeolico fragmento p. 60. v. 10. non debebat *ἔππος* in *ἔππος* mutari. Aeolicorum carminum propria sunt etiam verba in *μι* terminata pro contractis: *αἴτημι* fragm. p. 110. Sed in alio Aeolico fragm. p. 79. restituendus optativus *σιγῶμι*. Nisi fallor etiam Dorica quaedam, quae in Aeolicis carminibus inveniuntur, a Doricis abiudicanda erunt. Sic *πολυμάλῳ* recte videtur legi Ol. I. 19. recte vero etiam *μηλα* Pyth. IV. 263. IX. 114. *μηλοδόκῳ* III. 47.

μηλοβότου XII. 5. μηλοβότα Isthm. I. 67. Vnde Ol. VII. 115. 145. ubi scriptura fluctuat, communem formam praetulerim.

Aeolismi illius, quem poeta in omnibus carminibus usurpat, aliquot exempla iam supra dispersimus. His adde elisam litteram iu *περι* Ol. VI. 65. Pyth. IV. 472. et in compositis *περάπτων* Pyth. III. 94. *περόδοις* Nem. XI. 51. *). Non absimile est *ποτ' ἀστῶν* Ol. VII. 165. Deinde solutionem diphthongi in his: *Αἰγεῖδαι* Pyth. V. 101. *Ἀλκείδᾶν* Ol. VI. 115. *Ἀτρεΐδας* Pyth. XI. 47. Isthm. VIII. 111. *Κρηθεΐδας* Pyth. IV. 271. *Οἰνεΐδαι* Isthm. V. 39. *Πηλεΐδα* Pyth. VI. 22. *Καδμειᾶν* Isthm. IV. 88. *Πηγεῖον* Pyth. X. 86. *Λατοΐδας* IX. 8. *Τροΐα* Nem. III. 103. IV. 40 VII. 59. Isthm. VI. 41. VIII. 112. Sed non est horum constans usus: sic *Ἀἰγεΐδαι* Isthm. VII. 21. *Ἀτρεΐδαι* Ol. IX. 107. *Οἰκλείδαν* Nem. X. 16. 23. *Λατοΐδα* Pyth. I. 22. Alia, ut videtur, Aeolica forma est *ἀμεύσασθαι* Pyth. I. 96. restituenda, ut supra dixi, etiam XI. 84. *παραμεύσεται* Nem. XI. 17. *ἀμευσιπόρος* Pyth. XI. 58. ubi scribendum videtur *κατ' ἀμευσιπόρος τριόδους*, nisi quis utriusque accusativi communem formam praeferat. Prorsus Aeolicum nomen, etiam digammo

*) Adde *περιδαῖον* pro *περιῖδαῖον* fragm. p. 103. quod ita scribendum videtur:

ἔλαφρᾶν κυπάρισσον φιλέειν,
 ἔᾶν δὲ νομὸν Κρήτας περι-
 δαῖον· ἐμοὶ δ' ὄλιγον μὲν γᾶς δέδοται,
 ὄθεν ἀδρός, πενθέων δ'
 οὐκ ἔλαχον, οὐδὲ στασέων.

Paucis contentum esse hominem debere dicit, nec, si cupresso delecteris, quidquid huius arboris circa Idam in Creta nascatur, expetendum. Abundabat autem Creta hoc genere arboris, auctore Hermippo apud Athenaeum p. 27. F. Plinius H. N. c. 33. s. 60. de duobus generibus cupressi: *huic patria insula Creta. — Sed in Creta quocumque in loco terram moverit quispiam, vi naturali haec gignitur, protinusque emicat: illa vero etiam non appellato solo ac sponte, maximeque in Idaeis montibus et quos Albos vocant, summisque iugis, unde nives numquam absunt, plurima, quod miremur.*

memorable, *ἀνάτα* legitur Pyth. II. 52. III. 42. Addam denique hoc: duplicatas consonantes, quae in quibusdam vocabulis, ut in *κελαδεννός*, *κλεεννός*, *φραεννός*, origine Aeolicae sunt, etiam in his verbis ad Aeolicae linguae usum referendas videri, in quibus apud epicos aut improbatas, aut rarissime adhibitae inveniuntur. Eiusmodi sunt *ἔσσαντο* Pyth. IV. 363. *ἔσαι* 486. *καθέσσαντο*, sive *κάθεσαν*, V. 55. *ἔσαν* Ol. IX. 79. *θέσαν* I. 102. *θέσαντο* Nem. V. 18.

Persequutus sum, quae in Pindari dialecto maxime memorabilia videbantur. Omnia attingere nec licebat, neque animus erat. Quare si quis amplius de his rebus quaerere volet, satis inveniet materiae: veluti in verbis e praeterito factis, ut *γεγάκειν*, *κεχλάδοντας*, *κεφρίκοντας*; in formis infinitivorum, de quibus *βᾶμεν*, *στάμεν*, et similes in rarioribus sunt; in terminationibus personarum, ut *τίθεν*, *ἴεν*, *ἔγνον*; et ex alio genere *ἐξικέσθαι*, *κτῆσάσθαι*; in compositorum formatione, ut *βουλαφόροι*, et quae sunt huiuscemodi alia. Quae omnia operae pretium est aliquando diligentius pertractari.

DE PRAECEPTIS QVIBVSDAM ATTICISTARVM DISSERTATIO *).

Linguarum cognitio, quae pars est historiae, duos, ut omnino historia, fontes habet: unum, qui monumentorum testiumque auctoritate continetur; alterum, qui in ratione est atque intelligentia positus. Nam etsi, quid usitatum sit, quid non sit usitatum, non potest aliunde, quam ex monumentis ac testibus cognosci: tamen, quoniam et monumenta saepenumero corrupta sunt, et testes, grammaticos dico, sic demum aliquid probant, si probabilia dicunt, praecipua quaedam cura in eo ponenda est, ut ex cuiusque rei ratione cognoscatur, genuina an depravata sit scriptura, grammaticique recte an secus praecipiant. Qua cautione in his maxime utendum est, quae ab his grammaticis, qui Atticistae vocantur, tradita sunt. Qui quum neque ab antiquitate, neque a subtilitate multum commendationis habeant, tum eo quoque saepe suspecti sunt, quod praecepta sua nunc ex parum diligenti veterum scriptorum lectione, nunc e vitiosis codicibus videntur hausisse. Omninoque hoc illi agebant, ut, quae plurimum ab Atticis usurpata viderent, tamquam exempla Graece scribentibus proponerent, rariora autem, ut negligentius scripta, vitari iuberent. Quamquam vero usus

*) Edita est a. 1810.

in omnibus linguis satis licenter dominari solet, non est tamen, quod quidquam in hoc genere tam temere fieri existimemus, ut non ad sensum aliquid intersit, sic an aliter loquere. Quae discrimina investigare atque explanare, hoc philologi officium est. Aliter enim dubia semper atque incerta maneret linguarum cognitio, neque in tanta veterum librorum corruptione sciri posset, utrum, quae rara sunt, scriptoribus, an librariis imputari deberent: quodque summum est, corrigendis genuinis, probandis corruptis interpretatio a vero sensu saepenumero aberraret. Quare in iudicandis istorum grammaticorum praeceptis ita procedendum est, ut, si vera sunt, ratio reddatur, quare sint vera; si falsa sunt, ostendatur, vera esse non posse; si veris falsa admixta habent, utraque diiudicentur accurateque distinguantur. Ex singulis generibus exempla quaedam afferam.

I.

Atque ut ab his ordiar, quae vera quidem sunt, sed nisi ratio idonea reddatur, pro veris haberi nequeunt, huius generis insigne exemplum praebent ea, quae de constructione particulae $\mu\eta$ in vetando praecipuntur: vide, ut alios praeteream, Koenium et Schaeferum ad Gregor. Cor. p. 15. ss. Nam cui tandem non mirum videatur, Graecos, maximeque Atticos, in vetando particulam istam cum imperativo praesentis aut coniunctivo aoristi, non etiam, nisi rarissime, cum aoristi imperativo, numquam autem cum praesentis coniunctivo construere? Rationem huius usus qui reddiderit, ego quidem neminem novi. Quamquam nuper, certe inter praesens atque aoristum, Buttmanus aliquid discriminis statuit. Nam quum ego in censura grammaticae ab ipso editae (in Diar. litt. Lips. 1806. m. Mart. n. 39. p. 617.) Graecos ostendissem imperativum praesentis de eo, quod aliquamdiu duraret, aoristi de eo, quod cito perficeretur, usurpare, probavit ille hanc distinctionem in quarta quintaque editione, sed, quod factum nollem, sic simpliciter etiam ad vetandi

formulas transtulit. Nam sane quidem *μη βάλλε* dicendum erit, quum vetabis aliquem crebris ictibus ferire; *μη βάλλης* autem, quum uno ictu: sed est in hoc genere etiam aliud discrimen, quum, qui vetat, aut iubeat aliquem ab eo, quod facit, abstinere, aut moneat, ne faciat, quod velle facere videatur. Ac non potest obscurum esse, ultra vetandi formula utri rei conveniat. Quod apud Sophoclem est in Aiace 1154.

ἄνθρωπε, μη δρᾷ τοὺς τεθνηκότας κακῶς,
sic est dictum, ut significetur, *desine mortuos iniuria afficere.* Si dixisset,

ἄνθρωπε, τὸν θανόντα μη δράσῃς κακῶς,
moneretur Menelaus, ne vellet iniquus in Aiace esse. Ita Odyss. o. 263.

εἰπέ μοι εἰρομένῳ νημερτέα, μηδ' ἐπικεύσῃς, 5
noli celare, de quo interrogavero. Sed. π. 168.

ἦδη νῦν σὺ παιδὶ ἔπος φάο, μηδ' ἐπικεύθε,
nunc, qui sis, filio tuo indica, neque amplius cela. Sic etiam φ. 548.

τῷ νῦν μηδὲ σὺ κεῦθε νοήμασι κερδαλέοισιν,
ὅττι κέ σ' εἶρωμαι,

desine celare. Spectant enim haec ad η. 237. ss. Sic praesentis imperativo usus est Homerus Iliad. α. 32. 131. 210. 275. 277. 295. 545. 550. β. 247. γ. 64. 82. 414. δ. 184. 404. ε. 218. 249. 252. 440. 827. 830. 889. ζ. 264. 360. 486. η. 111. 235. 279. θ. 244. (ρ. 376.) ι. 600. 612. κ. 85. 145. 249. 447. ξ. 342. ο. 93. ρ. 31. σ. 126. 295. τ. 155. 306. υ. 376. 431. φ. 95. 99. 288. χ. 38. 85. 261. 345. ψ. 443. 492. 735. ω. 65. 218. 549. 553. 560. Od. α. 315. δ. 543. 594. 825. (h. Ven. 194.) ε. 160. 215 η. 303. θ. 350. κ. 457. 489. 548. λ. 486. 488. ξ. 168. 387. ρ. 46. 393. 401. σ. 20. 62. 178. 416. (υ. 324.) τ. 263. 584. υ. 314. φ. 111. 310. χ. 349. ψ. 59. 209. 213. ω. 54. Quamquam non con-

tenderim, tam necessario omissionem rei, quae nunc fiat, respici, ut imperativus praesentis non possit etiam de futuro dici: vide Iliad. *α.* 363. *β.* 165. (181.) 179. *δ.* 234. *κ.* 69. 249. *ν.* 230. *ο.* 426. *σ.* 74. *υ.* 354. *φ.* 340. *χ.* 185. *ω.* 171. Od. *γ.* 96. (*δ.* 326.) *δ.* 754. *η.* 31. 50. *λ.* 359. *ο.* 199. Ita imperativus tertiae personae quum aliquot locis de omittendo intelligi possit, ut Iliad. *β.* 354. *ι.* 345. *κ.* 383. *ο.* 196. *τ.* 29. Od. *α.* 369. *β.* 303. *ε.* 8. 160. *κ.* 505. *ν.* 362. 421. *π.* 436. *υ.* 308. *φ.* 318. tamen etiam de futuro usurpatur Iliad. *β.* 33. *δ.* 303. 305. *η.* 400. *θ.* 7. *κ.* 192. *ρ.* 422. *υ.* 108. 121. *φ.* 338. *χ.* 243. *ω.* 148. 181. Od. *θ.* 43. *π.* 302. Infinitivus praesentis autem pro imperativo saepius de futuro intelligitur, ut Iliad. *ε.* 130. 606. *κ.* 237. *ο.* 159. *π.* 839. *φ.* 294. *ψ.* 83. *ω.* 592. Od. *κ.* 536. *λ.* 72. 441. *π.* 150. *ρ.* 278. *φ.* 238. hymn. Merc 92. rarius de omittendo, ut Od. *σ.* 106. Praeideo quidem fore, qui exempla, quae utramque interpretationem confirment, nihil probare dicant. His respondeo, primum, quae propria sit imperativi praesentis significatio, ex maiore tamen numero exemplorum colligi: ideoque exemplis usus sum unius scriptoris, 6 et quidem eius, quem caeteri fere sequi solent; deinde quoniam, sive ommissio sive non inceptio imperetur, futurum tempus respicitur, fieri non potuisse, quin tam exiguum discrimen saepe negligeretur.

Aoristi vero imperativus non iubet coepta omitti, sed fieri futura vetat. Iliad. *σ.* 134.

ἀλλὰ σὺ μὲν μήπω καταδύσειο μῶλον ἄρῃος.

Vide Od. *ω.* 248. Aliud huius imperativi exemplum, Iliad. *τ.* 403. docte nuper sustulit censor Homeri ed. Wolfianae in Diar. litt. Ienens. 1809. n. 248. p. 168. Quod si loci reperiuntur, in quibus aoristus ad omissionem trahendus videatur, habent illi tamen idoneam excusationem, quippe quum sic debeant intelligi, ut quis vetetur aut iterum facere, quod modo fecerit, ut Iliad. *δ.* 410.

τῷ μὴ μοι πατέρας πόθ' ὁμοίῃ ἔνθεο τιμῇ,

(vide Aeschyl. Agam 1343.) aut cavere, ne faciat, quod iam se facturum esse ostenderit, ut in Sophocl. Ai. 386. *μηδὲν μέγ' εἰπῆς*, et Electr. 830. *μηδὲν μέγ' αὐσης*, in qua formula alibi praesentis imperativus est: vide exempla apud Lobeckium ad Aiacis locum, quibus adde Odyss. ψ. 59. Sed χ. 287. infinitivo aoristi utitur, non esse posthac gloriandum indicans. Atque infinitivum aoristi de re futura invenies etiam Iliad. ο. 159. Od. κ. 297. ν. 308. et tertiae personae imperativum, quo etiam Attici saepe utuntur, π. 301. coniunctivum Iliad. ε. 684. ι. 33. 522. κ. 238. ξ. 111. ο. 115. ψ. 407. ω. 568. (nam ὀρίνης aoristus est) 778. Od. λ. 251. (cum quo loco comparandus h. Ven. 291. ubi imperativus praesentis est) ν. 229. ubi quidem optativum praetulit Wolfius.

Iam temporis discrimine constituto videndum est etiam de modo. Atque apertum est, coniunctivum particulae *μη* iunctum proprie non vetantis esse, sed metuentis et caventis. Quare non tantum de secunda, sed etiam de prima persona usurpatur, ut in Sophocl. Oed. Col. 174. *μη δῆδ' ἀδικηθῶ*, et de tertia, ut Iliad. ρ. 93.

μη τις μοι Δαναῶν νεμεσήσεται, ὅς κεν ἴδῃται.

Vide σ. 8. φ. 563. s. Od. ε. 415. (ubi quod statim sequitur, *μελέη δέ μοι ἔσσειται ὄρμη*, non e particula *μη* pendet, sed solum per se constat) 467. (ρ. 24.) ο. 12. σ. 334. Ac prima coniunctivi persona saepe sic usurpatur, ut admonitio ad secundam spectet, ut Iliad. α. 26. *μη σε πιχέω*: vide φ. 475. Od. φ. 370. Et sic etiam tertia, ut in Pythagorae carmine ν. 25.

μη τις μήτε λόγῳ σε παρείπη, μήτε τι ἔργῳ.

Ipsa secunda persona sic, ut aperte metus tantum indicetur, occurrit Od. π. 255.

μη πολύπικρα καὶ αἰνὰ βίας ἀποτίσαι ἐλθῶν.

In quo loquendi genere quum Buttmanus in quinta grammaticae editione p. 536. ellipsin verbi metum significantis non magis necessariam aut superfluum videri dicit, quam verbi, quo optare aliquem, precari, iubere indicetur, in

tenderim, tam necessario omissionem rei, quae nunc fiat, respici, ut imperativus praesentis non possit etiam de futuro dici: vide Iliad. *α.* 363. *β.* 165. (181.) 179. *δ.* 234. *κ.* 69. 249. *ν.* 230. *ο.* 426. *σ.* 74. *υ.* 354. *φ.* 340. *χ.* 185. *ω.* 171. Od. *γ.* 96. (*δ.* 326.) *δ.* 754. *η.* 31. 50. *λ.* 359. *ο.* 199. Ita imperativus tertiae personae quum aliquot locis de omittendo intelligi possit, ut Iliad. *β.* 354. *ι.* 345. *κ.* 383. *ο.* 196. *τ.* 29. Od. *α.* 369. *β.* 303. *ε.* 8. 160. *κ.* 505. *ν.* 362. 421. *π.* 436. *υ.* 308. *φ.* 318. tamen etiam de futuro usurpatur Iliad. *β.* 33. *δ.* 303. 305. *η.* 400. *θ.* 7. *κ.* 192. *ρ.* 422. *υ.* 108. 121. *φ.* 338. *χ.* 243. *ω.* 148. 181. Od. *θ.* 43. *π.* 302. Infinitivus praesentis autem pro imperativo saepius de futuro intelligitur, ut Iliad. *ε.* 130. 606. *κ.* 237. *ο.* 159. *π.* 839. *φ.* 294. *ψ.* 83. *ω.* 592. Od. *κ.* 536. *λ.* 72. 441. *π.* 150. *ρ.* 278. *φ.* 238. hymn. Merc 92. rarius de omittendo, ut Od. *σ.* 106. Praevideo quidem fore, qui exempla, quae utramque interpretationem confirment, nihil probare dicant. His respondeo, primum, quae propria sit imperativi praesentis significatio, ex maiore tamen numero exemplorum colligi: ideoque exemplis usus sum unius scriptoris, et quidem eius, quem caeteri fere sequi solent; deinde quoniam, sive omissio sive non incepto imperetur, futurum tempus respicitur, fieri non potuisse, quin tam exiguum discrimen saepe negligeretur.

Aoristi vero imperativus non iubet coepta omitti, sed fieri futura vetat. Iliad. *σ.* 134.

ἀλλὰ σὺ μὲν μήπω καταδύσσο μῶλον Ἄρηος.

Vide Od. *ω.* 248. Aliud huius imperativi exemplum, Iliad. *τ.* 403. docte nuper sustulit censor Homeri ed. Wolfianae in Diar. litt. Ienens. 1809. n. 248. p. 168. Quod si loci reperiuntur, in quibus aoristus ad omissionem trahendus videatur, habent illi tamen idoneam excusationem, quippe quum sic debeant intelligi, ut quis vetetur aut iterum facere, quod modo fecerit, ut Iliad. *δ.* 410.

τῷ μὴ μοι πατέρας πόθ' ὁμοίη ἐνθεο τιμῆ,

(vide Aeschyl. Agam 1343.) aut cavere, ne faciat, quod iam se facturum esse ostenderit, ut in Sophocl. Ai. 386. *μηδὲν μέγ' εἰπήης*, et Electr. 830. *μηδὲν μέγ' αὐτοῦς*, in qua formula alibi praesentis imperativus est: vide exempla apud Lobeckium ad Aiakis locum, quibus adde Odyss. ψ. 59. Sed χ. 287. infinitivo aoristi utitur, non esse posthac gloriandum indicans. Atque infinitivum aoristi de re futura invenies etiam Iliad. ο. 159. Od. κ. 297. ν. 308. et tertiae personae imperativum, quo etiam Attici saepe utuntur, π. 301. coniunctivum Iliad. ε. 684. ι. 33. 522. κ. 238. ξ. 111. ο. 115. ψ. 407. ω. 568. (nam ὀρίνης aoristus est) 778. Od. λ. 251. (cum quo loco comparandus h. Ven. 291. ubi imperativus praesentis est) ν. 229. ubi quidem optativum praetulit Wolfius.

Iam temporis discrimine constituto videndum est etiam de modo. Atque apertum est, coniunctivum particulae *μη* iunctum proprie non vetantis esse, sed metuentis et caventis. Quare non tantum de secunda, sed etiam de prima persona usurpatur, ut in Sophocl. Oed. Col. 174. *μη δῆθ' ἀδικηθῶ*, et de tertia, ut Iliad. ρ. 93.

μη τις μοι Δαναῶν νεμεσήσεται, ὅς κεν ἴδηται.

Vide σ. 8. φ. 563. s. Od. ε. 415. (ubi quod statim sequitur, *μελέη δέ μοι ἔσσεται ὄρμη*, non e particula *μη* pendet, sed solum per se constat) 467. (ρ. 24.) ο. 12. σ. 334. Ac prima coniunctivi persona saepe sic usurpatur, ut admonitio ad secundam spectet, ut Iliad. α. 26. *μη σε πιχέω*: vide φ. 475. Od. φ. 370. Et sic etiam tertia, ut in Pythagorae carmine ν. 25.

μη τις μητε λόγῳ σε παρείπη, μητε τι ἔργῳ.

Ipsa secunda persona sic, ut aperte metus tantum indicetur, occurrit Od. π. 255.

μη πολύπικρα καὶ αἰνὰ βίας ἀποτίσαι ἐλθῶν.

In quo loquendi genere quum Buttmannus in quinta grammaticae editione p. 536. ellipsin verbi metum significantis non magis necessariam aut superfluum videri dicit, quam verbi, quo optare aliquem, precari, iubere indicetur, in

reliquis a particula *μη* incipientibus enunciationibus, id mihi fateor tam obscure dictum videri, ut neque quid ipse sentiat vir praestantissimus, neque quid alios sentire velit, intelligam. Ellipsis quidem, si usquam, hic maxime necessaria est: quamquam illud liberum est, quod verbum quoque in loco intelligas. Plena oratio est Od. *χ*. 367.

*εἰπέ δὲ πατρί,
μή με περισθενέων δηλήσεται ὄξει χαλκῷ.*

vide h. Ven. 188. ss. Et unum quis hoc Sophoclis in Oed. Col. 156. *ἀλλ' ἵνα τῷδ' ἐν ἀφθέρκτω μή προπέσης νόπει*, aut quod paullo ante ex Pythagorae carmine allatum est exemplum, ellipsi carere dicet? Quod si *μη* ventantis coniunctivo sic iungitur, ut significetur, *vide ne facias*, apertum est, aoristi eum debuisse coniunctivum esse, quod is natura sua ad futurum tempus refertur: unde etiam ex eo ortum est futurum; non praesentis, quo qui uteretur, non vetaret, ne quis facere aliquid aggredere-tur, sed dubitare se indicaret, an aliquis iam nunc id faceret, quod ipse, qui vetaret, facere illum nollet *). Atqui sic ille neque ut omitteret id facere, neque ne post-hac faceret, moneretur. Rem per se planam planiorem reddam exemplo allato. Od. *ε*. 356.

*ὦ μοι ἐγώ, μή τις μοι ὑφαίησιν δόλον ἄλλον
ἀθανάτων.*

§ *Metuo*, inquit, *ne iam nunc insidias mihi struat aliquis deorum*. Quod exemplum eandem comparisonem ad illa habet, in quibus aoristi coniunctivus est, quam in iurando indicativus praesentis cum particula *μη* iunctus ad futurum. Iliad. *ο*. 41.

*) Non videtur ad haec attendisse Schaeferus in adnotatione ad Indicem in Greg. Cor. p. 1005. seq., etsi verba haec ipsa transscripsit ad Gregor. p. 868. Vide quae dixi ad Sophoclis Aiacem 1064.

*μη̄ δῑ ἐμὴν ἰότητα Ποσειδάων ἐνοσίχθων
πημαίνει Τρωάς τε καὶ Ἔκτορα, τοῖσι δ' ἀρήγει.*

κ. 330.

μη̄ μὲν τοῖς ἵπποισιν ἀνὴρ ἐποχῆσεται ἄλλος.

Quae quum ita sint, non videtur dubitari posse, quin emendatione indigeant loci, in quibus *μη̄* vetantis cum coniunctivo praesentis iunctum est: quam constructionem ne in illo quidem scriptore tulerim, cuius est poema, quod Phocylidi vulgo adscribitur, v. 19. 91. ed. Brunck. quibus in locis optativum ille videtur posuisse, ut v. 30. 43. 114. 144. 170. 186. 193. (et Naumachius in praeceptis matrimonialibus v. 53. 55. 58.) quod contra coniunctivus restituendus videtur v. 80. 174. ex codice; 175. 194. *).

Iam igitur sic erit de omni ista vetandi ratione statuendum: *μη̄* cum imperativo praesentis proprie de omitendo eo, quod quis iam faciat, intelligi, sed saepius tamen etiam ad ea trahi, quae quis nondum facere aggressus sit; aoristi autem imperativum tantummodo de non incipiendo usurpari, in quo quidem genere coniunctivum aoristi Graecos praetulisse; idque Atticis maxime, ut dubitantius loqui amantibus, ita placuisse, ut apud hos rarissime imperativus aoristi inveniatur. Exempla eius vide apud Koenium et Schaeferum ad Greg. Cor. p. 15. ss.

II.

Sequatur nunc exemplum secundi generis. Nam quod Thomas M. p. 267. tradit, particulam *εἰ* non construi cum coniunctivo, nisi si verbum ex illis sit, quae *ἀνθυπότακτα* vocantur, id mea quidem sententia falsum est. Nactus est quidem Thomas defensorem F. I. Bastium, virum ita in his litteris versatum, ut maxima eius debeat auctoritas esse, qui in epist. crit. ad Boissonadum

*) In Polemonis physiognom. I. 6. p. 202. *μηδὲ γέιτονα ἔχης.* scribe *σχῆς*, vel *σχεῖν*, ut apud Adamantium I. 3. p. 330.

p. 129. s. ed. Lips. ultra L locos Atticorum, qui istam regulam confirment, ab se collectos scribit, eoque ille 9 exemplorum numero adduci se fatetur, ut vera dixisse Thomam putet. Quod etsi tam caute est circumspecteque factum, ut vix videatur temeritatis notam posse effugere, quem tanta exemplorum multitudo nihil moveat: est tamen una potissimum caussa, quae me quidem vel sola sic ab assentiendo revocet, ut facilius et illa L exempla, et si multo plura afferantur, corrupta, quam regulam istam veram esse credam. Neque enim credibile est, regulam ab Atticis observatam esse, cuius observandae nulla caussa reperiatur. Nihil est enim in verborum constructionibus, ut quarum omnis ratio multiplici cogitationum varietate determinetur, quod sine aliqua sententiae mutatione a communi usu deflectat. Quod si qua esset caussa, quare particula *εἰ* cum quorundam verborum coniunctivis construi posset, ea neque in particula ista, neque in coniunctivi natura sita esset, quod sic *εἰ* cum omnium verborum coniunctivis construeretur; sed aut omnino in verbis, quae *ἀνθρόπατρα* vocantur, aut in coniunctivis eorum esset quaerenda. Atqui num horum coniunctivus significatione ab aliorum coniunctivis verborum differt? Minime. Num optativo, num futuro carent? Ne hoc quidem. Num neque *ἐάν* cum eorum coniunctivis, neque *εἰ* cum optativis et futuris construitur? Saepissime vero. Quid igitur reliquum est? Nihil video aliud, quam ut Atticos *εἰ* aut cum nullius verbi, aut cum omnium coniunctivis construisse dicamus. Alterum aliis, aliis alterum probabile visum est. Et hi quidem, qui *εἰ* omnino posse cum coniunctivo construi existimant, eo utuntur argumento, quod, quum istam constructionem non repugnare legibus Graecae linguae ex Homero et Pindaro intelligatur, ne Atticos quidem plane ab ea abstinuisse verisimile sit; quin haud pauca in eam rem exempla afferri posse. Qui vero negant Atticos ista constructione usos esse, has habent rationes, paucitatem exemplorum in tam infinita multitudine locorum, qui usitatis legibus conveniant; dissensionem codicum, in ingenti locorum numero et convenientem mori

et repugnantem lectionem exhibentium; nisam hoc ipso librorum dissensu facilitatem emendandi; denique verisimilitudinem in tam frequenti scripturae perturbatione inveniendae aliquando in codicibus verae lectionis: quemadmodum in Sophocl. Oed. R. 198. ἦν, quod Brunckius¹⁰ ex coniectura posuerat, nunc ab Erfurdtio e cod. Dresd. firmatum est. Et habent haec sane magnum pondus, praesertim quum sint in his locis, qui, etiamsi quis *εἰ* cum coniunctivo construi posse concedat, emendationem requirant. Vellem profecto communicasset Bastius cum lectoribus exempla, quae a se collecta scribit, quo singillatim de iis disputari posset. Nam quum et *εἰ* aliud sit quam ἦν, et coniunctivus aliam vim habeat quam optativus, non puto ubique, ubi libri utrumque praebent, idem esse, utrum *εἰ* an ἦν, optativum an coniunctivum praeferas: neque assentior, quum vir praestantissimus in duobus locis Alciphronis, quos solos affert, III. 21. et 31. nihil referre existimat, utrum ex Thomae praecepto *εἰ δὲ μάθῃ, εἰ πρόφασις γένηται*, an *εἰ δὲ μάθοι, εἰ πρόφασις γένοιτο* scribatur. Optativus enim, ut in priore horum locorum admitti potuerit, in altero certe non potuit. In priore epistola mulier scribit, absente marito, negligentia caprarum accidisse, ut lupus capellam raperet: tum addit: *πέπυσται δὲ οὐδὲν τούτων ὁ ἀνήρ· εἰ δὲ μάθῃ, κρεμύσεται μὲν ἐκ τῆς πλησίον πίττος ὁ μισθωτός· αὐτὸς δὲ οὐ πρότερον ἀνήσει πάντα μηχανώμενος, πρὶν τὰς παρὰ τοῦ λύκου δίκας εἰσπράξασθαι.* Mulier ista quum tantum absit, ut celare rem velit, ut magis maritum cupiat resciscere, proprie aut *εἰ μαθήσεται, si resciscet*, aut ἦν μάθῃ, vel etiam *εἰ μάθῃ, si resciverit*, dicere debebat. Quod si *εἰ μάθοι* scripsit, non potest hoc aliter intelligi quam sic: *si maritus, cui nunc in urbe degenti rem nunciatum iri non est verisimile, forte resciscat.* Quod quidem vereor ut maluerit dicere, quam illud, *si resciverit redux ab urbe.* In epistola 31. mulier urbis visendae cupida sic scribit: *εἰ οὖν σοι πρόφασις ὁδοῦ ἄστυδε γένηται, ἦνε ἀπάξων νῦν καμέ.* Hic vero quomodo optativus admitti possit, non video: quippe quum de re futura

sermo sit, non de eo, quod prorsus incertum ac dubium esse indicetur. Nec Latine quisquam dicet: *si tibi oppor-
tunitas adeundae urbis sit, duc me quoque istuc*. Quare hic ἦν, vel etiam εἰ πρόφασις γένηται scribi debuit, *si
quem praetextum nactus fueris*. Non sum nescius, εἰ
cum optativo saepius iunctum inveniri, ubi futurum, vel
futurum exactum, quod per coniunctivum Graeci de-
signant, exspectari possit: verum tales locos qui attentius
11 consideraverit, facile intelliget, sensum alium esse, si
optativus, alium, si futurum aut coniunctivus adhibeatur.
Vt in Aeschyli Sept. ad Theb. initio:

εἰ μὲν γὰρ εὖ πράξαιμεν, αἰτία θεῶν·
εἰ δ' αὐθ', ὃ μὴ γένοιτο, συμφορὰ τύχοι,
Ἐτεοκλῆς ἂν εἰς πολὺς κατὰ πόλιν
ὑμνοῖθ' ὑπ' ἀστῶν φροιμίους πολυῤῆόθοις.

Poterat dici, ἦν μὲν εὖ πράξωμεν, ἦν δὲ συμφορὰ τύχη, hoc sensu: *si bene rem gesserimus, diis hoc acceptum feretur: sin minus, ego vituperabor*. Nolebat tamen Eteocles sic de belli eventu loqui, ut etiam vinci posse Thebanos indicaret. Quare cautius ita haec profert: *si bene rem gereremus, diis hoc deberi crederetur: sin male, ego reprehenderer*. Ita utrumque, tamquam quod cogitari possit, enunciat; neutrum vero, tamquam quod exspectari debeat. Apud Dionys. Hal. de constr. verb. in ipso fine libri haec leguntur: *τοῦθ' ἔξεις δῶρον ἡμέτερον, ὃ Ροῦφε, πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων, εἰ βου-
ληθείης ἐν ταῖς χερσὶν αὐτὰ συνεχῶς, ὥσπερ τι καὶ ἄλλο τῶν πάνυ χρησίμων, ἔχειν*. Hic modestiae caussa sic locutus est. Alia exempla, in quibus recte se habet optativus, vide apud Schaeferum ad hunc Dionysii librum p. 213. s. Adde Erfurdium ad Soph. Oed. R. 688. Reponendus optativus in eadem fabula v. 668.

ἀλλά μοι δυσμόρφῳ γὰ φθίνου-
σα τρύχει ψυχάν, καὶ τὰδ' εἰ κακοῖς
κακὰ προσάψειε τοῖς πάλαι τὰ πρὸς σφῶν *).

*) Haec in editione fabulae nunc rectius emendata sunt.

Eiusdem generis talia sunt, ut hoc Sophoclis in Philoct. 849. ἀλλ' ὅ τι δύναιο μάκιστον, κείνό μοι νῦν, κείνο λάθρα ἐξιδού, ὅ τι πράξεις: *quam tibi videaris posse longissime.*

Sed deducit nos haec disputatio ad aliam quaestionem. Sumamus enim, *εἰ* cum coniunctivo sive quorumcumque verborum, sive eorum tantum, quae ἀνθυπότακτα vocantur, recte construi. Vtrumne in hac constructione *εἰ* pro ἤν, an coniunctivum pro futuro vel optativo poni putabimus? Multum enim interesse ex iis patet, quae modo dicta sunt. Igitur *εἰ μάθῃ* utrumne significabit idem, quod ἤν μάθῃ, *si didicerit*, an quod *εἰ μαθήσεται*, *si discet*, an denique quod *εἰ μάθοι*, *si discat*, *si disceret*. Hoc postremum fortasse placeat recordanti Homericorum versuum Iliad. φ. 462.

Ἐννοσιγαί, οὐκ ἂν με σαόφρονα μυθήσαιο 12
ἔμμεναι, εἰ δὴ σοίγε βροτῶν ἔνεκα πτολεμίξω.

At non videtur dubitari posse, quin hic altera lectio, πτολεμίξω, praeferenda sit, id ut sit futurum, non coniunctivus. Nam et prorsus eodem modo loquitur Iliad. α. 293.

ἢ γάρ κεν δειλός τε καὶ οὐτιδανὸς καλεοίμην,
εἰ δὴ σοὶ πᾶν ἔργον ὑπείξομαι, ὅττι κεν εἶπης,

et alibi, ubi *εἰ* coniunctivo iungit, non coniunctivus pro optativo, sed *εἰ* pro ἤν est, ut Od ε. 221.

εἰ δ' αὖ τις ραίησι θεῶν ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ,
τλήσομαι, ἐν στήθεσσιν ἔχων ταλαπενθέα θυμόν.

Vide Iliad. α. 340. ε. 258. μ. 223. 239. φ. 576. χ. 86. Od. η. 204. μ. 348. Et sic etiam Pindarus, et si qui alii hac constructione utuntur. Ac sane ita conveniebat. Nam coniunctivus atque optativus, quamdiu genuina Graecae orationis ratio floruit, significationes, quibus inter se differunt, integras conservarunt. Ac falleretur, qui in constructionibus particulae *εἰάν*, aliarumque particularum, quibus *ἂν* adhaeret, coniunctivum ab isto *ἂν*, non a particulis *εἰ*, *ἐπεὶ*, *ὅτε*, et quaecumque *ἂν* adsciscunt, regi

arbitraretur. Id quod aliquando clare intelligitur, si inventus fuerit, qui de particularum usu apud Homerum, fontem omnis harum rerum rationis, plene accurateque explicuerit. Vnum addo. Homerus *εἰ*, etiam ubi *an* significat, coniunctivo iunxit Od. ε. 471. ubi male *μεθεῖη* legitur; et alio modo Iliad. ο. 16.

*οὐ μὰν οἶδ', εἰ αὖτε κακοῦράφης ἀλεγεινῆς
πρώτη ἐπαύρηαι, καί σε πληγῆσιν ἰμάσσω,*

coniunctivo hic quoque propriam vim conservante. Hoc enim dicit: *haud scio an fraudis tuae fructum ipsa debeas prima percipere, verberarique te a me conveniat.* Veni iam eo, quo volebam. Etenim ex Homero hoc cognoscimus, *εἰ* recte cum coniunctivo iungi, quum quidem id significatur, quod Attici per *ἐάν* cum coniunctivo indicant. Quod si Homerus plerumque in ista constructione *ἄν* vel *κέν* addit, quo clarius indicet, incertum adhuc esse id, de quo sermo est: de Atticis ita erit statuendum, praefere¹³ndam eos in hac constructione iudicasse particulam *ἄν*, quod ubique dubitantius et cum quadam moderatione loqui amant. Qui quidem an in hac re ita religiosi fuerint, ut *εἰ* solum numquam coniunctivo iungerent, non diiudicaverim. Illud vero iure mihi videor posse contendere, praceptum Thomae M. inde manasse, quod quum is, qui istam regulam excogitavit, in uno alterove loco Attici scriptoris *εἰ* cum coniunctivo, sive ab ipso scriptore positum, sive ex libroriorum errore natum reperisset, miratus rei insolentiam, quum casu verba in his locis *ἀνθυπότακτα* essent, ita iudicavit, cum horum verborum, non cum aliorum coniunctivis Atticos istam particulam construere. Nam non pauca Atticistarum praecepta ex eo orta esse, quod isti, quae exiguo locorum numero comprobata vidissent, ubique observata credebant, iam ab aliis satis demonstratum est. Quod si haec probabiliter disputasse videbimur, aut his quoque locis, in quibus coniunctivi verborum *ἀνθυπότακτων* cum particula *εἰ* constructi reperiuntur, emendatio adhibenda erit, neque id improbare illi poterunt, qui aliorum coniunctivos verborum sic constructos,

quorum vereor ne longe maior sit multitudo, corrigendos censent; aut, quod equidem, re nondum explorata, ut consideratius praetulerim, ita erit statuendum, apud Atticos quoque, ubi codices consentiant, nec sensus prohibeat, *si* cum quorumcumque verborum coniunctivis tolerandum esse.

III.

Tertium genus illas complectitur regulas, in quibus et veri aliquid et falsi inest. Ita quod idem ille Thomas M. p. 161. praecipit, verbum *δύναμαι* non esse cum futuri infinitivo iungendum, habet sane idoneam rationem, quum quod quis posse facere dicitur, idem sit ac si dicatur cogitari id facere, quod nunc non facit. Nam etiam si dicas, *possum facturum esse* id praesentis temporis significationem continet, neque aliud est, quam si dicas, *possum in eo statu esse, ut velim facere*. Quare Graeci ne hoc quidem per futuri infinitivum, qui, ut alio loco ostendi, natura sua aoristus est, sed per praesentis infinitivum verbi *μέλλειν* indicant. Nihilo minus recte dixisse Sophoclem puto in Philoct. 1393.

τί δῆτ' ἂν ἡμεῖς δοῶμεν, εἰ σέ γ' ἐν λόγοις 14
πεισεῖν δυνησόμεσθα μηδὲν ὧν λέγω;

Nec debebat Schaeferus in Melet. crit. p. 99. Thomae praecepto moveri, ut de emendatione cogitaret. Vsitatatum est enim Graecis, ubi in principali verbo futuri significatio inest, etiam infinitivum futuri adiungere, ut quum *μέλλειν ποιήσειν* dicunt. Credibile est, hic illic lectionem, quae Atticistarum praeceptis repugnaret, ab recentioribus grammaticis librariisve mutatam esse. Ita in Sophoclis Oed. R. 272. vulgatam lectionem *φθερεῖσθαι*, quae verissima est, in uno Augustanorum codicum in *φθαρῆναι* mutatam repperi, adiecto scholio, Triclinii, opinor, quod etsi iam Erfurdus adnotationibus suis inseruit, tamen, quoniam levis adhuc menda inhaeret, hic adscribendum putavi: *φθαρῆναι δεῖ γράφειν, οὐ φθερεῖσθαι*.

τὸ γὰρ εὐχομαι ἀντὶ τοῦ ὑπισχνοῦμαι τιθέμενον μέλλοντι συντάσσεται, ὡς τὸ, ἠῤῥατο τῷ Ἀσκληπιῷ τάλαντον δάσειν, παρὰ Λιβανίῳ, καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις πᾶσιν· ἀντὶ δὲ τοῦ εὐχῆν καὶ δέησιν ποιοῦμαι εἰς ἐνεστώτα παρωχημένον ἐκφέρεται, ὡς καὐτὸς οὗτος ἄνω προῦφη, ἐκτρίψαι καὶ παθεῖν λέγων, (v. 248. 251.) καὶ Πλάτων ἐν Ἀξιόχῳ, εὐξάμενοι τὸ κράτιστον αὐτοῖς γενέσθαι. Idem praeceptum, quod neutram in partem verum esse aliquot Atticorum loci ostendunt, etiam apud Thomam M. p. 166. et Favorinum in v. εὐχομαι invenitur *).

Nonnumquam Atticistas vitiosis exemplaribus usos esse, iam supra dictum est, et monuerunt saepe de ea re docti homines. Accidit autem hoc non solum in his locis, unde isti regulas suas petierunt, sed interdum etiam in his, quos ut regulae repugnantes non esse imitandos dicunt: ut in illis locis, ex quibus Thomas M. p. 267. sq. ἦν cum optativo iunctum affert, quam constructionem Schaeferus, vir doctissimus, in Melet. p. 87. non prorsus improbandam iudicat. In qua re ille me quidem consentientem habet, quamquam quas rationes pro illa sententia affert, vereor ne id, quod vult, non efficiant. Sunt autem hae: una, multitudo exemplorum. At neminem fugit, multo maiorem illorum esse locorum copiam, in quibus codices meliorem lectionem suppeditaverint: ut in Hippocratis loco, qui ne afferri quidem debebat, quod 15ibi pridem vera lectio ἐπιχειρῆ ex codd. adnotata erat. Ita vero quidni in plurimis aliis locis codicum approbationem praevertas? Altera haec ratio est, quod quidam loci omnem corrigendi conatum reiiciant. At de quattuor locis, quibus in hanc rem usus est, duo ad emendandum facil-

*) Ita in Thucyd. II. 29. revocandum futurum ex codd. πείσειν γὰρ Σιτάλκην πέμψειν στρατιάν etc. et I. 27. ἐδεήθησαν — ξυμπροσπίμψειν. v. Poppo I. 1. p. 159. ss. Vide Lobeck. ad Phryn. 747. et 717. Schaefer. ad Poet. gnom. p. 16. De ἐλπίζειν, de quo Favorinus, agit Thom. M. p. 167. v. Boeckh. ad Pind. Ol. I. 64.

limi sunt, si *παρεκβήης* et *λυθείης* scribatur, quas formas saepissime oblitteratas ab librariis esse non fugiebat Schaeferum, qui eas ipse reponendas aliquot in locis esse iudicat in Addend. ad Eurip. Pors. p. 564. Maximi vero locum in carmine *περὶ καταρχῶν* v. 346. si accuratius inspexisset vir doctissimus, facile vidisset ab hac disputatione esse alienissimum. Is locus ita scribendus est:

*ἦν δὲ Νεμειήταιο πέλη κατὰ ἄστρα λέοντος,
εἰ μὲν ἐπὶ πρώτῃ ἡοὶ δρόμον ἐντύνειν,
λήσεται, οὐδὲ μιν αὐτίς ἐφέστιον οἶο ἄνακτος
ἀθρήσεις θεράποντα φυγόπολιν· εἰ δὲ γ' ἐπ' ἡοῖ
δευτατῆ αἴροιτο φυγῆν, οὐ πάντα τελέσσει
δρημοσυνήν.*

Itaque quartus tantum superest locus, qui est eiusdem Maximi, v. 422.

οὐδ' ἦν Ἰφίκλοιο θωώτερος αὐδάζιο.

Huius vero loci lectio, bis etiam apud Tzetzam reperta, non potest, re ipsa indicante, dubia esse. Quare confitendum erit, ἦν etiam optativo, certe apud huius aetatis scriptores, iungi potuisse. At simul hic locus indicat, sic tantum id factum esse, ut ἦν pro εἰ, non ut optativus pro coniunctivo esset. Hoc vero afferri debebat, quo et probari posse utramque constructionem, et quo quaeque loco probanda esset, intelligeretur. Ac saepius fortasse ἦν optativo iunctum aliam aliis in locis excusationem habet. Homerus quidem *ἐπεὶ ἂν* et *ἐπὴν* Iliad. ι. 304. τ. 208. et vero etiam, si quid video, Od. φ. 511. Aeschylus autem in Persis 450. *ὄταν*, et Homerus, si lectio, uti debet, Iliad. π. 63. corrigatur, ac Lucianus in Timone c. 39. T. I. p. 151. *ὁπόταν* recte optativo iunxerunt: ut, si idem Lucianus ἦν saepius ita construxisse reperiatur, sane id non ubique librariis videatur imputandum esse. Sed de hac re sic demum recte disputari poterit, si quis omnia huius constructionis exempla ex hoc scriptore, cuius sermo omnino accuratior pervestigatione dignus est, collegerit et inter ipsos comparaverit. At in Thucydidis loco,

unde ἦν cum optativo profert Thomas M. p. 267. non minus ille, quam in duobus Luciani locis, vitiosos codices sequutus est. De isto Thucydidis loco, quod neque alii eum recte explicuerunt, et mihi ipsi coniectura, quam ad Viger. p. 787. *) proposui, retractanda est, paucis exponam. Verba Thucydidis III. 44. reposito ex codd. εἶτε, haec sunt: ἦν τε γὰρ ἀποφήνω πάνυ ἀδικοῦντας αὐτούς, οὐ διὰ τοῦτο καὶ ἀποκτεῖναι κελεύσω, εἰ μὴ ξυμφέρον, εἶτε καὶ ἔχοντές τι ξυγγνώμης εἶεν, εἰ τῇ πόλει μὴ ἀγαθὸν φαίνοιτο. Vim verbis attulerunt, qui deesse alteram apodosin existimarunt. Non deest, sed apodosis, quae est in medio, ad utrumque membrum pertinet. Latine haec vix ita interpretari quis poterit, ut verbum verbo reddatur: licebit tamen hoc modo: *nam neque si poena dignissimos ostendero, necari propterea iubebo, nisi utile sit; neque si quid excusationis habeant, civitati si damnosum putaverim.* Neminem, qui praestantissimi scriptoris verba, semper profundae mentis plena, ponderare sciat, latere poterit, cur et apodosin in medio posuerit, et in altero membro εἶτε εἶεν et εἰ φαίνοιτο, non ἦν ὡσιν et εἰ φανεῖται dixerit. Sed omnino duobus maxime modis praeclaros viros, qui in Thucydide explicando operam posuerunt, peccasse videmus, uno, quod, quae hic insolentius scripsit, ad communem loquendi usum compararunt iudicaruntque, quum non in verborum compositione, sed in conformatione sententiarum apud hunc scriptorem quaerenda sit insolentia: quare is demum bonus erit eius interpret, qui et iudicio ita polleat, ut quid ille et quomodo quidque senserit, videat, et Graecae linguae eam habeat peritiam, ut quid ea quoque in loco ferat, etiam si nulla usquam similia exempla inveniantur, usu quodam sensuque teneat: unde etiam alterum vitabit errorem, quem plerique eo commiserunt, quod, quum insolenter loqui solere Thucydidem crederent, quidvis potius tentandum, quam, quod omnium facillimum et lenissimum

*) P. 822. ed. novissimae. Vbi quae dixi, re denuo perpensa, nescio an tenere debuérim.

est, interpunctionem emendandam esse in animum induxerunt. Huius quoque erroris insigne exemplum afferam: venia enim erit, si quid in huiusmodi scriptione a proposito digrediar. Mirum in modum viros doctos locus in lib. I. c. 22. ubi de suis historiarum libris sic scribit Thucydides, exercuit: *καὶ ἐς μὲν ἀκρόασιν ἴσως τὸ μὴ μυθῶδες αὐτῶν ἀτερεπότερον φανείται· ὅσοι δὲ βουλήσονται τῶν τε γενομένων τὸ σαφές σκοπεῖν, καὶ τῶν μελλόντων ποτὲ αὐθις, κατὰ τὸ ἀνθρώπειον, τοιούτων ὄντων καὶ παραπλησίων ἔσσεσθαι, ὠφέλιμα κρίνειν αὐτά, ἀρκούντως ἔξει.* Cuius loci sensum quum Lucianus de conscrib. hist. c. 42. T. II. p. 55. optime his verbis declarasset: *κτῆμά τε γὰρ φησι μᾶλλον ἐσαεὶ συγγράφειν, ἤπερ ἐς τὸ παρὸν ἀγώνισμα, καὶ μὴ τὸ μυθῶδες ἀσπάζεσθαι, ἀλλὰ τὴν ἀλήθειαν τῶν γεγενημένων ἀπολείπειν τοῖς ὕστερον· καὶ ἐπάγει τὸ χρήσιμον, καὶ ὃ τέλος ἂν τις ἐφ' φρονῶν ὑπόθοιτο ἱστορίας, ὡς εἴ ποτε καὶ αὐθις τὰ ὅμοια καταλάβοι, ἔχοιεν, φησί, πρὸς τὰ προγεγραμμένα ἀποβλέποντες, εὐχρησθαι τοῖς ἐν ποσὶ: nullus tamen Thucydidis interpretum animadvertit, mutata interpunctione difficultatem tolli omnem: ὅσοι δὲ βουλήσονται τῶν τε γενομένων τὸ σαφές σκοπεῖν, καὶ τῶν μελλόντων ποτὲ αὐθις κατὰ τὸ ἀνθρώπειον τοιούτων ὄντων καὶ παραπλησίων, ἔσσεσθαι ὠφέλιμα κρίνειν αὐτά, ἀρκούντως ἔξει: i. e. qui autem volent rerum gestarum veritatem considerare, et futura si quando rursus, ut sunt res humanae, eadem vel similia sint, utilem esse ad ea iudicanda hanc historiam, his factum erit satis. Genitivus usus est, quum potuisset dicere, ἣν τὰ μέλλοντά ποτε αὐθις τοιαῦτα ἦ καὶ παραπλησία. Et sic Lucianum haec intellexisse apertum est *).*

*) Interpungendum post ἔσσεσθαι minore distinctione. Quod saepius fit, ut verbum omittatur repetendum ex praecedentibus, hic quoque factum est. Plene haec sic dixisset: *καὶ τῶν μελλόντων ποτὲ αὐθις κατὰ τὸ ἀνθρώπειον τοιούτων καὶ παραπλησίων ἔσσεσθαι μελλόντων, ὠφέλιμα κρίνειν αὐτά, ἀρκούντως ἔξει.* Satis erit factum, inquit, si qui vel res quae gestae sunt

Sed ut ad ἦν cum optativo redeam, quod paullo ante dicebam, ἦν in hac constructione pro *ei* poni, id nolum sic intelligi, ac si nihil inter ἦν et *ei* interesse putem. Nam ego hoc tantum volebam, primo verbi modum spectandum esse, quod in hoc cardo rei versatur. Quod si sensus optativum requirit, altera quaestio est, utrum ei *ei* adiungi debuerit, an potuerit addi ἦν, quae particula eo ab *ei* differt, quod *ei* est *si*, ἦν autem sive ἐάν, sive ἄν, producta vocali, *si forte*: (productione enim hoc ἄν, ut ex ἐάν contractum, a particula potentiali differt: quae res fraudem fecit Iacobsio in Addit. animadv. ad Athenaeum p. 24. 126. Nam exempla in contrariam partem corrupta sunt, ut Lollii Bassi epigr. 3, 9. in Brunck. Anal. T. II. p. 161. In Palladae epigr 137, 4. p. 436. ὄταν ex cod. reponendum.) Homerus igitur, apud quem particula κέν atque etiam ἄν nihil ad verbi modum pertinet, saepissime εἴ κεν optativo iunxit: vide Iliad. 18 β. 123. 597. ε. 273. ζ. 50. (κ. 381.) η. 387. θ. 196. 205. ι. 141. (283.) 445. ν. 288. τ. 322. χ. 220. 351. ψ. 346. 592. Od. η. 315. θ. 353. ο. 545. τ. 589. quorum locorum aliquos iam Schaeferus in Meletem. p. 50. s. attulit. Differunt ab his locis ii, in quibus coniunctivus est: qui futuri exacti significationem habent: v. Iliad. β. 364. ι. 412. π. 32. ρ. 39. σ. 91. χ. 349. Od. ε. 417. θ. 355. φ. 383. quibus addendi videntur, coniunctivo restituto, Od. μ. 345. ρ. 556. atque ipsum etiam futurum invenies Iliad. β. 258. ο. 213. ρ. 558. Et sic etiam, ubi *ei* est *an*, hoc quidem discrimine, ut optativus posse aliquid fieri, coniunctivus simpliciter futurum esse indicet. Od. χ. 75.

ἐπὶ δ' αὐτῷ πάντες ἔχουμεν
 ἀθρόοι, εἴ κέ μιν οὐδοῦ ἀπόσομεν ἠδὲ θυράων,
 ἔλθωμεν δ' ἀνὰ ἄστν, βοῆ δ' ὤκιστα γένοιτο.

accurate considerare, vel ubi futura, ut fieri solet, eandem aut similem formam habebunt, utilem iudicare hunc librum voluerint.

an eum limine depulsuri, exitumque inventuri simus, et auxilium ferri possit. Sic optativi exempla habes Iliad. α. 60. Od. μ. 113. s. ξ. 120. coniunctivi Iliad. α. 207. θ. 532. ο. 403. (unde corrigendum λ. 792.) π. 861. χ. 244. (emendatum a Schaefero in add. ad Eurip. Pors. p. 564.) Od. χ. 7. (ubi nunc Wolfius τύχωμι dedit, unde corrigenda Iliad. ε. 279. η. 243.) Od. ρ. 51. (sed mox versu 60. ob tempus praeteritum requiritur τελέσσαι, non secus ac δ. 35. παύσαι: nam Eustathii interpretatio vereor ut admitti possit) ω. 217. ubi ἐπιγνοίη in coniunctivum mutari debet. Ipsum futurum reperies Od. γ. 216. ο. 524. π. 238. futurum et coniunctivum σ. 265. Sed cave Iliad. η. 41. s. optativum e particula ἦν pendere putes: nova enim ibi constructio incipit, hac sententia: *illi vero ipsi tum aliquem ad certamen missuri essent.* Quin etiam cum indicativo aoristi εἴ κεν iunctum invenitur, ut Od. ζ. 282. et aliis in locis apud Schaeferum in Meletem. p. 51. quo clarius intelligi potest, Homericum εἴ κεν usu certe aliud esse quam ἦν, etsi idem est significatione. Hinc recte Schaeferus his exemplis non est usus in Append. ad Bastii epist. crit. p. 26. ubi κἄν pro καὶ εἰάν cum indicativo tueri studet, qua quidem de re non praecripiam, quae Erfurdcius meus admonebit. Homericum quidem sermonem qui non putant ad grammaticas leges exigendum esse, hoc velim meminere, si quibusdam in rebus hic alias leges sequitur, eas non esse nullas, et, si eae leges etiamnum magnam partem latent, id et ab recensionum varietate, et ab eo repetendum esse, quod hae res incredibilem quamdam sibi curam diligentiamque poscunt. Ut hoc utar exemplo, quis non fateatur soloecismi speciem habere hos versus:

ὀπότεροι πρότεροι ὑπὲρ ὄρκια πημήνεια,
ὦδε σφ' ἐγκέφαλος χάμαδις ῥέοι, ὡς ὄδε οἶνος.

Non potuit tamen quidquam rectius dici. Nam etsi metrum et πημανέουσιν et πημήνωσιν ferebat, neutrum tamen dici poterat, quod utroque modo indicaretur, fore, qui foedus violarent. Hoc vero, quod posuit, idem est

ac si dixisset, *εἰ ποτεροὶ πρότεροι ὑπὲρ ὄρνια πημή-
νειαν, utinam male pereant, si qui priores foedus vio-
lent.* Hinc non raro, ubi nihil vitii est, doctis viris orta
dubitatio: ut quum Schaeferus in Melet. p. 109. in Ho-
merico hymno Cereris v. 274. verba ὄρνια ὑποθήσομαι,
ὡς ἂν ἐμὸν νόον ἰλάσκοισθε, soloecismo foedari putabat.
Quo in loco optativus, quem codex habet, servatus est
etiam a Wolfio, ob rationem illam, quam supra iam te-
tigi, quaeque satis ex tali loco, qualis hic est Od. μ. 156.
perspici poterit:

ἀλλ' ἐρέω μὲν ἐγὼν, ἵνα εἰδότες ἦ καὶ θάνωμεν,
ἢ κεν ἀλευάμενοι θάνατον καὶ κῆρα φύγοιμεν.

Sic optativus recte positus est Iliad. η. 342. θ. 291. κ.
166. 171. ρ. 640. Od. β. 53. σ. κ. 434. π. 257. ω.
532. Posset optativus etiam Od. ι. 356. κ. 341. de-
fendi, ubi nuper coniunctivo cessit. Defendi posset
etiam ν. 402. ubi tamen cum Schaefero ad Eurip. Pors.
p. 564. coniunctivum praeferam, reponendum etiam Iliad.
γ. 436. (fortasse etiam ε. 215. quamquam ibi defendi
potest optativus, si locus sic intelligatur, ut Od. π.
103.) ζ. 432. ι. 245. 397. ψ. 487. Od. ξ. 183. 184.
(de quo loco iam monuit Schaeferus ad Eurip. Pors.
p. 564.) ρ. 250. Defendi poterit optativus etiam Iliad.
η. 340. κ. 307. Od. δ. 600. η. 33. ο. 21. quamquam
non ubique eodem modo. Defendendus videtur etiam
Iliad. ψ. 494. Od. ζ. 286. contra Schaeferum in Melet.
p. 122. s. ac necessario defendendus est Od. α. 47.
quem locum ibidem sollicitavit Schaeferus. Contra con-
20 iunctivus recte post praeterita, certis quidem conditio-
nibus usurpatur, ut Iliad. δ. 485. ε. 128. κ. 225. Od.
γ. 320. Defendi potest Iliad. π. 100. sed praetulerim
tamen cum aliis libris optativum. Hic, opinor, aliquan-
do coniunctivum etiam ex his locis expellet: Iliad. β. 4.
δ. 230. ε. 567. ν. 649. ξ. 522. ο. 23. 598. π. 650.
ω. 581. Od. γ. 2. ι. 102. κ. 24. π. 369., quibus adde
ι. 377. σ. 348. υ. 286. ex quibus locis, quorum emen-
dationem occupatam video a censore Homeri editionis

Wolfianae in Diar. litt. Ienens. 1809. n. 247. p. 154. rarior optativi forma, *δῦιη*, *ἀναδῦιη*, ut *φῦιη*, quod alibi Theocrito a me vindicatum, nunc etiam Buttmannus in Gr. gr. p. 309. commemoravit, recipietur aliquando in verbi temporum modorumque enumerationem. Quod si quis me temerius sentire de constituenda Homeri lectione putabit, is si consideraverit, quantum in hoc genere vel duae postremae Wolfii editiones discrepent, mutabit spero sententiam. Quin his ipsis locis, quos modo dixi emendandos mihi videri, aliquot alios adiciere debuissim, nisi novissima editio occupasset, quae in schedis meis dudum reposita habebam.

DE CANTICO IN ROMANORVM FABVLIS SCENICIS DISSERTATIO *).

3 Quid Romani in tragoediis et comoediis canticum appellassent, satis videbatur constare, quum Car. Aug. Boettigerus, vir celeberrimus, in dissertatione de quattuor aetatibus rei scenicae apud veteres, quam Vimariae a. MDCCCXCVIII. edidit, p. 15. novam de ea re opinionem afferret. Cuius viri quo maior est in his rebus auctoritas, tanto minus mirer, si multis persuaserit. Me quidem si in his non esse profiteor, ipse, quae est eius comitas, dissentientem facile feret; aliis autem non ingratum fortasse fecero, si ostendero, cur ab eo dissentiendum putem. Sic autem ille statuit, finito quoque actu actorem primarium ad tibiam saltando spectatores oblectasse, idque vocatum esse canticum. Atque hoc quidem non est dubium, quin finito actu, ante quam rursus in scenam histriones prodirent, interdum tibicen cantu tibiae aliquod spectatoribus oblectamentum exhibuerit: produxitque in eam rem Boettigerus idoneum testem, Plautum, qui in Pseudolo l. 5, 160. sic dicit:

Tibicen vos intereu hic delectaverit.

Nihil tamen ex hoc loco aliud collegerim, quam, quod dixi, interdum hoc factum videri. Aliud, sed diversi ge-

*) Edita est a. 1811.

neris exemplum, in Sticho est, actu V. scena 4, 5, et 6. Sed habet Boettigerus alium auctorem, Donatum, qui in argumento Terentii Andriae p. 85. ed. Westerh. sic scribit: *est igitur attente animadvertendum, ubi et quando scena vacua sit ab omnibus personis, ut in ea chorus vel tibicen audiri possit: quod quum viderimus, ibi actum esse finitum debemus agnoscere.* Hic vero nescio an etiam infirmet Boettigeri sententiam. Quum enim chori mentionem faciat, hoc videtur dicere, ubi in Latinis fabulis scena a spectatoribus vacua sit, ut, si istae Graecae essent fabulae, chorus vel tibicen audiri possit, ibi actum finitum debere intelligi. Certe quum tibicinem⁴ commemoraret, respicere potuit *διαύλιον*. Scholiastes Aristophanis ad Ran. 1282. quem ipsum locum non neglexit Boettigerus: *φασί δὲ διαύλιον λέγεσθαι, ὅταν ἡσυχίας πάντων γενομένης, ἔνδον ὁ αὐλητῆς ᾄσῃ.* Quamquam hoc incertum est. Ut sit, illud certe e Donati verbis non videtur colligi posse, apud Romanos semper finito actu auditum esse tibicinem. Nam quid est, quod Vitruvius, qui in praefatione ad libr. V. de archit. sic scribit: *Graeci quoque poetae comici, interponentes e choro canticum, diviserunt spatia fabularum: ita partes cubica ratione facientes, intercapedinibus levant actorum pronunciationes:* quid est, quod hic Graecos tantum comicos, non etiam Latinos commemorat? Sed aliud affert Boettigerus. In Terentii Heautontimorumenon in fine scenae secundae (primam dicere volebat) actus quinti Menedemum intro abire, ut filio Chremetis animum patris declaret, et, quum interea Chremes duo versiculos loquutus esset, redire cum huius filio, rebus omnibus transactis. Quod quoniam parum verisimile videatur, hic putat intercessisse canticum, ab actore primario ad tibiam saltatum. Quid vero, quum ibi non finiatur actus? immo, quum ibi tibicen ne potuerit quidem canere? Videamus ipsa Terentii verba.

ME. Itane vis? CH. ita. ME. fiat. CH. ac iam, uxorem ut accersat, paret.

Hic ita, ut liberos est aequom, dictis confutabitur.

*Sed Syrum. ME. quid eum? CH. egone? si vivo,
adeo exornatum dabo,
Adeo deperum, ut, dum vivat, meminerit semper
mei:*

*Qui sibi me pro deridiculo ac delectamento putat.
Non, ita me di ament, auderet facere haec viduae
mulieri,*

Quae in me fecit.

Hic in medio versu scena finitur, quemadmodum in eiusdem versus medio scena, quae sequitur, incipit. Parum spatii Menedemo ad res intus transigendas relictum esse fateor. At paullo plus ei concedemus. Nunc enim admodum nihil habet, qui postquam illud *quid eum* interrogavit, tamen antequam introiret, audire debuerit, quid responderet Chremes. Cur vero istud *quid eum* interrogat? De Syrone ille hic sollicitus sit, ubi longe alia ei curae cordique sunt? Tu vero tribue haec verba Chremeti, qui ipse se, quid Syro facturus sit, interrogat. Ita Menedemus abierit, postquam Chremes dixerat, *ac iam, uxorem ut arcessat, paret*: satisque temporis habebit, quo rem omnem Clitiphoni paucis exponat: praesertim quum Chremes quinque reliquos versus meditabundus secum loquatur. Iam quaero, ubi hic tibicinis cantui locus sit? Vtrumne statim ut Menedemus abiit? At quis hoc ferat, Chremetem iram indignationemque suam differre, donec tibicen spectatores, nihil hic minus quam tibiae cantum desiderantes, dicamne delectaverit, an enecuerit? An vero in media Chremetis oratione? Multo mehercule minus. An denique finita ea? At in medio versu? Quin ob id ipsum in medio versu finis et initium duarum scenarum conveniunt, ut interpellari a Clitiphone Chremetis sermonem appareat. Facessat ergo hinc tibicen, cui si erat in media aliqua scena tibiis canendum, accommodatior locus monstrari poterat III. l. post v. 98. Cum tibicine ex isto quidem Terentii loco simul, opinor, illum quoque abire iussimus, qui ibi ad tibiam saltasse dicebatur. Sed omnino unde illud, ad cantum tibicinis saltatum fuisse a quoquam, et quidem a primario histrione? De hac salta-

tione, inquit, accipienda sunt verba parum intellecta, quae in didascaliiis fabularum Terentianarum reperiuntur: *egit Ambivius*. Nescio quo argumento hoc dicat, mirorque placere ei interpretationem, quae ab omni verisimilitudine abhorreat, displicere illam, quae fieri vix potest quin vera sit. Nam ut tantisper concedamus, in usu fuisse aliquam inter actus mimicam saltationem, quis credat eam dignam esse habitam, quae in didascaliiis commemoraretur, quum ne ad ipsam quidem fabulam pertineret; illud autem non fuisse adnotatum, qui histriones primas partes egissent? Et cur duo fere memorantur, qui egerint? ut in *Andria*, in *Eunucho*, in *Heautontimorumeno*, in *Phormione*: *egerunt L. Ambivius Turpio et L. Atilius Praenestinus*. In *Adelphis*: *egere L. Atilius Praenestinus, Minutius Prothymus*. Magis etiam rem declarat *Hecyra*. Ad eius primum prologum v. 1. ita scribit Donatus: *virtute actorum L. Ambivii et L. Turpionis est commendata*. Ex titulo, in quo est, *egit L. Ambivius Turpio: placuit: conicias scribendum esse, virtute actorum, et L. Ambivii Turpionis*, nisi nomen actoris secundarum partium excidit. Idem ad initium secundi prologi: *nam totiens expulsa fabula quomodo honeste revocari potuit in proscenium, nisi primo ipsa impudentia pro fiducia proferretur? deinde actor peritissimus ipse Ambivius probaret et poetam et comoediam, cuius auctoritas elucet ex verbis?* Sed quid Donato auctore utor, quum ipse in eo prologo *Ambivius v. 31. de se testimonium edat?*

*Primo actu placeo: quum interea rumor venit,
Datum iri gladiatores, populus convolat,
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco:
Ego interea meum non potui tutari locum.*

Haec, opinor, nihil dubitationis relinquunt, quid sit illud, *egit Ambivius*.

Sed progrediamur. De eadem ista mimica saltatione, quae inter actus exhibita fuerit, haec quoque didascaliarum verba, *modos fecit Flaccus*, intelligenda

putat Boettigerus, et ita quidem, ut Flaccum pythaulen fuisse existimet. Huic quoque opinioni auctorem adhibet Donatum, cuius e libello de tragoedia et comoedia haec verba profert: *diverbia histriones pronunciabant: cantica vero temperabantur modis non a poeta, sed a perito artis musicae factis.* Quae sit huius argumenti vis, non perspicio: nisi si ita ratiocineris, quoniam inter actus tibicen cecinerit, hos modos fecisse Flaccum. At non ante sic liceret concludere, quam ubi haec tria demonstrata essent, primo, tibicinem non aliter in comoedia, nisi inter actus, auditum esse; deinde hunc tibicinis cantum vocatum esse canticum; denique modos facere esse canere tibia. Haec omnia secus esse, infra apparebit. Nunc illud quaeram, quo iure Flaccus pythaulen habeatur. Non infitior, periti tibicinis mentionem fieri in didascalii potuisse. Tamen multo veri similis videtur, non tibicinem, sed, quem Donatus dicit artis musicae peritum, qui modos tibicini praescripserit, intelligendum esse. Et sic hoc interpretati sunt etiam Salmasius ad Scriptt. Hist. Aug. p. 70. et du Bos in meditationibus de poesi et pictura vol. III. p. 180. aliique. Ac nisi haec vera interpretatio esset, prorsus inepte Donatus poetae mentionem iniecisset, modos non a poeta, sed a perito artis musicae factos dicens. Pergit vero ille sic: *neque enim omnia iisdem modis in uno cantico agebantur, sed saepe mutatis: ut significant, qui tres numeros in comoediis ponunt, qui tres continent mutatos modos cantici illius. Qui huiusmodi modos faciebant, nomen in principio fabulae et scriptoris et actoris superponebant. Huiusmodi adeo carmina ad tibias fiebant, ut his auditis multi ex populo ante discerent, quam fabulam acturi senici essent, quam omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronunciaretur* *). Haec non usque quaque

*) Tractarunt hunc locum G. A. B. Wolffius in libello de actibus et scenis p. 19. et A. G. Langius in Vindiciis tragoediae Romanae p. 44. qui vidit scribendum esse interpunctione mutata: *Illius, qui huiusmodi modos faciebat, nomen* etc.

aut plana aut mendo vacua sunt. Quod dicit, tres numeros, qui mutatos modos cantici contineant, in comoediis poni solitos esse, vix aliter potest intelligi, quam ut iis cantici versibus, in quibus mutabantur modi, adscriptos putemus numeros I. II. III. Simile quiddam commemorat in praefatione ad Eunuchum his verbis: *saepe tamen mutatis per scenam modis cantica mutavit: quod significat titulus scenae, habens subiectas personis litteras M. M. C.* Itaque ei scenae, in qua canticum esset mutatis modis, litterae M. M. C. quae mutari modos cantici indicarent, praemittebantur, quod etiam Salmasio placet ad Scriptt. H. A. p. 495. ipsi autem cantico, si recte conii- cio, suis locis addebantur numeri I. II. III. ut, ubi fieret ista mutatio, intelligeretur. Quod inde dicit, qui huius- cemodi modos fecerint, nomen in principio fabulae et scriptoris et actoris superposuisse, nemo non sentiet, scri- ptorem non satis apte de poeta intelligi posse. Hoc enim ad fabulam totam, non ad modos pertinebat: neque qui modos faciebat, curare opus habebat, cuius poetae ea fabula esset, sed illud erat indicandum, quis modos fe- cisset, et quis actor canticum, cui facti erant modi, saltaret. Quare scriptor dici videtur ille artis musicae pe- ritus, qui modos fecerit: nec, si recte sentio, aliud quid- quam continetur Donati verbis, quam in principio fabulae adscriptum fuisse id ipsum, quod in titulis ordine inver- so legimus: *egerunt L. Ambivius Turpio, L. Atilius Praenestinus: modos fecit Flaccus.* Neque repugnant reliqui loci, in quibus Flacci mentionem facit Donatus: in praefatione ad Eunuchum: *item modulante Flacco Claudio tibiis dextra et sinistra, ob iocularia, multa permixta gravitate.* Et in praefatione ad Hecyram: *modu- latus est eam Flaccus Claudius tibiis paribus.* Et in prae- fatione ad Phormionem: *modos faciente Flacco Claudii f. tibiis Serranis.* Nam *modos fecit et modulatus est* signifi- cat *ἔμελοποίησεν*, ut recte iudicavit Salmasius ad Scriptt. H. A. p. 70. Cicero de Or. III. 26. 102. *neque id actores prius viderunt, quam ipsi poetae, quam denique illi etiam, qui fecerunt modos, a quibus utrisque summitti-*

tur aliquid, deinde augetur, extenuatur, inflatur, variatur, distinguitur. Sed redeo ad Donati locum, de quo disputabam. Ac reliqua verba ut nunc leguntur, tam sunt inepta, ut dubitari non possit, quin corrupta sint. Nam quis credat ante ipsum fabulae initium unquam carmen aliquod ex ea fabula ad tibiam cantatum esse? Potius hoc equidem Donatum dicere arbitror, usitatum fuisse, ut ante quam histriones in scenam prodirent, immo ante quam fabulae titulus pronunciaretur, tibicen tibia modos caneret eos, qui deinde canticis essent adhibendi. Quare sic scribendum puto: *huiusmodi adeo carmina assis tibiis fiebant, ut his auditis multi ex populo ante discerent, quam fabulam acturi scenici essent, quam omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronunciaretur.* De ista tituli pronuntiatione, in qua nunc fabulae, nunc poetae nomen primum locum tenebat, idem Donatus in praefatione ad Andriam: *pronunciataque est Andria Terenti, ob incognitum adhuc nomen poetae, et minoris apud populum auctoritatis ac meriti.* Et in praefatione ad Eunuchum: *haec edita tertium est, et pronunciata Terenti Eunuchus, quippe iam adulta commendatione poetae, ac meritis ingenii notioribus populo.* Et in praefatione ad Adelphos: *hanc dicunt ex Terentianis secundo loco actam, etiam tum rudi nomine poetae. Itaque sic pronuntiatam, Adelphoe Terenti, non Terenti Adelphoe, quod adhuc magis de fabulae nomine poeta, quam de poetae nomine fabula commendabatur.*

Apertum iam esse arbitror, nec Flaccum pythaulen fuisse, et tibicinem cecinisse, ante quam ullus in scena actor apparuisset. Nunc videamus, quid canticum sit. Diomedes libro III. p. 489. *membra comoediarum tria sunt: diverbium, canticum, chorus.* Et statim: *diverbia sunt partes comoediarum, in quibus diversorum personae versantur.* Tum paullo post: *in canticis autem una tantum debet esse persona, aut, si duae fuerint, ita debent esse, ut ex occulto una audiat, nec colloquatur, sed secum, si opus fuerit, verba faciat.* Et deinde: *Latinae vero comoediae chorum non habent,*

*sed duobus tantum membris constant, diverbio et cantico. Et p. 488. Latine fabulae appellantur, sive fatibulae. In Latinis enim fabulis plura sunt cantica, quae canuntur. Vel haec satis docent, cantica, quae fere idem erant, quod apud Graecos ἀπὸ σκηρῆς vocabatur, partes ipsarum fuisse fabularum, non saltationem ad tibiam, quae inter actus spectatorum oblectandorum caussa exhiberetur. Confirmant hoc etiam haec Donati, in praefatione ad Andriam: *diverbiis et canticis lepide distincta est: ad Eunuchum: *diverbia multa saepe pronunciata, et cantica saepe mutatis modis exhibita sunt: ad Hecyram: *cantica et diverbia summo in hac favore suscepta sunt: ad Phormionem: *totaque diverbiis facetissimis et gestum desiderantibus scenicum, et suavissimis ornata canticis fuit.*****

Haec omnia apertum est sic dici, ut partes fabularum, et quidem quae non solo gestu, sed etiam oratione et cantu constiterint, intelligi debeant. Addam his Quintilianum XI. 3. 167. *pleniore tamen haec canali fluunt, vos, Albani tumuli atque luci: nam cantici quiddam habent, sensimque resupina sunt: saxa atque solitudines voci respondent.* Hoc quoque loco iam usus est du Bos in meditationibus de poesi et pictura vol. III. p. 177. Alios duos Quintiliani locos, I. 8. 2. et 10, 23. quorum alterum idem du Bos commemoravit, praetereo, quod in his incertum est, an de scenicis canticis sermo sit. Rectius huc trahi posset canticum a Macrobio Sat. II. 7. commemoratum, cuius clausula fuit, τὸν μέγαν Ἀγαμέμνονα, quod tamen, etsi ex tragoedia sumptum, non in tragoedia ab Hyla, histrione mimico, agebatur. Sed apertius Cicero ad div. IX. 22. *itaque non modo in comoediis res ipsa narratur: ut ille in Demiurgo, modo (forte nosti canticum, meministi Roscium) ita me destituit nudum.* Suetonius Ner. c. 39. *et Datus, Atellanarum histrio, in cantico quodam, ὕγιανε, πάτερ, ὕγιανε, μήτερ, ita demonstraverat, ut bibentem, nutantemque faceret, exitum C. Claudii Agrippinaeque significans; et in novissima clausula, Orcus vobis ducit pedes, senatum gestu notaret.*

10 Idem Galb. c. 13. *siquidem Atellanis novissimum canticum exorsis, venit io simus a villa, cuncti simul spectatores consentiente voce reliquam partem retulerunt, ac, saepius versu repetito, egerunt.* Hoc quidem in loco canticum est chori seu catervae. Nam quum a cantu ductum sit hoc nomen, per se non indicat, utrum unius an plurium cantus intelligatur. Itaque Vitruvius, cuius locum supra attuli, *e choro canticum dixit*, carmen a choro cantatum significans. Sic etiam Phaedrus fab. V. 7. 25.

*Tunc chorus ignotum more docto canticum
Insonuit, cuius haec fuit sententia:
Laetare incolumis Roma, salvo principe.*

Sic etiam v. 31. Inde *cantores* de caterva apud Cicero-
nem pro P. Sextio c. 55. qui Graecis *χορευται*. Sed
quum in tragoediis et comoediis apud Romanos unus tan-
tum caneret, isque solus secum aliquid, non cum aliis,
loquens, factum est, ut canticum saepissime de *μονωδιᾷ*
diceretur, quo vocabulo usus est Donatus, canticum signi-
ficans, ad Terentii Hec. V. 3, 18. Operae pretium fa-
ceret, qui cantica in Terentii Plautique fabulis a diverbiis
distingueret, quod in Plauto plerumque facilius est, quam
in Terentio.

Satis demonstrasse mihi videor, cantica et partes
ipsarum fuisse fabularum, neque oratione et vocis cantu
caruisse. Tamen nondum otium nobis facit Boettigeri
disputatio. Nam hic, quum illud Plauti, de quo supra
dictum est, commemorasset,

Tibicen vos interea hic delectaverit,

*hinc, inquit, etiam intelligi posse puto, quid in scena
actitaverit Roscius ille, summus aetate Ciceronis arti-
fex, et gestuum mira varietate et veritate laudatissi-
mus, quid Aesopus, quid alii tragoedi et comoedi tunc
temporis nobilissimi. Aluit Roscius, ut ex oratione Ci-
ceronis pro eo novimus, gregem histrionum, quibus ipse
monstraret gestus et artem histrioniam. Quotiescumque*

*igitur operam suam aedilibus aliisque ludorum scenico-
rum editoribus locaret, ipse, quod summum in arte
eius habebatur, egit cantica ad tibicinem, diverbiis
sive dialogis gregi suo relictis. Ipsa posui viri celeberrimi
verba, quo ne dubium esset lectoribus, Roscium
Aesopumque ei visos esse nihil praeter cantica egisse, et 11
haec quoque expressisse tantum gestu, non pronunciassse
aut cecinisse. Non vereor, ne cui hoc credibile videatur,
praesertim recordanti, quae Plutarchus de Cicerone in
vita eius scribit p. 1582. ed. Steph. λέγεται δὲ καὶ αὐ-
τὸς οὐδὲν ἤττον νοσήσας τοῦ Δημοσθένους πρὸς τὴν
ὑπόκρισιν, τοῦτο μὲν Ῥωσκιῶ τῷ κωμωδῷ, τοῦτο δ'
Αἰσώπῳ τῷ τραγῳδῷ προσέχειν ἐπιμελῶς. At, inquis,
habebat fortasse vir doctissimus, quae pro sua illa opi-
nione afferret. Videamus. Vtrumne haec Ciceronis pro
Archia 8. 17. *quis nostrum tam animo agresti ac duro
fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur? qui
quam esset senex mortuus, tamen propter excellentem
artem ac venustatem videbatur omnino mori non de-
buisse. Ergo ille corporis motu tantum amorem sibi
conciliarat a nobis omnibus: nos animorum incredibiles
motus celeritatemque ingeniorum negligemus? Sane ita
hic loquitur Cicero, ac si omnis Roscii ars in solo corporis
motu posita fuisset. Verum quis non intelligat, in histri-
one, praesertim si cum poeta comparetur, gestum magis,
quam quidquam aliud, laudari debuisse? An hoc afferret
eiusdem Ciceronis in III. de orat. 26. 102. *numquam agit
hunc versum Roscius eo gestu, quo potest,***

*Nam sapiens virtuti honorem praemium,
haud praedam, petit,*

sed ubiicit prorsus, ut in proximos,

*Et quid video, ferro septus possidet
sedes sacras,*

*incidat, adspiciat, admiretur, stupescat. Quid ille
alter:*

Quid petam praesidi? .

quam leniter, quam remisse, quam non actuose. Instat enim,

O pater, o patria, o Priami domus, in quo tanta commoveri actio non posset, si esset consumpta superiore motu et exhausta. At licebit monere, agere actorem dici etiam ea, quae cum motu gestuque aliquo pronunciat. Diomedes p. 488. nam et a gi fabula, non referrī ab actoribus dicitur. An denique hoc proferet ex I. de or. 60. 254. solet idem Roscius dicere, se, quo plus sibi aetatis accederet, eo tardiores 12 tibicinis modos et cantus remissiores esse facturum. Cum quo loco alius congruit de legg. I. 4. 11. quemadmodum Roscius, familiaris tuus, in senectute numeros in cantu leniverat (sic fortasse pro cecinerat scribendum) ipsasque tardiores fecerat tibias. Haec vero per se sola non multum probatura essent, quum neque aperte indicetur, cecinisse aliam, quam ipsum histrionem, neque, si ita factum est, non egisse eum diverbia appareat. Sed accedit fortasse aliquid ponderis ex his locis. T. Livius VII. 2. Livius post aliquot annos, qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere, (idem scilicet, id quod omnes tum erant, suorum carminum actor) dicitur, quum saepius revocatus vocem obtudisset, venia petita puerum ad canendum ante tibicinem quum stauisset, canticum egisse aliquanto magis vigenti motu, quia nihil vocis usus impediēbat: inde ad manum cantari histrionibus coeptum, diverbiaque tantum ipsorum voci relicta. Valerius Maximus II. 4, 3. de eodem Livio: isque sui operis actor, quum saepius a populo revocatus vocem obtudisset, adhibito pueri et tibicinis concentu, gesticulationem tacitus peregit. Lucianus de saltatione c. 30. T. II. p. 286. πάλαι μὲν γὰρ αὐτοὶ καὶ*

*) Muretus (orat. 19. vol. II. p. 385.) in Cicerone legerat *inciderat*, quod non probaverim. Multo minus *ceciderat*, quod multi libri habent, ut id sit a *cadere* dictum, ferri potest. Melius conveniret *inciderat*.

ἦδον καὶ ὠρχοῦντο· εἶτ', ἐπειδὴ κινουμένων τὸ ἄσθμα τὴν ὠδὴν ἐπετάραττον, ἄμεινον ἔδοξεν ἄλλους αὐτοῖς ὑπάδειν. Gellius XX. 3. *Sicinnium genus veteris saltationis fuit. Saltabundi autem canebant, quae nunc stantes canunt. Isidorus Orig. XVIII. 44. orchestra autem pulpitus erat scenae, ubi saltator agere pòsset, aut duo inter se disputare. Ibi enim poetae comoedi et tragoedi ad certamen conscendebant, iisque canentibus alii gestus edebant.* Alium locum Eusebii in chronico p. 155. *Pylades Cilix pantomimus, quum veteres ipsi canerent et saltarent, primus Romae chorum et fistulam sibi praecinere fecit, accurate tractavit Salmasius ad Scriptt. H. A. p. 491 — 504. ostenditque alio spectare, quam ad hunc morem, de quo Livius et Valerius Maximus loquuntur. Ex his vero luce clarius apparet, histriones diverbia pronunciasse, cantica autem egisse tantum, canente alio. Et, si hic mos, ut ex Livii verbis videtur colligi posse, semper observatus est, hoc certe extra dubitationem erit positum, Roscium Aesopumque cantica tacentes egisse, sive saltasse. Saltare enim tragoediam dicitur, qui gestus agit; cantare, qui versus canit. Vnde saltare proprium est histrionis, cantare cantoris. Distincte de utraque re loquitur Suetonius in Caligula c. 54. *idem cantor, atque saltator.* Et statim: *canendi ac saltandi voluntate ita efferebatur, ut ne publicis quidem spectaculis temperaret, quo minus et tragoedo pronuncianti concineret, et gestum histrionis, quasi laudans vel corrigens, palam effingeret.* Idem in Nerone c. 46. *observatum etiam fuerat, novissimam fabulam cantasse eum publice, Oedipodem exsulem, atque in hoc desiisse versu:**

θανεῖν μ' ἄνωγε σύγγαμος, μήτηρ, πατήρ.

Sed haec iam accuratissime exposuit Salmasius ad Scriptt. H. A. p. 352. et 503. Alia vero hic oritur quaestio, semperne cantica ab aliis cantata fuerint, quam a quibus gestu exprimerentur, an interdum etiam histriones ipsi simul et saltaverint et cantaverint fabulam. Hoc postremum

colligas fortasse ex his Suetonii verbis in Nerone c. 21. *tragoedias quoque cantavit personatus. Inter caetera cantavit Canacem parturientem, Oedipodem excaecatum, Herculem insanum. In qua fabula fama est tirunculum militem, positum ad custodiam aditus, quum eum ornari ac vinciri catenis, sicut argumentum postulabat, videret, accurrisse ferendae opis gratia. At hic quidem, ut praecedentia docent, et Dio Cassius in fine libri XLI. de citharoedis sermo est, cantica e Graecis fabulis cantantibus. Eodemque Plinii locus spectat in Hist. Nat. XXXVII. 2. sect. 7. quem recte explicuit Casaubonus ad Suetonii locum. Sed Horatius aperte cantorem et histrionem eundem esse significat, quum dicit,*

donec cantor, vos plaudite, dicat.

Sunt, qui eodem referant etiam haec Ciceronis in orat. pro P. Sextio c. 55. *nam quum ageretur togata, Simulans, ut opinor, caterva tota, clarissima concione in ore impuri hominis imminens concionata est, huic vitae tuae, et, post principia atque exitus vitiosae vitae. Sedebat exanimatus: et is, qui antea cantorum convicio conciones celebrare suas solebat, cantorum ipsorum vocibus eiiciebatur.* Sed de hoc loco quid sentiam, supra indicatum est. Quin fateor potius, nihil dum me reperisse, unde certo intelligi posset, histrionem cantica interdum etiam cecinisse. In quam rem mox proferam locum Ciceronis non minus memorabilem, quam quae supra e III. de or. 26. 102. attuli, ubi de Aesopo canticum agente sic loquitur, ut non sine causa
 14 solum gestum, non etiam vocem cantumque commemorare videatur. Sed priusquam istuc veniam, illud non est praetereundum, quod Boettigerus Roscium Aesopumque non nisi cantica egisse, diverbia autem gregibus suis reliquisse dicit. Quis enim, etiam si omnes ea de re scriptores tacerent, sibi persuadeat, Ballionem et Aiacem in canticis ab Roscio et Aesopo, in diverbiis ab alio ignobiliore actore actum esse? quis, ut caetera praeteream, non videat, si qua scena, ut saepe, e cantico in diver-

bium abibat, non potuisse actorem, finito cantico, sine summa offensione spectatorum de medio tolli, aliumque eius loco Ballionem vel Aiacem suffici? Quod si opus est in re per se minime dubia testes afferre, apertum faciam, et Roscium et Aesopum etiam diverbia non solum egisse, sed etiam pronunciasse. Cicero de off. I. 31. 114. *ne scenici plus quam nos videantur habere prudentiae. Illi enim non optimas, sed sibi accommodatissimas fabulas eligunt; qui voce freti sunt, Epigonos, Medumque; qui gestu, Melanippam, Clytaemnestram: semper Ruppilius, quem ego memini, Antiopam; non saepe Aesopus Aiacem.* Idem de or. I. 27. 124. *caeterarum homines artium spectati et probati, si quando aliquid minus bene fecerint, quam solent, aut noluisse, aut valetudine impediti non potuisse consequi id, quod scirent, putantur. Noluit, inquit, hodie agere Roscius; aut crudior fuit.* Et c. 61. 258. *itaque nos raucos saepe attentissime audiri video: tenet enim res ipsa atque causa; at Aesopum, si paulum irrauserit, explodi.* Et II. 46. 193. *quid potest esse tam fictum, quam versus, quam scena, quam fabulae? tamen in hoc genere saepe ipse vidi, quum ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur, spondalia illa dicentis:*

*Segregare abs te ausus, aut sine illo
Salamina ingredi?
Neque paternum adspectum es veritus?*

Numquam illum adspectum dicebat, quin mihi Telamon iratus furere luctu filii videretur. At (sic scribe) idem inflexa ad miserabilem sonum voce,

*quem aetate exacta indigem
Liberum lacerasti, orbasti, exstincti;
neque fratris necis,
Neque gnati eius parvi, qui tibi in tutelam est traditus,*

¹⁵ *flens ac lugens dicere videbatur. Et in epist. ad div. VII. 1. deliciae vero tuae, noster Aesopus, eiusmodi fuit, ut ei desinere per omnes homines liceret. Is irare quum coepisset, vox eum defecit in illo loco, si sciens fallo. Iamne apparet, non mutos in scena stetisse Roscium et Aesopum? Sed non possum, quin moneam, in hoc postremo Ciceronis loco observandum esse ter positum verbum *dicera*. Vnde apparet, non esse haec cantata. Et recte, ut in diverbio Telamonis et Teucri, quod contra, quae in Quaest. Tusc. I. 44. 106. ex cantico quodam deprompta affert, *pressis et flebilibus modis, qui totis theatris maestitiam inferant, concini, septenariis ad tibiam fuis*, narrat. Indidem colligitur, vitiosum vocabulum *spondalia*, neque in *spondialia*, ut videbatur Adr. Turnebo, neque in *spondaulia* *), ut Salmasius volebat, mutari posse: quae coniecturae etiam propter alias causas admitti nequeunt. Codd. praeter vulgatam lectionem etiam *spondali illa* et *spondalli illa* habent. Quod si venia est de loco tam desperato suspicionem aliquam proferenti, facilius mihi persuadeam, litteras *li* vel *lli* errore librariorum ex sequente *illa* natas esse, quum Cicero scripsisset, *e sponda illa dicentis*. Non inepte certe credas Telamonem, *cuius corpus*, ut ipse in illa fabula de se praedicat apud Nonium p. 159. *annisque et aetate putrebat*, quum accepto de filii morte nuncio in lectulo consedisset, e sponda increpare Teucrum; Aesopumque, quod senile corpus ad iram furoremque gestu satis exprimendum vix esse idoneum sentiret, tanto magis sensus istos oculis significasse. Iam denique, quo res conficiatur, illum videamus locum, de quo supra dixi, in oratione pro P. Sextio, c. 56. *Quid fuit illud, quod, recenti nuncio de illo senatusconsulto, quod factum est**

*) Invenitur *spondalium* apud Diomed. p. 472. versu penultimo, quod ipsum Salmasius, et recte sane, *spondaulium* scribendum esse vidit. Sed Cicero si eo verbo usus est, certe non satisfaciunt, quae Osannus attulit in libro quem Germanice de Sophoclis Aiaec scripsit p. 87. seqq.

in templo Virtutis, ad ludos scenamque perlato, consessu maximo, summus artifex, et mehercule semper partium in republica, tamquam in scena, optimarum, flens et recenti laetitia, et misto dolore ac desiderio mei, egit aperte multo gravioribus verbis meam causam, quam egomet de me agere potuissem? Summi enim poetae ingenium non solum arte sua, sed etiam dolore exprimebat: quid enim? qui rempublicam certo animo adiuverit, statuerit, steterit cum Achivis. Vobiscum me stetisse dicebat: vestros ordines demonstrabat: revocabatur ab universis. Re dubia nec dubitarit vitam offerre, nec capiti pepercerit. Haec quantis ab illo clamoribus agebantur, quum iam, omisso gestu, verbis poetae, et studio actoris, et expectationi nostrae plauderetur? Summum amicum, summo in bello, (nam illud ipse actor adiungebat amico animo, et fortassis homines propter aliquod desiderium approbabant) summo ingenio praeditum. Tum illa quanto cum gemitu populi Romani ab eodem paullo post in eadem fabula sunt acta: o pater — Me, me ille absentem, ut patrem, deplorandum putabat, quem Q. Catulus, quem multi alii saepe in senatu patrem patriae nominarant. Quanto cum fletu de illis nostris incendiis ac ruinis, quum patrem pulsum, patriam afflictam deploraret, domum incensam everSAMque, sic egit, ut, demonstrata pristina fortuna, quum se convertisset, haec omnia vidi inflammari, fletum etiam inimicis atque invidis excitaret. Pro dii immortales, quid, illa quemadmodum dixit idem, quae mihi quidem ita et acta et scripta videntur esse, ut vel a Catulo, si revivisset, praeclare posse dici viderentur. Is enim libere reprehendere et accusare populi nonnumquam temeritatem solebat, aut errorem senatus: o ingraticuli Argivi, inanes Graii, immemores benefici. Non erat illud quidem verum: non enim ingrati, sed miseri, quibus reddere salutem, a quo acceperant, non liceret: ne-

que unus in quemquam umquam gratior, quam in me universi: sed tamen illud scripsit disertissimus poeta pro me; egit fortissimus actor, non solum optimus, de me, quum omnes ordines demonstraret, senatum, equites Romanos, universum populum Romanum accusaret: exulare sinitis, sistis pelli, pulsum patimini. Quae tum significatio fuerit omnium, quae declaratio voluntatis ab universo populo Romano in caussa hominis non popularis, equidem audiebamus: existimare facilius possunt, qui adfuerunt. Et, quoniam me huc prorexit oratio, histrio casum meum toties collacrimavit, quum ita dolenter ageret caussam meam, ut vox eius illa praeclara lacrimis impediretur. Neque poetae, quorum ego semper ingenia dilexi, temporum meo defuerunt: eaque populus Romanus non solum plausu, sed etiam gemitu suo comprobavit. Vtrum igitur haec Aesopum potius pro me, aut Attium dicere oportuit, si populus Romanus liber esset, an principes civitatis? Nominatim sum appellatus in Bruto: Tullius, qui libertatem civibus stabiliverat. Millies revocatum est. Iam nemini posthac, spero, in mentem veniet, Roscium Aesopumque diverbia gregibus suis reliquisse, ipsos autem sola egisse cantica, nec vocem eorum 17 *in scena esse auditam; multo minus, canticum dictum esse, si quando tibicen finito actu tibia cecinisset, aut ad istos tibicinis sonos actorem aliquem, et quidem primarum partium, nescio quid mimica saltatione expressisse. Sed illud non est in hoc Ciceronis loco negligendum, quod neque canere usquam dicit Aesopum, neque haec, quae in cantico erant, dicta ab eo, sed, quasi studiose illo verbo abstinens, acta refert. Quo fit, ut certe non labefactetur illud, quod Livius scribit, sola ab histrionibus diverbia pronunciata esse. Illa enim, o pater, et, haec omnia vidi inflammari, ex cantico esse, nisi metra docerent, ipse testatur Cicero in Quaest. Tusc. I. 35. at certe ei melius evenisset, nec tam febiliter illa canerentur,*

*Haec omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari,
Iovis aram sanguine turpari.*

Et III. 19. quum et hos versus, et illos, *o pater*, commemorasset, addit: *praeclarum carmen: est enim et rebus, et verbis, et modis lugubre.*

DISSERTATIO DE PRONOMINE *ΑΥΤΟΣ* *).

I.

De propria significatione pronominis αὐτός.

42 In magno illarum rerum numero, quae quod satis notae videntur, negligi plerumque, neglectae autem nonnumquam errorem parere solent, etiam usus pronominis *αὐτός* est. In cuius pronominis praecipuis significationibus explicandis si quid operae posuero, id non ingratum fore spero his, qui sciunt, nec bonum interpretem, nec probabilem criticum talium quaestionum tenuitate supersedere posse. Atque illud quidem non potest obscurum esse, quum nomen *αὐτός* ex adverbio *αὐτε* ortum sit, propriam eius significationem hanc esse, quasi quis *iteratum* dicat. Hinc apertum est, hoc nomen natura sua pronomen esse, quippe quod per se intelligi nequeat, nisi referatur ad aliquid, quod sit cogitatione iterandum. Itaque sive Graece *αὐτός*, sive Latine *ipse*, sive alia lingua aliter dicas, id proprie nihil aliud significat, quam *hic, de quo loquor*. Qui autem tali pronomine notionem eius rei, de qua loquitur, iterat, is facit hoc eo consilio, ut se quam

*) Edita est in Beckii Actis Seminarii Regii et Societatis philologicae Lipsiensis, vol. I. p. 42. seqq.

maxime de ista re loqui ostendat. Hinc primarius istius **48** pronominis usus in eo versatur, ut rem ab aliis rebus discernendam esse indicet. Itaque *ipse* oppositum habet alium. Ista vero discretio tot modis fieri potest, ut aliqui eorum pene sibi repugnent. Vt quod Polyphemus, quum ab Vlysse excaecatus esset, de patre suo Neptuno praedicat Odyss. ι. 520.

αὐτὸς δ', αἶψ' ἐθέλησ', ἰήσεται, οὐδέ τις ἄλλος:

quod idem est, ac si dixisset *hic solus*. Illud Lucretii vero,

ipse Epicurus obit, decurso lumine vitae,

sic est dictum, ut non solus Epicurus, sed hic pariter cum hominibus omnibus significetur. Atqui hoc quoque in versu Epicurus, ut istic Neptunus, ab aliis discernitur, sed alio modo. Hoc enim dicit Lucretius, *quid alios memorem, quum Epicurus obierit?* Persequar nunc, quae in hoc genere, quod in plurimas partes diffusum est, praecipua reperiuntur, ita quidem, ut in solo Homero consistam, qui quod prima quasi stamina continet, unde omnis contexta est Graecorum oratio, in huiusmodi disputationibus omnibus primum debet locum obtinere.

II.

Αὐτὸς variis distinctionibus inservit.

Ac primo, quum quis *ipse* dicitur, nunc anima intelligi potest, secluso corpore: cuius quidem generis nullum exstat in Homericæ poesi exemplum, sed non prorsus tamen dissimile est illud Odyss. λ. 601.

τὸν δὲ μετ' εἰσενόησα βίην Ἡρακλεΐην,
εἶδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν
τέρπεται ἐν θαλίῃς.

Obiter adiicio, quum in primo horum versuum anastrophen in praepositione admisi, id me scientem fecisse, qui **44** mihi videar demonstrare posse, grammaticorum praepositionem, a qua illi Iliad. σ. 191. ipsi exceptionem sta-

tuunt, esse falsam: vide Schol. Ven. ad Iliad. β. 150. σ. 191. 400. Gazam p. 349 ed. Bas. 1541. Neophytum in commentariis ad Gazam p. 1064., qui nescio unde ex Dionysio periegeta exemplum afferat, quod Homeri est Iliad. σ. 400. Nunc corpus intelligitur, animae oppositum, ut in illo:

πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν
ἠρώων· αὐτοὺς δὲ ἐλώρια τεῦχε κύνεσσιν.

Saepe opponitur is, qui ipse dicitur, iis rebus, quas ipse habet: Iliad. α. 46.

ἔλλαγγαν δ' ἄρ' οἴστοι ἐπ' ὤμων χωομένοιο,
αὐτοῦ κινηθέντος.

Od. τ. 329. et 332.

ὃς μὲν ἀπηγῆς αὐτὸς ἔη, καὶ ἀπηγέα εἰδῆ,
ὃς δ' ἂν ἀμύμων αὐτὸς ἔη, καὶ ἀμύμονα εἰδῆ.

π. 387.

εἰ δ' ὑμῖν ὄδε μῦθος ἀφανδάνει, ἀλλὰ βόλεσθε
αὐτόν τε ζώειν, καὶ ἔχειν πατρώϊα πάντα.

Ita in vexato illo loco, Iliad. λ. 49. (vide etiam μ. 77.)

αὐτοὶ δὲ πρυλῆες σὺν τεύχεσι θωρηχθέντες
ῥῶοντο,

hic sensus est: equis suis aurigisque relictis, ipsi pedestrem pugnam ciebant. Iliad. κ. 570.

νηὶ δ' ἐνὶ πρύμνῃ ἕναρα βροτόεντα Δόλωνος
θῆκ' Ὀδυσσεύς, ὄφρ' ἱρὸν ἐτοιμασσαίαιτ' Ἀθήνη·
αὐτοὶ δ' ἰδρῶ πολλὸν ἀπενίζοντο θαλάσση.

ψ. 291.

ἵππους δὲ Τρωοὺς ἕπαγε ζυγόν, οὓς ποτ' ἀπηύρα
Αἰνεϊαν· ἀτὰρ αὐτὸν ὑπεξεσάωσεν Ἀπόλλων.

Sic etiam ζ. 40. 42., ubi observanda distinctio αὐτῶ μὲν, 45 αὐτὸς δέ, et ν. 25., ubi notanda inversio, χρυσὸν δ' αὐτὸς ἔδυνε, pro αὐτὸς δὲ χρυσὸν ἔδυνε. Similis inversio est Od. ρ. 124.

ὦ πόποι, ἦ μάλα δὴ κρατερόφρονος ἀνδρὸς ἐν εὐνῇ
ἠθέλον εὐνηθῆναι, ἀνάγκιδες αὐτοὶ εἶντες.

Saepe distinguuntur ii, quibuscum aliquis esse solet: Iliad.
ε. 460.

ὡς εἰπὼν, αὐτὸς μὲν ἐφέξετο Περγὰμω ἄκρη·
Τρῳᾶς δὲ στίχας οὖλος Ἄρης ὤτρυνε μετελθῶν.

θ. 4.

αὐτὸς δέ σφ' ἀγόρευε, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἄκουον.

τ. 302.

αὐτὸν δ' ἀμφὶ γέροντες Ἀχαιῶν ἠγερέθοντο,

ubi Achilles a familiaribus suis distinguitur. Aut quae
circa sunt: Od. γ. 170.

ἦ καθύπερθε Χίοιο νεοίμεθα παιπαλοέσσης,
νήσου ἐπὶ Ψυρίης, αὐτὴν ἐπ' ἀριστέρ' ἔχοντες,

Chium. Est etiam, ubi totum parti opponitur: Iliad. η.
474.

ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτῆσι βόεσσιν.

Quin per idem pronomem eadem persona sibimet ipsi op-
ponitur, ita quidem, ut aliquid alius rei adiumento, ali-
quid ipsa facere dicatur. Vide Iliad. θ. 75. ρ. 48. In-
terdum paullo obscurior, ut Od. ζ. 328.

τοῦ δ' ἔκλυε Παλλὰς Ἀθήνη·

αὐτῷ δ' οὐπω φαίνεται ἑναντίη.

Preces eius, inquit, audivit: ipsi vero non est causa in
conspectum venire. Iliad. ι. 449.

ὄς μοι παλλακίδος πέρι χῶσατο καλλικόμοιο,
τὴν αὐτὸς φιλέεσκεν:

ipse eam amabat, neque ab aliis volebat amari.

III.

Αὐτὸς significat vel, adeo, statim. *Indicat caritatem.*
Adverbium αὐτοῦ.

Alia ratio est, quum quid propterea, quia vel omni-
no, vel pro praesenti rerum statu praecipuum habetur, 46
ab aliis rebus distinguitur. Iliad. ζ. 450.

ἀλλ' οὐ μοι Τρώων τόσσον μέλει ἄλγος ὀπίσσω,
οὔτ' αὐτῆς Ἐκάβης, οὔτε Πριάμοιο ἀνακτος,
οὔτε κασιγνήτων.

Vide Odyss. ξ. 98. π. 251. 303. τ. 376. φ. 109. χ. 425. Hinc frequentissime cum deorum nominibus αὐτὸς iungitur: ut Iliad. β. 309. 827. δ. 167. ε. 51. 338. 433. ι. 445. κ. 329 μ. 27. 234. 236. ν. 58. 319. ξ. 54. ο. 610. π. 690. ρ. 178. 322. σ. 371. φ. 215. ω. 140. 360. Odyss. α. 384. γ. 76. δ. 181. ζ. 188. λ. 139. μ. 38. ν. 323. 387. ξ. 273. 310. 348. 357. π. 197. τ. 396. υ. 202. ψ. 185. ω. 401. hymn. Ven. 152. Ab hac significatione non multum deflectit illa, qua id indicatur, quod ante alias res memorabile accidit, ita ut per *vel* aut *adeo* exprimi possit, ut Iliad. μ. 429., ubi poeta multos vulneratos esse dicit διαμπερές ἀσπίδος αὐτῆς. Et β. 597.

στεῦτο γὰρ εὐχόμενος νικησέμεν, εἶπερ ἂν αὐταὶ
Μοῦσαι αἰδοίεν.

Hinc usurpatur etiam, quum quid quasi de industria sic, neque aliter se habet: quod nos *gleich* vel *gerade* dicimus: Iliad. ν. 614.

ἦτοι ὁ μὲν κόρυθος φάλον ἤλασεν ἵπποδασειῆς
ἄκρον ὑπὸ λόφον αὐτόν.

Non multum abludit illa ratio, quum hoc pronomem addita praepositione σὺν celeritatis significandae caussa usurpatur: Iliad. ι. 193.

ταφῶν δ' ἀνόρουσεν Ἀχιλλεὺς
αὐτῇ σὺν φόρμιγγι·

i. e. *statim*, ut erat, cum cithara: vide Schol. ad σ. 392. Sic etiam ξ. 498. Od. ν. 118. Idem quomodo sine ista praepositione dicatur, ostendi in dissertatione de ellipsi et pleonasmo in Graeca lingua p. 164. Exempla apud Homerum inveniuntur Iliad. θ. 24. 290. ι. 542. λ. 699. 47 υ. 482. ψ. 8. Odyss. θ. 186. ξ. 77. υ. 219. φ. 54. hymn. Merc. 69. 84. Euripides in Hippolyto υ. 1202.

μάρπτει δὲ χερσὶν ἠγίας ἀπ' ἄντυγος,
αὐταῖσιν ἀρβύλασιν ἀρμόσας πόδα·

simulatque in curru constitit,prehendit habenas. Huc pertinet usus adverbii *αὐτοῦ*, quod quum proprie hoc ipso in loco significet, saepius tamen de tempore dicitur, ut sit pene idem quod *αὐτίκα*. Nos *auf der Stelle*. Eandem significationem infra in adverbii *αὐτως* et *ὡς* videbimus.

Alius apud Homerum usus nominis *αὐτός* ille est, quum significandae caritatis caussa aliquis ipse aliquid fecisse dicitur: Iliad. ε. 734. et θ. 385.

*πέπλον μὲν κατέχευεν ἑανὸν πατρὸς ἐπ' οὐδει,
ποικίλον, ὃν ῥ' αὐτὴ ποιήσατο καὶ κάμε χερσίν.*

ο. 198. οὐς τέκεν αὐτός. Odyss. ξ. 141. καὶ μ' ἔτρε-
φον αὐτοί. Et huius quidem generis exempla exstant plurima.

IV.

Αὐτός sponte, solus, familiariter.

Congeri possent plures huiusmodi distinctiones, sed satis habeo duas adiciere, quae in primis memorabiles sunt. Quum enim, quae quis vi aut necessitate compulsus facit, non ipse facere videatur, interdum *αὐτός* idem significat quod *αὐτόματος*, *sponte*. Iliad. ρ. 254.

ἀλλὰ τις αὐτὸς ἴτω.

Sic etiam ψ. 591. Odyss. δ. 420. Deinde quoniam *αὐτός* saepe sic dicitur, ut ad communitatem coniunctionemque cum aliis hominibus respiciatur, interdum non multum interest, utrum aliquem ipsum, an solum intelligas, ut Iliad. ν. 729.

ἀλλ' οὐπως ἅμα πάντα δυνήσεται αὐτὸς ἐλέσθαι.

ν. 310.

*Ἐννοσίγαι' αὐτὸς σὺ μετὰ φρεσὶ σῆσι νόησον
Αἰνείαν, ἣ κέν μιν ἐρύσσειαι, ἣ κεν ἐάσῃς.*

Odyss. ζ. 218.

48

*ἀμφίπολοι, στήθ' οὕτω ἀπόπροθεν, ὄφρ' ἐγὼ αὐτὸς
ἄλμην ὤμοιῖν ἀπολούσομαι.*

φ. 193.

ἔπος τί κε μυθησαίμην·

ἢ αὐτὸς κεύθω;

Vt rem significantius exprimeret, οἶος addidit Od. ξ. 449.

ὃν ῥα συβώτης

αὐτὸς κτήσατο οἶος, ἀποιχομένοιο ἄνακτος.

Inde nonnumquam αὐτὸς etiam apertius est *solus*, ut *Iliad. θ. 99.*Τυδείδης δ', αὐτὸς περ ἐὼν, προμάχοισιν ἐμίχθη.
φ. 466.

ἀλλὰ τάχιστα

παυσώμεσθα μάχης· οἱ δ' αὐτοὶ δηριαάσθων.

Odyss. ο. 311.

κατὰ δὲ πτόλιν αὐτὸς ἀνάγκη

πλάξομαι.

Servarunt hanc significationem etiam Attici in formula αὐτοὶ ἐσμεν, qua utuntur, qui se ut inter amicos et familiares liberius loqui indicant. Vide Hemsterhus. ad Lucian. T. I. p. 230. Heusd. Spec. crit. in Plat. p. 30. Heindorf. ad Plat. Parmen. p. 220. Huius quoque usus prima vestigia apud Homerum reperiuntur. Odyss. η. 237. et τ. 104.

ξεῖνε, τὸ μὲν σε πρῶτον ἐγὼν εἰρήσομαι αὐτή.
τ. 509.

ξεῖνε, τὸ μὲν σ' ἔτι τυτθὸν ἐγὼν εἰρήσομαι αὐτή.
Nos *im Vertrauen*. Hinc videri possit Odyss. ψ. 75.
recepta lectio,

ἔθελον δὲ σοὶ αὐτῇ

εἰπέμεν,

cedere debere alteri, αὐτῇ. At ne in dativo quidem est, quod reprehendi possit. Eodem modo haec intelligenda sunt, γ. 19.

λίσεσθαι δέ μιν αὐτόν, ὅπως νημερτέα εἶπη,
49 et 327.

λίσεσθαι δέ μιν αὐτόν, ἵνα νημερτές ἐνίσπη.
et ξ. 331. τ. 288.

ᾧμοσε δὲ πρὸς ἔμ' αὐτόν.

Simili ratione explicandus est locus difficillimus, Od. θ. 396., ubi quum Alcinous Phaeacum principes hortatus esset, ut dona Vlyssi conferrent, de Euryalo, qui iniquum se Vlyssi praebuerat, sic dicit:

Εὐρύαλος δὲ ἐ αὐτόν ἀρεσσάσθω ἐπέεσσιν
καὶ δῶρω.

Haeserunt hic viri docti, quum intelligerent, non de Vlyse ipso, sed de Euryalo ipso debere sermonem esse. Atque acute Stephanus Berglerus scribendum iudicavit αὐτός. Verum obstat vulgatae lectionis sinceritas, munita eo, quod Aristarchus et Herodianus, ut Scholiastes apud Porsonum refert, accentum prioris pronominis inclinabant, probante etiam Apollonio in libro de Syntaxi p. 142, 2. Quod si hoc dici statuemus, *illum familiariter sibi conciliet*, recte stabit antiqua lectio.

V.

Οὐδ' αὐτὸς post μή, καὶ αὐτὸς post οὐ. *Explicationis causa additum. Explicatum per nomen.*

Haec quidem attuli, ut ostenderem, quam variis distinctionibus inserviret pronomen αὐτός. Nunc quosdam eius usus pluribus persequar, postquam haec duo adiecero, unum, interdum in constructione huius pronominis figuram inveniri, quam πρὸς τὸ νοούμενον vocant grammatici. Iliad. ω. 569.

μή σε, γέρον, οὐδ' αὐτόν ἐνὶ κλισίῃσιν ἐάσω,
ubi constructio postulabat μηδ' αὐτόν; et Od. η. 73.

οὐ μὲν γάρ τι νόου γε καὶ αὐτῇ δεύεται ἐσθλοῦ,
ubi dicendum erat οὐδ' αὐτῇ. Alterum, ut interdum αὐτὸς explicandi causa post nomen ipsum adiicitur, veluti 50 in hymno Cereris v. 1.

Δήμητρ' ἠΰκομον, σεμνὴν θεὸν, ἄρχομ' αἰεῖδεν,
αὐτήν, ἥδὲ θύγατρα τανύσφυρον,

(vide etiam v. 493.) ita nonnumquam praegredi *αὐτός*, et nomen explicationis caussa subiici: Iliad. α. 143.

*ἄν δ' αὐτήν, Χρῦσηδα καλλιπάρηον,
βήσομεν.*

Ita interpungi postulat usus epicorum hic et alibi, ut Odyss. τ. 429.

*βάν ῥ' ἴμεν ἐς θήρην, ἡμὲν κύνες, ἠδὲ καὶ αὐτοί,
υἱέες Ἀύτολύκου.*

Hesiodus in Scuto Herc. 192.

ἐν δὲ καὶ αὐτός, ἐναρφόρος οὐλιος Ἄρης.

Vbi tamen verbum medium est inter pronomen et nomen, aut nulla admittenda est interpunctio, aut ante verbum ponenda, ut Iliad. θ. 442.

*αὐτός δέ, χρύσειον ἐπὶ θρόνον εὐρύοπα Ζεὺς
ἔζετο.*

Odyss. ε. 230. κ. 543.

αὐτὴ δ', ἀργυφέον φᾶρος μέγα ἔννυτο νύμφη.

Hic quidem ne quis ante *νύμφη* interpungat, etiam rhythmica observatio obstat, de qua vide Porsonum in Postscripto ad Odyss. β. 77.

VI.

Αὐτός, hic.

Sed veniendum est ad illos usus pronominis *αὐτός*, de quibus explicatius me dicturum esse promisi. Ac primo observandum est; Graecos, maximeque Homerum, saepe sic uti isto pronomine, ut Latino sermone per pronomina *hic* vel *ille* exprimi possit. Nos mira quadam proprietate, quum *αὐτός* simplicis pronominis loco positum per *derselbe* reddamus, aucta tamen vi huius vocabuli non hoc nomine, sed altero, *er*, *sie*, uti cogimur, ideoque *αὐτό* cum vi quadam positum quomodo Germanice dicamus, non habemus, quum neque *dasselbe* isto

significatu dici possit, *es* autem ubique encliticum sit. Sed ut ad Graecos redeam, aliquot istius usus exempla sunt apud Homerum. Iliad. γ. 282.

αὐτὸς ἐπειθ' Ἑλένην ἐχέτω καὶ κτήματα πάντα·
ἡμεῖς δ' ἐν νηέσσι νεώμεθα ποντοπόροισιν.

η. 284.

Ἴδαϊ', Ἐκτορι ταῦτα κελεύετε μυθήσασθαι·
αὐτὸς γὰρ χάρμη προκαλέσσατο πάντας ἀρίστους.

θ. 242.

αὐτοὺς δῆπερ ἔασον ὑπεκπροφυγεῖν κακότητα.

ι. 45.

ἀλλ' ἄλλοι μενέουσι καρηκομόωντες Ἀχαιοί,
εἰσόκε περ Τροίην ἐκπέρομεν· εἰ δὲ καὶ αὐτοί,
φευγόντων.

129. (vide etiam 271.)

ὣς, ὅτε Δέσβον εὐκτιμένην ἔλεν αὐτός,
ἐξελόμην.

682.

αὐτὸς δ' ἠπειλήσεν, ἄμ' ἠοῖ φαινομένην
νῆας εὐσσέλμους ἄλαδ' ἐλκέμεν ἀμφιελίσσας.

ξ. 474.

αὐτῷ γὰρ γενεὴν ἄγχιστα ἐφίκει.

φ. 490.

δεξιτερῇ δ' ἄρ' ἀπ' ὤμων αἶνυτο τόξα·
αὐτοῖσιν δ' ἄρ' ἔθεινε παρ' οὐατα μειδιόουσα
ἐντροπαλιζομένην.

600.

αὐτῷ γὰρ Ἐκάεργος, Ἀγήνορι πάντα εἰοικώς,
ἔστη πρόσθε ποδῶν.

Odyss. δ. 444.

ἀλλ' αὐτῇ ἐσάωσε.

ε. 198.

αὐτῇ δ' ἀντίον ἴξεν Ὀδυσσεὺς θείοιο.

Interdum sic etiam Attici. Aeschylus Prom. 440.

ἀλλ' αὐτὰ σιγῶ.

Vide Heindorfium ad Plat. Lys. p. 4.

VII.

Αὐτὸς omisso pronomine personali cuiuscumque personae.

Liberius in hoc genere dominata est lingua Graecorum, quum etiam de prima ac secunda persona nomine αὐτὸς usa est, omisso personae pronomine: Iliad. ν. 252.

οὐδέ τοι αὐτὸς
ἦσθαι ἐνὶ κλισίῃσι λιλαίομαι.

Sic etiam ξ. 276. τ. 89. Odys. ν. 422. Et pro me. Iliad. ω. 503.

ἀλλ' αἰδέοιο θεοῦς, Ἀχιλεῦ, αὐτόν τ' ἐλέησον.

Sic etiam 430. Nos, η. 331.

αὐτοὶ δ' ἀγρόμενοι κυκλήσομεν ἐνθάδε νεκρούς.

Sic ο. 296. ρ. 634. Od. ν. 365. ξ. 415. χ. 165. Tu, Iliad. ν. 448.

δαιμόνι, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἐναντίος ἴστασ' ἐμεῖο.

Sic α. 133 χ. 8. ω. 218. Odys. β. 356. θ. 443. hymn. Apoll. 190. Te, Odys. ξ. 389.

ἀλλὰ Δία ξένιον δείσας, αὐτόν τ' ἐλεαίρων.

Vos, Iliad. ρ. 332.

ἀλλ' αὐτοὶ τρεῖτ' ἄσπετον.

Sic Od. ν. 39. hymn. Apoll. 337. Falleretur tamen, qui in huiusmodi locis nomen αὐτὸς simpliciter pro personae pronomine positum putaret. Nam, ut ait Apollonius de syntaxi p. 145., *συνηθέστερόν πως ὁ ποιητῆς ἔλλειπτικός ἐστὶ τῶν προκειμένων μορίων, ἀρκούμενος διὰ τῆς συντάξεως τοῦ λόγου τὸ λοιπὸν ἐμφανίσει.* Itaque potius omissum esse pronomen putandum est, idque non pauci confirmant loci. Iliad. ρ. 162.

53 αἰψὰ κεν Ἀργεῖοι Σαρπηδόνοσ ἐντεα καλὰ
λύσειαν, καὶ κ' αὐτόν ἀγοίμεθα Ἴλιον εἶσω,
pro καὶ κέ μιν αὐτόν. Sic quod Iliad. ρ. 634. est,
ἀλλ' ἄγερ', αὐτοὶ περ φραζώμεθα μῆτιν ἀρίστην,

versu 712. ita dicitur:

ἡμεῖς δ' αὐτοὶ περ φραζώμεθα μῆτιν ἀρίστην.

Ita Od. β. 374.

πρὶν γ' ὄτ' ἂν ἐνδεκάτῃ τε δωδεκάτῃ τε γένηται,
ἢ αὐτὴν ποθέσαι·

quae verba quum hic de tertia persona intelligantur, in quarto libro v. 748. sic traducta sunt ad secundam, ut legatur ἢ σ' αὐτὴν: quod quidem, quum neque personarum ulla oppositio sit, et prior locus superfluum esse personae pronomen monstret, inclinatio accentu ἢ σ' αὐτὴν scribendum puto.

VIII.

Αὐτὸς reciprocum, et pro eo pronomen personale. Ambo iuncta. Μὴν pro εἰ.

Sed dicendum est de hac re explicatius. Ac recte a grammaticis observatum est, ubi pronomen et verbum de eadem persona intelligantur, pronomen non esse encliticum; itaque quum et σὲ γὰρ ἄζομαι et σὲ γὰρ αὐτὴν παντὶ εἴσκεις dixerit Homerus, alterum inverti posse, ἄζομαί σε, alterum non posse inverti, nec dici recte εἴσκεις σε παντί. Vide Apollonium p. 143. Quamquam Homerus, liberior in huiusmodi rebus, Iliad. v. 361. dixit,

οὐ μέ τι φημι μεθήσεμεν.

Latini quidem et Germani etiam in hac constructione enclitico utuntur. Graeci vero, quum, quae huius gentis subtilitas est, si actio, quae verbo indicatur, ad eum ipsum rediret, de quo pronomen est, id, tamquam quod non de more fieret, recto accentu notare consuevissent: factum est, ut postea, etiam ubi nulla distinctione opus esset, al-54 terum pronomen αὐτὸς adiiicerent:

ἐγὼ δ' ἐμαυτὸν παῖδα τῆς τύχης νέμω·

vel πόλιν τὴν αὐτὸς αὐτοῦ: de qua formula v. Bastii epist. crit. p. 212. ed. Lips. Et recentiores quidem sic semper

loquuntur. Exstant autem huius quoque usus prima vestigia apud Homerum, qui quidem quum compositis pronomibus, *ἐμαντοῦ, σεαυτοῦ, ἐαυτοῦ*, ut grammatici adnotarunt, nusquam utatur, nunc solum ponit personae pronomen, ut *Iliad. δ. 497. (et ο. 574.)*

ἀμφὶ ἔ παπτήνας.

ε. 800.

ἢ ὀλίγον οἱ παῖδα εἰκότα γείνατο Τυδεύς·

κ. 378.

ζωρεῖτ'· αὐτὰρ ἐγὼν ἐμὲ λύσομαι·

ν. 269.

οὐδὲ γὰρ οὐδ' ἐμὲ φημι λελασμένον ἔμμεναι ἀλκῆς·
Odyss. θ. 221.

τῶν δ' ἄλλων ἐμὲ φημι πολὺ προφερέστερον εἶναι·
(quos locos attigit Apollonius p. 142, 3. 143, 27. 144, 3. 147, 12. 150, 13.) nunc solo utitur pronomine *αὐτός*: atque inde quum utrumque pronomen iungit, non uno id modo facere solet. Ac solo *αὐτός* utitur in his locis: *Iliad. ι. 341.*

ἐπεὶ ὄστις ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ ἐχέφρων
τὴν αὐτοῦ φιλέει καὶ κήδεται,

suam: v. Apollon, p. 144, 32. Et *Odyss. ξ. 51. αὐτοῦ ἐνένυαιον. Iliad. μ. 103.*

οἱ γὰρ οἱ εἶσαντο διακριδὸν εἶναι ἄριστοι
τῶν ἄλλων μετὰ γ' αὐτόν,

post se. Sic etiam γ. 90. Et Odyss. β. 125.

μέγα μὲν κλέος αὐτῆ

ποιεῖται,

sibi: de quo loco disseruit Apollonius p. 146. Deinde *δ. 247.*

55 *ἄλλω δ' αὐτὸν φωτὶ κατακρύπτων ἤϊσκεν,*
se. κ. 27.

αὐτῶν γὰρ ἀπωλόμεθ' ἀφραδίῃσιν,
nostris. ω. 269.

αὐτὰρ ἔφρασκεν
Λαέρτην Ἀρκεισιάδην πατέρ' ἔμμεναι αὐτῶ,

sibi. Ambo autem pronomina ubi iunguntur, fere semper⁵⁵ praecedit pronomen personale: ἐμέθεν αὐτῆς Odys. τ. 93. σέο αὐτοῦ λ. 369. ἔο αὐτοῦ Iliad. τ. 384. Od. θ. 210. ἐμοὶ αὐτῶ ι. 421. ἐοὶ αὐτῶ Iliad. ν. 494. Odys. δ. 38. οἱ αὐτῶ Iliad. κ. 307. π. 47. Odys. ο. 285. φ. 304. Sic etiam χ. 214. collocandus accentus:

*Μέντορ, μή σ' ἐπέεσσι παραιπεπίθησιν Ὀδυσσεὺς
μνηστήρεσσι μάχεσθαι, ἀμυνημένα δὲ οἱ αὐτῶ,*

diserte monentibus Apollonio p. 147, 3. et Scholiasta Ven. ad Iliad. ο. 226. Etiam in hymno Apollinis v. 275. recte scripsisse mihi videor,

*ὡς εἰποῦσ', Ἐκάτου πέπιθεν φρένας, ὄφρα οἱ αὐτῆ
Τιλοφύσση κλέος εἴη ἐπὶ χθονί, μηδ' Ἐκάτοιο.*

Deinde ἐμὲ αὐτὸν Iliad. α. 271. ἐξ αὐτὸν v. 171. ἐ αὐτὸν Od. ρ. 387.

πτωχὸν δ' οὐκ ἂν τις καλέοι, τρῦξοντα ἔ αὐτόν·

Sic enim scribendus accentus, ut eodem illo loco monuit Apollonius. Porro ἔ αὐτὴν Iliad. ξ. 162. ρ. 551. σφῶν αὐτῶν μ. 155. τ. 302. σφίσιν αὐτοῖς Od. δ. 683. eodemque modo scribendum in his v. 213.

*τὰς δ' ἄλλοι με κέλονται ἀγινόμεναι σφίσιν αὐτοῖς.
ἔδμεναι.*

ἡμέας αὐτοῦς Iliad. θ. 529. σφέας αὐτοῦς μ. 43. 86. ν. 152. Od. μ. 225. Ad eandem loquendi rationem pertinent ἐφ' αὐτοῦ Iliad. κ. 204. et alibi saepe; νοῖ-
τερον αὐτῶν ο. 39. αὐτῶν σφετέρησιν Od. α. 7. Mirifice in hoc genere decipi se passus est Buttmannus in quinta ed. Gr. gramm. p. 572. σ' αὐτοῦ Od. ξ. 185. et σ' αὐτῆς Iliad. ζ. 400. per crasin prorsus inauditam pro σέο αὐ-
τοῦ, σέο αὐτῆς dicta putans. Ordine autem inverso Od. ρ. 595.

αὐτὸν μὲν σε πρῶτα σάω,

recte inclinato accentu, quia pronomen σέ, ita postpositum, explicationi tantum inservit. Similis ratio est huius

loci, qui solus est, in quo *μιν* pro *ε* dictum inveniatur, δ. 244.

αὐτόν μιν πληγῆσιν ἀεικελίησι δαμάσσας.

de quo loco vide Apollon. p. 144, 32. 145, 27.

IX.

Ἐγὼ αὐτός, αὐτός ἐγώ.

Haec quidem de his locis, in quibus pronomen *αὐτός* reciprocam significationem habet, eiusdemque personae est, cuius verbum. Media quaedam ratio inter hanc et illam, quum pronomen aliud personae quam verbum est, in nominativo obtinet. In hoc genere si personae distinguuntur, praecedit pronomen personale: Iliad. χ. 428.

μήτηρ θ', ἣ μιν ἔτικτε δυσάμμορος, ἠδ' ἐγὼ αὐτός.

Sic ψ. 415. 579. Odyss. β. 194. ζ. 126. θ. 391. *σύ γ' αὐτῇ τ. 121.* Sin oppositio non tam personarum est, quam quod ipse aliquis, non cum aliis, aut per alios, aut quocumque modo talia mente concipiantur, aliquid faciat, *αὐτός* priorem locum tenet. Iliad. ο. 234.

κεῖθεν δ' αὐτός ἐγὼ φράσομαι ἔργον τε ἔπος τε.

Sic π. 239. ψ. 244. Odyss. θ. 356 λ. 508. τ. 501. υ. 263. φ. 113. 207. ψ. 357. ω. 321. 445. *αὐτός ἐγωγε* hymn. Merc. 406. *αὐτῇ ἐγὼ* Od. τ. 255. *αὐτῇ σὺ δ.* 395. *αὐτός οὗτος* h. Merc. 346.

Alia denique ratio est illorum locorum, in quibus pronomen de alia persona est, quam de qua verbum intelligitur. A qua disputatione segregandi sunt loci, in quibus singula pronomina ad alia verba referuntur, ut Iliad. κ. 242.

57 *εἰ μὲν δὴ ἔταρόν γε κελεύετε μ' αὐτὸν ἐλέσθαι,*

quem locum attigit Apollonius p. 144, 25. Sed quum utrumque pronomen ad unum verbum refertur, pronomen personale, ubi personarum distinctione opus est, recto accentu praecedit: Iliad. ε. 63.

αἱ πᾶσι κακὸν Τρώεσσι γέροντο,
οἱ τ' αὐτῶ·

de quo loco disputat Apollonius p. 142, 4. 148. seq. o. 226.

ἀλλὰ τόδ' ἡμὲν ἐμοὶ πολὺ κέρδιον, ἡδὲ οἱ αὐτῶ·

v. schol. et Apollon. p. 147. Sic ἐμεῦ αὐτῆς Od. τ. 93. σεῦ αὐτῆς Iliad. ξ. 327. σεῖο αὐτῆς σ. 358. τοῦδ' αὐτοῦ Odys. ξ. 161. τ. 306. ἐμοὶ αὐτῆ Iliad. χ. 451. Od. ε. 188. σοὶ αὐτῶ Iliad. γ. 51. ν. 817. ο. 231. τ. 416. ψ. 80. Od. ο. 514. h. Merc. 458. τῶ αὐτῶ Od. δ. 107. ἐμὲ αὐτὸν hymn. Ven. 104. σὲ αὐτὸν Iliad. ν. 273. Nec dubium videtur, quin etiam Od. κ. 284.

οὐδὲ σέ φημι

αὐτὸν νοστήσειν

scribendum sit. Quum vero aut nulla est personarum distinctio, aut ei distinctio ipsi nomen αὐτὸς inservit, pronomen encliticum nunc post αὐτὸς collocatur, ut αὐτῶ μοι Iliad. ε. 459. αὐτῶ τοι ι. 18. Od. χ. 345. αὐτῶ οἱ β. 190. αὐτὸν με ρ. 9. αὐτὸν σε 81. 494. ω. 249. αὐτῆν μιν Iliad. λ. 117. nunc etiam priorem locum tenet, ut τοι αὐτῶ Iliad. ι. 42. τοι αὐτῆ Od. ζ. 35. οἱ αὐτῶ δ. 65. οἱ αὐτῆ Iliad. ι. 324. μ' αὐτὸν ω. 198. Od. υ. 315. σε αὐτὸν Iliad. κ. 388. Od. ι. 406. Caeterum hic illic in hoc genere accentus in dubitationem venit. Sic Iliad ρ. 687. scribendum videtur:

ἦδη μὲν σε καὶ αὐτὸν οἶομαι εἰσορόωντα
γιγνώσκειν,

non ἦδη μὲν σέ. Neque recte legitur σοὶ αὐτῶ Iliad. ι. 521. ψ. 342. ω. 310. Odys. δ. 601. ε. 178. ζ. 39. 60. 58 κ. 300. ρ. 583., quod vel formae σοὶ indicio, quae aliter τοὶ esse deberet, σοὶ αὐτῶ scribendum, quemadmodum legitur Iliad. τ. 178. ψ. 80. et ἐμοὶ αὐτῶ ν. 73. Falleretur, qui inclinationem accentus Iliad. ω. 310. Od. ε. 187. κ. 300. eo tueri vellet, quod in repetitione horum versuum, Iliad. ω. 292. ὅς τε οἱ αὐτῶ, diserte testantibus grammaticis, et Od. ε. 179. κ. 344. μή τί μοι αὐτῶ legitur: nam

hic oppositio non est in pronomine personali, sed in nomine αὐτός, ut saepius, v. c. Iliad. ε. 458.

Κύριδα μὲν πρῶτον σχεδὸν οὔτασε χειρ' ἐπὶ
καρπῶ·

αὐτὰρ ἔπειτ' αὐτῷ μοι ἐπέσσυτο.

Contrario modo aliquando etiam pronomem personale solum oppositionem continet, ideoque rectum habet accentum, ut Od. τ. 196.

καὶ οἱ, τοῖς τ' ἄλλοις ἐτάροις, οἱ ἅμ' αὐτῷ ἔποντο,
δημόθεν ἄλφιστα δῶκα.

Illud non possum praeterire, Schaeferum, virum in rebus grammaticis accuratissimum, graviter tamen errasse, quum in Tryphiodoro p. 18. v. 405. ederet:

ὡς Ἵρρελὲν τις
Ἀργείων ἐπὶ σοῖσι γόοις ὀλέσαι μὲ καὶ αὐτήν,

quasi unquam μὲ recto accentu dici potuerit: v. eum ad v. 408. Nemo enim huc trahi volet illud temere vexatum ἢ μὲ ἀνάειρ' ἢ ἐγὼ σέ, et si quae similia reperiuntur.

X.

Nec pronomem personale, neque αὐτός abundare.

Sed haec duorum pronominum consociatio monet me, ut errare ostendam eos, qui alterum horum pronominum nonnumquam abundare apud Homerum putant. Fuerunt quidem iam veteres grammatici in hac opinione, in iisque Apollonius Dyscolus, vir excellentis iudicii, et nihil non 59 diligenter ponderare solitus. Et hic quidem p. 145. sic censet, pronomem personale abundare. At neque in his locis, quos ipse affert, neque in caeteris, quos quis pro hac sententia afferre possit, αὐτός simplicis pronominis loco esse, sed aliam quamdam vim habere intelligitur, si quis accurate hos locos considerare volet. Notavi autem hosce: Iliad ι. 470.

εἰνάνυχες δέ μοι ἄμφ' αὐτῷ πάρα νύκτας ἴανον·

cui loco simillimus est hic, Od. λ. 371.

εἶ τινὰς ἀντιθέων ἐτάρων ἴδες, οἳ τοι ἄμ' αὐτῷ
Ἴλιον εἰς ἄμ' ἔποντο.

In utroque loco pronomen encliticum ostendit, praepositionem cum solo nomine αὐτῷ construendam esse, quasi dicas, *vigiles mihi circa me ipsum aderant; qui tibi comites tecum ipso profecti erant.* Nam ut in altero loco haec subest sententia, *tu et ipse in illa expeditione fuisti, et socios tecum habuisti*, ita in priore loco hoc dicit: *vigiles mihi accubabant, ita ut ipse in medio eorum essem.* Iliad. τ. 178.

καὶ δὲ σοὶ αὐτῷ θυμὸς ἐνὶ φρεσὶν ἴλαος ἔστω·

i. e. *tu etiam ultro te facilem praebe.* Eodem modo Od. ε. 190.

οὐδέ μοι αὐτῇ
θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι σιδήρεος, ἀλλ' ἐλεήμων·

ultro misericors sum. Iliad. τ. 192.

σοὶ δ' αὐτῷ τόδ' ἐγὼν ἐπιτέλλομαι.

Hic primo adspectu, quia praecessit, αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς μίμνέτω, μίμνετε δ' ἄλλοι πάντες, dicendum fuisse videbitur σοὶ δὲ sine αὐτῷ. Verum quum Agamemnon et in principio alloquatur Vlysem, et totam orationem ad hunc convertat, recte se habere αὐτῷ intelligitur, ut quod relationem ad superiora contineat, hoc modo: *recte dixisti: itaque tu ipse dona Achilli apportes, caeteri hic maneamt.* Iliad. φ. 243.

ἦ δ' ἐκ ῥίζων ἐριποῦσα 60
κρημνὸν ἅπαντα δίωσεν, ἐπέσχε δὲ καλὰ ῥέεθρα
ὄξοισιν πυκνοῖσι, γεφύρωσεν δὲ μιν αὐτόν.

Ineptissima sunt, quae ad hunc locum Eustathius profert p. 1235, 22. Hoc dicit poeta: *arbor eruta et undas Scamandri ramis obtexit, et ipsum tamquam ponte pervium reddidit.* Eodem in libro v. 318.

καὶ δὲ μιν αὐτόν
εἰλύσω ψαμάθοισιν, ἄλις χεράδος περιχεύας,
μυρίον·

sic enim haec legi atque interpungi suadet usus poetae, atque ita etiam Apollonio placuisse puto, qui p. 145, 32. ut ostenderet μιν abundare, nihil amplius attulit, quam καὶ δέ μιν αὐτὸν εἰλύσω ψαμάθοισιν. Ne hic quidem quidquam abundat. Nam hoc dicit: *et arma eius obruam limo, et ipsum.* Iliad. χ. 82.

Ἔκτορ, τέκνον ἐμὸν, τάδε τ' αἶδεο καὶ μὲ ἐλέησον αὐτήν,

et mammae, quae te nutriit, et mei ipsius miserere. Et 346.

αἱ γὰρ πῶς αὐτὸν με μένος καὶ θυμὸς ἀνείη
ὦμ' ἀποταμνόμενον κρέα ἔδμεναι.

Oraverat Hector, ne canibus se praedam fieri sineret Achilles: itaque hic respondet, *utinam ego ipse te canum more dilaniare possem.* Et 351.

οὐδ' εἴ κέν σ' αὐτὸν χρυσῷ ἐρύσασθαι ἀνώγοι
Λαρδανίδης Πρίαμος.

nec si multo maiorem pro te mercedem offerrent, nec si tuum ipsius pondus auro aequari iuberet Priamus. ψ. 311.

οὐδὲ μὲν αὐτοὶ
πλείονα ἴσασιν σέθεν αὐτοῦ μητίσασθαι.

Hi, inquit, qui tecum certaturi sunt, equos regere non 61rectius te ipso callent. ω. 472. ἐν δέ μιν αὐτὸν εὔρε. Volebat dicere, *invenit eum, ipsum, et duos sodales:* sed negligentius pergit:

ἔταροι δ' ἀπάνευθε καθείατο, τῷ δὲ δὴ οἴω,
ἦρως Ἀντομίδων τε καὶ Ἄλκιμος, ὄζος Ἄρηος,
ποιπννον παρεύντε·

haec, non τῷ δὲ δὴ οἴω, usui poetae convenientior lectio est. Similis ratio est horum, versu 729.

ἦ γὰρ ὄλωλας ἐπίσκοπος, ὅστε μιν αὐτήν
ρύσκει, ἔχει δ' ἀλόχους κεδνάς καὶ νήπια τέκνα·
hoc est αὐτήν, καὶ ἀλόχους, τέκνα τε, et versu 732.

οὐ δ' αὖ, τέκος, ἢ ἐμοὶ ἀντῆ
ἔψαι,
quia sequitur: ἢ τις Ἀχαιῶν ῥίψει ἀπὸ πύργου. 608.

ᾤῃ δὸιῶ τεκέειν, ἢ δ' αὐτῆ γείνατο πολλούς.

Hoc in loco interpretationi inservit αὐτῆ, quia ambiguum est ἢ δέ. Niobe Latonam duos peperisse aiebat, se ipsam autem multos. Odyss. α. 276.

σοὶ δ' αὐτῷ πυκινῶς ὑποθήσομαι.

Monuerat Minerva Telemachum, quid prociis, quid Penelopa fieri deberet: tum addit, nunc te ipsum quid facere oporteat, dicam. Quamquam hoc etiam sic intelligi potest: tibi soli, ut amico, dicam: cuius generis supra allata sunt exempla. Deinde 305.

σοὶ δ' αὐτῷ μελέτω, καὶ ἐμῶν ἐμπάζω μύθων,
tu vero et me audi, et ipse prospice. β. 33.

ἔσθλός μοι δοκεῖ εἶναι ὀνήμενος· εἶθε οἱ αὐτῷ
Ζεὺς ἀγαθὸν τελέσειεν, ὃ τι φρεσὶν ἦσι μενοινᾷ.

bonus est: ideoque et ipsi bene res succedat. γ. 49.

ἀλλὰ νεώτερός ἐστιν, ὀμηλική δ' ἐμοὶ αὐτῷ,
mihī ipsi, qui haec dico. δ. 117.

μερμήριξε δ' ἔπειτα κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν,
ἦέ μιν αὐτὸν πατρὸς εἰάσειε μνησθῆναι,
ἢ πρῶτ' ἐξερέοιτο.

Fallitur Apollonius p. 145, 32. μὴν abundare putans. Sensus est: deliberabat, utrum exspectaret, dum ille ipse, i. e. sponte, patris mentionem faceret, an prius eum interrogaret. 177.

οἱ περιναϊεταόουσιν, ἀνάσσονται δ' ἐμοὶ αὐτῷ·
respicit ad ante dicta: urbem ei dedissem earum, quibus ego ipse impero. 601.

ἵππους δ' εἰς Ἰθάκην οὐκ ἄξομαι, ἀλλὰ σοὶ αὐτῷ
ἐνθάδε λείψω ἄγαλμα·

tibi ipsi, qui eos mihi dare volebas. 653.

ἐν δ' ἀρχὸν ἐγὼ βαίνοντ' ἐνόησα,
Μέντορα, ἧὲ θεόν· τῷ δ' αὐτῷ πάντα ἐόκει.

illi ipsi, Mentori, non deo. 667.

ἀλλά οἱ αὐτῷ

Ζεὺς ὀλέσειε βίην, πρὶν ἡμῖν πῆμα φντεῦσαι,

sic, non ἀλλὰ οἱ αὐτῷ, scribebant veteres grammatici, et recte quidem: v. schol. Ven. ad Iliad. ω. 292. Apollon. p. 141, 32. Herodianum p. 270. in ed. Ald. a. 1512. Characem fol. 228. b. hic, inquit, prius, quam nobis perniciem paret, ipse pereat. Deinde pergit:

ἀλλ' ἄγε μοι δότε νῆα θοὴν καὶ εἰκὸς ἑταίρους,
ὄφρα μιν αὐτὸν ἰόντα λοχῆσομαι ἠδὲ φυλάξω·

ut ei, qui nobis malum machinatur, ipsi insidias struam. ε. 178.

εἰ μὴ μοι τλαιῆς γε, θεὰ, μέγαν ὄρκον ὁμόσοιαι,
μὴ τί μοι αὐτῷ πῆμα κακὸν βουλευσέμεν ἄλλο.

Eadem verba repetuntur 187. Et hic quidem negari non potest, et αὐτῷ et ἄλλο abundare. Verum quod saepius in Homericæ poesi factum videmus, hi versus ex alio loco, in quo omnia recte se habent, adsciti sunt, κ. 299. et 343. Ibi enim id agitur, ut ne Vlysses ipse quoque, ut socii eius, humana forma exuatur, aliove aliquo afficiatur malo. ζ. 277.

ποῦ δέ μιν εὔρε; πόσις νύ οἱ ἔσσειται αὐτῆ;

63 *Inest hic aliquid malignitatis, quasi Nausicaa sibimet ipsi potius, quam aliis, tam pulcrum hospitem invenerit. λ. 134. (et ψ. 281.)*

θάνατος δέ τοι ἐξ ἀλὸς αὐτῷ
ἀβληχρὸς μάλα τοῖος ἐλεύσεται,

quia sequitur:

ἀμφὶ δὲ λαοὶ

ὄλβιοι ἔσσονται.

ν. 189.

πέρι γὰρ θεὸς ἠέρα χεῦεν,
Παλλὰς Ἀθηναίη, κούρη Διός, ὄφρα μιν αὐτὸν

ἄγνωστον τεύξειεν, ἕκαστά τε μυθήσαιο,
μή μιν πρὶν ἄλοχος γνοίη, ἄστοί τε φίλοι τε,
πρὶν πᾶσαν μνηστῆρας ὑπερβασίην ἀποτίσαι.

Negligentius composita oratio hunc sensum habet: *quo neque ipse Ulysses patriam agnosceret, neque, si a Minerva non esset admonitus, agnosceretur ab suis citius, quam par esset.* o. 167.

φράξο δὴ, Μενέλας διοτρεφές, ὄρχαμε λαῶν,
ἦ νῶϊν τόδ' ἔφηγε θεὸς τέρας, ἢ ἐσὶ σοὶ αὐτῶ.

tibi ipsi, ante cuius aedes visa aquila. 371.

ἀλλά μοι αὐτῶ

ἔργον ἀέξουσιν μάκαρες θεοί,

quia statim additurus est,

ἐκ δ' ἄρα δεσποίνης οὐ μείλιχον ἔστιν ἀκοῦσαι
οὔτ' ἔπος, οὔτε τι ἔργον.

π. 170.

οὐδ' ἐγὼ αὐτῇ

δηρὸν ἄπο σφῶϊν ἔσομαι.

ne ego quidem ipsa diu abero. Denique de illo exemplo, quod ex hymno Merc. 239. proferri posset, exposui in praefatione ad istos hymnos p. 62. sed satis dictum est de prima significatione nominis αὐτός, eiusque variis usibus.

XI.

64

Αὐτός pronomen relativum. Ὅς et Ἰ. Αὐτὸν encliticum.

Proximum locum illa tenet significatio, qua hoc pronomen minore cum vi pronunciatum pro pronomine relativo usurpatur, ut sit, quod Latini per *is*, Germani per *derselbe*, vel per encliticā *er*, *sie*, *es*, significant. Nam quum αὐτός, ut supra ostendimus, proprie indicet hunc, de quo sermo est, facile intelligitur, duobus modis hoc fieri posse, uno, ut hoc significemus, *hic*, *neque alius*, de qua significatione explicatum est; altero, ut simpliciter, ommissa exclusione aliarum rerum, eum notemus, de

quo reliqua oratio est. Atque haec quidem significatio nihil habet, quod commemoratione dignum sit, praeter haec duo: primum, non inveniri eam in nominativo: quod non est mirum, quum Graeci ita abstinuerint usu pronomini relatiivi in tertiae personae nominativo, ut etiam quae propria sunt tertiae personae pronomina, nominativos *ὄς* et *ἷ* prorsus amiserint: quorum *ἷ* ab Apollonio in Excerptis p. 547. (422. B.) a scholiasta Ven. et Vict. ad Iliad. *χ*. 410. ab Etym. M. p. 588, 11. 615, 7. a Constantino Lasc. de pronomibus, quem iam Maittairius de dialect. p. 262. (196. B.) citavit, commemoratur, non alia tamen auctoritate munitum, quam uno Sophoclis loco ex Amphiarao, qui locus et apud Apollonium et in scholiis Vict. apud Heynium ad Hom. vol. VIII. p. 332. tam vitiose scriptus legitur, ut, nisi ex melioribus libris, non videatur corrigi posse. Sylburgius in indice ad Etym. M. in v. *ἷ* etiam *ἷς* addit, idemque facit Heynius ad Hom. vol. VI. p. 629. nescio quo auctore: quamquam illud video, pro ea forma Latinum *is* afferri posse.

Alterum hoc est. Accusativum *αὐτὸν* inclinare acentum contendunt grammatici, Apollonius de syntaxi p. 140. quem cum Herodiano hac de re auctorem adhibet scholiastes Ven. ad Iliad. *μ*. 204. tum Charax fol. 228. et Aelius Dionysius fol. 233. a. Graviter vero errat Neophytus, qui in commentariis ad quartum librum Theodori Gazae p. 822, 12. Apollonium ita intellexit, ac si is de accusativo *σφέας* loqueretur. Quae de accusativo *αὐτὸν* tradunt grammatici, etiam in accusativos generis neutrius *αὐτὸ* et *αὐτὰ* quadrant, ut hi quoque casus inclinasse acentum videantur. In Homero quidem Fr. Aug. Wolfius semel tantum istam inclinationem admisit, Iliad. *μ*. 204. quae, si ego recte interpretor grammaticos, locum habet etiam Iliad. *γ*. 25. *ο*. 43. *σ*. 269. Od. *δ*. 110. *θ*. 347. *ι*. 205. *ρ*. 367. *φ*. 196. hymn. Merc. 359. Nam quod illi de solo isto loco, qui in duodecimo Iliadis libro est, monuerunt, id propterea factum puto, quod hic solus locus alium sensum praebet, si inclinatur accentus, quam si non inclinatur. Quamquam dubitari potest, an apud Home-

rum saltem nusquam encliticum sit *αὐτόν*, quum is hoc pronomen etiam in initio versus posuerit, qui locus inclinationi accentus contrarius est. Intelligent periti, cur, quum alii loci desint, etiam talibus hoc locis probari existimem, in quibus accentus etiam propter alias causas inclinationem repellit. Sic igitur Odyss. π. 369.

ἵνα φθίσωμεν ἐλόντες

αὐτόν.

Iliad. ξ. 456.

καί μιν οἶω

αὐτῷ σκηπτόμενον κατίμεν δόμον Ἴδιδος εἶσω.

et in hymno Apoll. 345.

*οὔτε πότ' ἐς θῶκον πολυδαίδαλον, ὡς τὸ πάρος περ
αὐτῷ ἐφεξομένη πυκινὰς φραζέσκετο βουλὰς.*

Minime omnium autem accentum inclinandum puto in illo 66 ipso loco, ad quem de ea re praecipiant grammatici, Iliad. μ. 204. Verba poetae haec sunt:

*ὄρνις γάρ σφιν ἐπήλθε, περησέμεναι μεμαῶσιν,
αἰετὸς ὑψιπέτης, ἐπ' ἀριστερὰ λαὸν ἑέργων,
φοινήεντα δράκοντα φέρων ὀνύχεσσι πέλωρον,
ζῶόν, ἐτ' ἀσπαίροντα· καὶ οὐπω λήθετο χάρις.
κόψε γάρ αὐτὸν ἔχοντα κατὰ στήθος παρὰ δειρήν,
ιδνωθεῖς ὀπίσω.*

Ita accentum scribebant grammatici, eo fine, ut pronomen e participio pendere ac de dracone accipiendum esse intelligeretur: *draco vulneravit aquilam, a qua ipse tenebatur*: vide Wolfii praefationem p. 50. At hoc poeta sic opinor dicturus fuisset, *κόψεν ἔχοντα ἔ αὐτόν*, quem admodum loquitur Odyss. ρ. 387.

πτωχὸν δ' οὐκ ἄν τις καλέοι, τρύξοντα ἔ αὐτόν.

Quod quum non fecerit, *αὐτόν* recto accentu esse, ipsamque aquilam, quae draconem tenebat, intelligi debere arbitror. Atque ut hic *αὐτὸν ἔχοντα* dicit, quod recentio-

res dicturi fuissent *αὐτὸν τὸν ἔχοντα*, eodem modo loquutus est Od. ι. 257.

δαισάντων φθόγγον τε βαρύν, αὐτόν τε πέλωρον

XII.

Αὐτὸς idem.

Venio nunc ad illam significationem nominis *αὐτός*, quae est *idem*. Atque etsi valde diversa sunt *idem* et *ipse*, quum per nomen *idem* aequiparetur aliquid alii rei, exclusis reliquis rebus; per nomen *ipse* autem aequiparetur sibi, seiunctis aliis: tamen quoniam utriusque nominis opposita, ad quae plerumque respicitur, *diversus* et *alius*, simillima sunt, obtinuit apud Graecos, ut alius vocabuli penuria *αὐτός* etiam *idem* significaret. Sed illud, quod 67 indicavi discrimen, paullo clarius explicandum est. Quod Horatius dicit, *informes hiemes reducit Iuppiter: idem submovet*, hanc vim habet: qui hiemes reducit, Iuppiter est; qui eas submovet, Iuppiter est: ideoque qui submovet, non est diversus ab eo, qui reducit. Non potuisset dici, *Iuppiter idem submovet*, nisi altera praecessisset sententia, *Iuppiter reducit hiemes*: quia nomen *idem* indicat, hunc, de quo sermo est, comparari cum quopiam alio. Hoc vero, *Iuppiter ipse submovet hiemes*, stare per se potest, quia sic Iuppiter sibi ipsi comparatur, neque aliud his verbis continetur, quam hoc, *Iuppiter, hic, non alius, submovet hiemes*. Saepe vero nihil refert, utrum *ipse*, an *idem*, eorumque opposita adhibeas. Vt, *eadem via redii, non diversa: illa ipsa via redii, non alia*. Hinc ergo Graeci *αὐτός* etiam pro *idem* usurpare coeperunt, et quidem etiam sine pronomine ὄ, cuius omissionem nolim cum Schaefero ad Greg. Cor. p. 303. Ionicam vocare, quum ea potius ad antiquum epicorum sermonem pertineat. Exemplis, quae attulit Schaeferus ex Iliad. μ. 225. et Od. π. 138. adde Odyss. θ. 107.

ἦρχε δὲ τῷ αὐτῆν ὁδόν, ἦνπερ οἱ ἄλλοι.

κ. 158.

ὃς ῥά μοι ὑψίκερων ἔλαφον μέγαν εἰς ὁδὸν αὐτὴν
ἦκεν.

263.

τὸν δ' αἰψ' ἠνώγεα αὐτὴν ὁδὸν ἠγήσασθαι.

φ. 366.

αὐτὰρ ὃ θῆκε φέρων αὐτῷ ἐνὶ χώρῳ.

In hymno Apoll. 179.

ὦ ἄνα, καὶ Λυκίην καὶ Μηονίην ἐρατεινὴν,
καὶ Μίλητον ἔχεις, ἔναλον πόλιν ἱμερόεσσαν·
αὐτὸς δ' αὖ Δήλοιο περικλύστης μέγ' ἀνάσσεις.

Hesiod. Scut. Herc. 35.

αὐτῇ μὲν γὰρ νυκτὶ τανυσφύρου Ἥλεκτρονῶνης
εὐνή καὶ φιλότῃτι μίγη, τέλεσεν δ' ἄρ' ἐέλωρ·
αὐτῇ δ' Ἀμφιτρύων λαοσσόος, ἀγλαὸς ἦρωσ,
ἐκτελέσας μέγα ἔργον, ἀφίκετο ὄνδε δόμονδε.

Sic intelligendum puto etiam hoc, Iliad. ο. 724.

68

ἀλλ' εἰ δὴ ῥα τότε βλέπτεν φρένας εὐρύοπα Ζεὺς
ἡμετέρας, νῦν αὐτὸς ἐποτρύνει καὶ ἀνώγει.

Grammatici veteres, ad v. 694. s. respicientes, haec aliter interpretantur. Alia ex epicis exempla attulit Schaeferus in Melet. crit. p. 65. Sed iam Homerus etiam ὁ αὐτὸς usurpavit, Iliad. ζ. 391. Od. η. 55. 326. π. 334. plane ut nos dicimus *derselbe*. Attici vero, quod equidem sciam, sic semper. Nam si qui forte loci repugnare videantur, hos emendatione indigere vix dubium est. Euripidis versum in Electra 521. emendarunt alii, quum Canterus insolentem formam *ταντῆς* pro *τῆς αὐτῆς* reponendam iudicasset, quam defendit Aemilius Portus e Sophoclis Philoct. 852. et ex Aristot. Polit. VIII. 1. 172. K. Rhetor. III. 16. 226. l. At in Aristotele ille aperte vitiosa scriptura se decipi passus est: Sophoclis autem locum iure suspectum habet Schaeferus ad Greg. Cor. p. 303. quamquam coniecturam eius, *εἰ γ' αὐτὰν τοῦτῳ γνώμαν ἴσχεις*, ut in scriptore Attico, probare non ausim.

In hac quidem Sophoclis fabula, quae prae reliquis corrupta ad nos pervenit, non mirer, si gravior corruptela lateat, quam quae certa emendatione sanari possit. Verum tamen aliquid saltem ad huius loci explicationem videor mihi conferre posse. Chorus, quum obdormivisset Philoctetes, monet Neoptolemum, ut cum arcu illius auferat. Respondet Neoptolemus, arcum nihil prodesse, nisi ipsum Philoctetam secum abducant; hoc enim iussisse deum; ac turpem esse gloriam, rem imperfectam destituisse. Tum chorus, postquam deo relinquendam esse hanc curam dixit, his verbis Neoptolemum monet: οἶσθα γὰρ ὃν αὐδῶμαι, εἰ ταυτὰν τούτῳ γνώμαν ἴσχεις, μάλα τοι ἄπορα πυκνοῖς ἐνιδεῖν πάθη. Scholia Romana sic habent: οἶσθα γὰρ ὃν αὐδῶμαι· δι' ὃν λέγω. οἶον τὸν Φιλοκτήτην. διὰ μέσου τοῦτο εἶρηκε. εἰ ταυτὰν τούτῳ γνώμαν. εἰ τὴν αὐτὴν τῷ Ὀδυσσεὶ γνώμην ἔχεις, ὥστε αἰρεῖν τὸν Φιλοκτήτην ἐντεῦθεν. ἄπορα πυκνοῖσιν. ἄπορον ἔστι καὶ τοῖς συντετοῖς ἰδεῖν τὸ πρακτέον. λείπει οὖν ὁ καὶ γράφεται, πυκνοῖσιν, ἢ ἢ ἐν πράγμασι πυκνοῖς συνιδεῖν τὸ πρακτέον, ἄπορον. Hinc Brunckius suam interpretationem hausit: *scis enim quem loquar; si cum illo sentis, prudentibus maxime datum perspicere, quo se pacto ex difficultatibus extricent.* At hic sensus nullo modo in verbis istis inesse potest, tametsi illud recte monuisse videtur Brunckius, et ὃν et τούτῳ ad Vlysses spectare. Quae vero sequuntur, in hinc scholiastae quidem interpretatio admitti potest, quia, si ἄπορα πυκνοῖς pro ἄπορον ἔστι πυκνοῖς poeta dixisset, πάθη non potuisset sic nude addere, nedum ut id τὸ πρακτέον significaret. Quodsi dici non potuit ἄπορά ἔστι πυκνοῖς, ἐνιδεῖν πάθη, multo minus ita haec intelligi potuerunt, ac si scriptum esset, ἔξῃστι πυκνοῖς ἐνιδεῖν ἄπορα πάθη. Quae quum ita sint, adducor, ut duorum vocabulorum sede mutata sic scribendum putem:

ἀλλ' ὅ τι δύναιο μάκιστον
 κείνῳ μοι νῦν, κείνο λάθρα
 ἐξιδού, ὅ τι πράξεις.

οἶσθα γὰρ ὃν ἀυδῶμαι,
εἰ τούτῳ ταυτὰ γνῶμαν ἴσχεις
μάλα τοι ἄπορα πυκνοῖς συνιδεῖν πάθη.

Chorus Neoptolemum, cunctantem ubi festinato opus erat, ita monet: *vide quid agas, si tibi cum eo, quem nomi-⁷⁰nare nolo, eadem sententia est de malis, quae inextricabilia imminere prudentes intelligunt.* Hoc est, si sic sentis, ut Vlysses, facile intelliges, nisi statim aut arcum, aut ipsum Philoctetam hinc auferas, mox, illo expergefacto, eam rem plurimum difficultatis habituram esse. Ad constructionem quod attinet, *ταυτὰ γνῶμαν ἴσχεις ἄπορα συνιδεῖν πάθη* dictum est pro *ταυτὰ γινώσκεις περὶ ἀπόρων συνιδεῖν παθῶν*: cuiusmodi constructionum exempla, qui tragicorum lectione exercitati sunt, plurima inveniri sciunt. Caeterum *συνιδεῖν* e scholiis Romanis, cuius lectionis vestigium etiam in scriptura *πυκνοῖσιν*, invenitur, praefendum duxi. Strophicus autem versus, in quo hiatum iam olim sed non satis recte explevi, sic est scribendus:

πολύ τι, πολὺ παρὰ πόδα κράτος ἄρρνται.

Metrum dochmiacum est.

XIII.

Αὐτήμαρ et similia. Ἐπ' αὐτό, ὑπὸ τὸ αὐτό. Ἐν αὐτῷ.

Redeo ad nomen *αὐτός*. Alii loci, quos Schaeferus eadem pagina et sequente attulit, ut *αὐτός* pro *ὁ αὐτός* ab Atticis eorumque imitatoribus dici ostenderet, alieni sunt ab hac ratione, quum in omnibus hoc nomen *ipse* significet, ut in adverbis *αὐτήμαρ*, *αὐτοετεί*, aliisque, quorum nollem mentionem fecisset vir praestantissimus p. 57. quo quidem loco etiam alia quaedam exempla affert, quae quamvis speciosa sint, tantum tamen abest, ut illam sententiam confirmet, ut magis contrarium verum esse demonstrant. Ordinar a formula *ὑπ' αὐτό*, quam *sub idem tempus* significare putat Toupius ad Longinum p. 302.

Schaefero non improbante. Plutarchus quidem, quo auctore utitur Toupius, dixit, uti debebat ὑπὸ τὸ αὐτό. 71 Quid vero hoc ad Longinum? Hic X. 3. quum celebratissimum illud Sapphus carmen attulisset, ita pergit: οὐ θαυμάζεις, ὡς ὑπ' αὐτὸ τὴν ψυχὴν, τὸ σῶμα, τὰς ἀκοάς, τὴν γλῶσσαν, τὰς ὄψεις, τὴν χροάν, πάνθ' ὡς ἀλλότρια διοιχόμενα ἐπιζητεῖ; Mirum vero, doctissimos homines non vidisse, Longinum hic ne addito quidem articulo sic loqui potuisse. Nam sane ὑπὸ τὸ αὐτό est *sub idem tempus*: at hoc Graecis Latinisque non de iis rebus, quae uno eodemque temporis momento fiunt, sed de his usurpatur, quae circiter in idem tempus incidunt, nec longo intervallo distant. Id vero de his, quae quis paucis versibus complexus est, ineptissime diceretur. Nimirum Longini loco satius est abstinere, qui, ut aliquot alii in hoc scriptore loci, meliorem codicem desideret. Aliquid tamen in his tenebris ut certum deprehendisse mihi videor. Nam quae in edd. praecedunt Sapphus verba,

ἀλλὰ πᾶν τολματόν, ἐπεὶ πένητα,

quis credat aut a poetria sic scripta esse, quum facilius alia omnia in isto carmine, quam quidquam de paupertate dici potuerit, aut Longinum his verbis, quae minime ad id, de quo agitur, pertinent, finiturum hos versus fuisse, et quidem abrupta media oratione? Ac librorum MSS. lectio, quae haec fere est, ἀλλὰ πᾶν τολματόν ἐπεὶ καὶ πένητα οὐ θαυμάζεις ὡς ὑπ' αὐτό, satis mihi videtur prodere, haec omnia Sapphus verba esse, in quibus quidem de vera lectione nihil nisi ἐπεὶ κε et participium θαυμάζουσα agnosci potest. Non magis in alio Longini loco, XII. 4. Mori et Weiskii patris interpretationem probo: ὁ δὲ Κικέρων, ὡς ἀμφιλαφῆς τις ἐμπρησμός, οἶμαι, πάντῃ νέμεται καὶ ἀνειλδίται, πολὺ ἔχων καὶ ἐπίμονον αἰεὶ τὸ καῖον, καὶ διακληρονομούμενον ἄλλοτ' ἄλλοίως ἐν αὐτῷ, καὶ κατὰ διαδοχὰς ἀνατρεφόμε- 72νον. Hic illi ἐν αὐτῷ significare putant in eodem loco. At hoc a mente scriptoris alienum est. Nec filius Weiskii rem expediit. Mihi quidem videtur difficultas interpun-

ctione tolli posse: πολὺ ἔχων καὶ ἐπίμονον ἀεὶ τὸ καῖον, καὶ διακληρονομούμενον ἄλλοτ' ἄλλοίως, ἐν αὐτῷ καὶ κατὰ διαδοχὰς ἀνατρεφόμενον: *multum habens et semper permanentem calorem, divisumque alibi aliter, simul etiam per vices augescentem.* Ἐν αὐτῷ, hoc est, in ipsa illa re, ἐν τῷ διακληρονομείσθαι ἄλλοτ' ἄλλοίως.

XIV.

Κατ' αὐτό. κατὰ τὸ αὐτό.

Venio nunc ad κατ' αὐτό, quod quum Toupio ad Suidam T. II. p. 73. eodem tempore significare visum esset, Schaeferus ad Lambertum B. p. 210. et 550. id ubique, ubi hanc vim haberet, in κατὰ ταυτὸ mutandum censebat. Vellem mansisset in hac sententia. Sed in adnotationibus ad Greg. Cor. p. 57. pene in eo est, ut assentiatur Toupio. Non attenderunt hi doctissimi viri ad discrimen, quod inter has formulas satis magnum est. Nam κατὰ ταυτὸ est eodem tempore: Hesychius: κατὰ τὸ αὐτό, ὁμοῦ. Exempla attulerunt Toupius ad Longinum p. 302. et Schaeferus ad Lamb. B. p. 210. Κατ' αὐτὸ vero significat, quod nos *gerade, eben*, Latini nunc *admodum*, nunc *forte*, vel etiam aliis modis dicunt. Sic intelligenda exempla, quae Toupius ad Suidam attulit: Herodiani I. 12, 7. ἐπέσχε δὲ κατ' αὐτὸ καὶ λιμὸς τὴν πόλιν: ac *forte fames esse coepit in urbe; und gerade trat auch Hungersnoth ein.* Polybii in Excerptis Vales. p. 1455. (T. IV. p. 560. ed. Schweigh.) ἐκπορευομένων γὰρ ποτε κατ' αὐτὸ πάντων ἐκ τῆς οἰκίας τῆς τοῦ Φαβίου: quae recte sane Toupius interpretatur, *egressis simul omnibus ex Fabii domo*, modo memineris, hoc non esse eodem tempore, quod dicendum fuisset κατὰ ταυτὸ, ut Schweighaeuserus edidit, immerito ob id laudatus a Schaefero, sed *plane omnibus*: Germanice: *da einmal eben alle aus dem Hause gegungen waren.* Strabo T. V. p. 651. (978. D. Almel.) commemoratus a Schaefero ad Gregor. p. 57. ὥστε τὸ ἐπ' εὐθείας μῆκος

τῆς Ἰωνίας εἶη ἂν κατ' αὐτό ἢ μικρῶν πλέον τῶν ὀκτακοσίων: sic recte cod. Mosc. pro vulgato κατὰ ταυτό, i. e. ut *Ioniae longitudo admodum Ioccc stadia contineat, vel paullo plus*. Quid, obsecro, hic sibi vellet κατὰ ταυτό? Sed in loco lexici SGerm. qui in adnotationibus ad Gregor. p. 57. affertur, neque hoc κατ' αὐτό, cuius modo exempla vidimus, neque κατὰ ταυτό, quae coniectura eruditissimo Bastio, festinantius locum adspicienti, excidit, quaerendum est.

XV.

Αὐτὸ μόνον. Αὐτως. Αὐτως.

Similem significationem, sed diversam tamen habet αὐτὸ μόνον, de qua vide Valcken. ad fragm. Callim. p. 28. et Bastii epist. crit. p. 135. ed. Lips. Sed illud non video a quoquam animadversum esse, eandem significationem, qua recentiores αὐτὸ μόνον dixerunt, apud Homerum in adverbio αὐτως inveniri. De quo adverbio hoc magis hic explicandum duxi, quod ineptissima de eo commenti sunt grammatici. Et hi quidem duo distinguunt adverbia, αὐτως, quod, mirum dictu, a feminino αὐτή, ut οὕτως a masculino, dictum putant: v. Favorin. in v. αὐτως et οὕτως; et αὐτως, quod Eustathius p. 235, 5. 407, 42. Aeolice, p. 1755, 15. autem Ionice lenem spiritum habere dicit, quamquam postremo loco addit, ἢ καὶ ὡς ἀπὸ τοῦ αὐτός; alii autem grammatici pro αἰέτως dictum opinabantur: v. Etym. M. p. 272, 42. Zonar. p. 349. Favorin. in v. αὐτως. At unum exstat et solum adverbium αὐτως, cuius quidem si alia adhuc forma, αὐτως, usurpata fuit, eam aut Atticorum propriam fuisse crediderim, quos aspero spiritu delectatos esse novimus, aut excogitatam esse a grammaticis, ex quorum subtilibus inventis multa in usum et consuetudinem venerunt, non secus ac nunc in Germanica lingua pusillorum hominum distinctionibus novas

verborum formas, v. c. *ahnen*, *ahnung*, procudi, et ab imperitis, (sunt autem patriae linguae plerique omnes, qui ea utuntur, imperiti,) usurpari videmus. Homerus certe semper dixit *αὐτως*. Significat autem hoc adverbium numquam, ut Etymologus, Eustathius, quum alibi, tum maxime p. 545, 29. H. Stephanus, cum eoque alii lexicographi tradunt, idem quod *οὕτως*, *sic*, sed *hoc ipso modo*, *ὡς αὐτως*, ut Hesychius interpretatur. Nos, *eben so*, *gerade so*. Quamquam alios etiam habet significatus. De omnibus ordine dicam.

Ac prima significatio est, quam modo commemoravi, *hoc ipso modo*. Od. π. 143. Eumaeus, quum Laertem ante Telemachi discessum nec cibo nec potu abstinuisse narrasset, addit:

*αὐτὰρ νῦν ἐξ οὗ σύγε φῆχο νῆϊ Πύλονδε,
οὕτω μιν φασι φαργέμεν καὶ πιέμεν αὐτως.*

Sic Iliad. δ. 17. γ. 125. Apud Sophoclem in Oed. R. 931. nuncio, dicenti

*ἀλλ' ὀλβία τε καὶ ξὺν ὀλβίοις αἰεὶ
γένοιτο,*

respondet Iocasta,

αὐτως δὲ καὶ σύγ', ὦ ξένη.

Inde est *ὡς αὐτως*, quod Homero semper divisim dicitur, *ὡς δ' αὐτως*, Iliad. γ. 339. η. 430. ι. 195. κ. 25. Od. γ. 64. ζ. 166. ι. 31. υ. 238. φ. 203. 225. χ. 114. ω. 409. Sophocles Trach. 1047.

*ἂν ᾧδ' ἐπίδοιμι πεσοῦσαν
αὐτως, ᾧδ' αὐτως, ᾧς μ' ᾔλεσεν.*

Iam hoc adverbium aut ad eum statum refertur, qui 75 antehac fuit, aut ad praesentem. Si ad illum, qui antehac, pene idem significat, quod *adhuc*, nobis *immer noch*: Iliad. ψ. 267.

αὐτὰρ τῷ τριτάτῳ ἄπυρον κατέθηκε λέβητα,
καλόν, τέσσαρα μέτρα κεχανδόντα, λευκόν ἔτ'
αὐτως.

*Adhuc splendidum, nec dum fumo ac fuligine obdu-
ctum.* Sic σ. 338. ω. 413. Od. ν. 336. ν. 130. Inter-
dum haec significatio proxime contingit aliam, frustra,
de qua infra dicetur: Iliad. ψ. 72.

τῆλέ με εἰργουσιν ψυχαί, εἶδωλα καμώντων,
οὐδέ μέ πω μίσγεσθαι ὑπὲρ ποταμοῖο ἑῶσιν,
ἀλλ' αὐτως ἀλάλημαι ἀν' εὐρυπυλές Ἄιδος δῶ.

Sin ad praesentem statum refertur, significat, *ut nunc
sum*, quod nos dicimus *gleich so*. Iliad. ε. 255.

ὄκνειω δ' ἵππων ἐπιβαινέμεν, ἀλλὰ καὶ αὐτως
ἀντίον εἶμ' αὐτῶν.

Cui loco non dissimile est illud Iliad. σ. 392.

Ἥφαιστε, πρόμολ' ᾧδε·

ubi scholiastes: οὕτως, ὡς ἔχεις σχήματος. τοῦτο γὰρ
ἀν σπουδαῖον φαίνοιτο, ὡς Ἀχιλλεύς, αὐτῇ σὺν φόρ-
μιγγι. In eodem libro ν. 198.

ἀλλ' αὐτως ἐπὶ τάφρον ἰών, Τρώεσσι φάνηθι,
sic, ut es, sine armis.

Deflectit haec significatio in varias partes, pro cuius-
que rei statu et conditione. Sic Iliad. ι. 598.

τῷ δ' οὐκέτι δῶρ' ἐτέλεσσα
πολλά τε καὶ χαρίεντα, κακὸν δ' ἤμυνε καὶ αὐτως,
sic quoque, nihilo minus, i. e. nullis praemiis excitatus.
ψ. 620.

δίδωμι δέ τοι τόδ' ἄεθλον
αὐτως. οὐ γὰρ πύξ γε μαχήσεται, οὐδὲ παλαίσεις.

quamvis non certaturo, i. e. *gratis*. Nos *auch so*, adverbio *so* accentum non inclinante, sed rectum servante.

Ex eadem praesentis status significatione oritur illa, 76 quae est *αὐτὸ μόνον*, *tantummodo*, *nihil amplius*. Nos *bloss*. Odyss. v. 379.

ἀλλ' αὐτως ἄχθος ἀρούρης,

i. e. ἄχθος ἀρούρης, αὐτως: *inutile terrae pondus, hoc ipsum, nihil aliud*. ξ. 151.

ἀλλ' ἐγὼ οὐκ αὐτως μυθήσομαι, ἀλλὰ σὺν ὄρκῳ.

Vide Iliad. α. 133. β. 342. κ. 50. ν. 104. ξ. 18. ρ. 633. Od. ζ. 143. ν. 281. ο. 83. ρ. 303. Inde coniungitur cum adverbiiis, *μὰψ αὐτως*, *nihil aliud quam temere*, Iliad. ν. 348. Odyss. π. 111. hymn. Merc. 488. cum adiectivis, *παῖς νήπιος αὐτως*, *nil nisi infans puer*, Iliad. ζ. 400. χ. 484. ω. 726. ἄφρονα αὐτως γ. 220. ἀκλεές αὐτως η. 100. ἀνεμώλιον αὐτως φ. 474. cum verbis, ut Odyss. π. 313.

δηθὰ γὰρ αὐτως εἶση ἐκάστου πειρητίζων,
ἔργα μετερχόμενος.

Nam nihil aliud quam diu circumibis, singulos explorans. Sic εὔχεσθαι αὐτως, λ. 388. ν. 447. ρ. 450.

Atqui qui tantummodo gloriatur, is gloriatur *temere et sine causa*. Inde haec quoque non rara est significatio: ut Iliad. ζ. 55.

τίη δὲ σὺ κήδεαι αὐτως

ἀνδρῶν.

Vide ρ. 143. Odyss. δ. 665. μ. 284. Sic etiam unus et alter locorum supra allatorum intelligi potest, ut Iliad. β. 342.

αὐτως γὰρ ῥ' ἐπέεσσ' ἐριδαίνομεν.

342 DISERTATIO DE PRONOMINE ΑΤΤΟΣ.

Quoniam vero, quae fieri tantum, ac nihil amplius, dicuntur, etiam sic intelligi possunt, ut quae sine effectu sint, αὔτως etiam *frustra* significat. Iliad. ο. 128.

οὔατ' ἀκουέμεν ἐστί; ἦ νύ τοι αὔτως

Sic 513. π. 117. σ. 584.

ORATIO IN SVPPPLICATIONE OB
SVSCEPTVM AB ELECTORE SA-
XONIAE FRIDERICO AVGVSTO
NOMEN REGIVM *).

Regem hodie, pace pacta, salutamus principem nostrum, cives, Fridericum Augustum, quem nemo est nostrum, nemo omnium Saxoniae civium, qui non colat, non veneretur, non amet. Non haec est eiusmodi solemnitas, ad quam inviti, aut metu coacti convenerimus, sed quam pietate, quam amore invitati celebramus; in qua adesse omnibus exoptatum est; a qua abesse nemo non triste putaturus esset. Nam quid esse dulcius nobis potest, quam ei, cuius sapientissimo imperio salvi beatique vivimus, iis rebus gratulari, quibus ille nihil habet sanctius. Erepta est eius consilio et moderatione e belli calamitatibus patria; restituta est civibus incolumitas; reddita commerciis, artibus, litteris securitas; coluntur rura, in quibus modo tormentorum fragor et morientium eiulatus perstrepebat; reficiuntur flammis deflagrata et vastata latrociniis civium

*) Hanc orationem, quae non fuit typis descripta, propterea edendam putavi, quod habita est impune, maximam templi partem obtinente cum ducibus suis Gallici militis praesidio, quod pompam Academiae multorum cum tympanorum strepitu comitans, illuc ingressum erat. Factum id est a. 1807.

tecta; repetunt penates suos, qui hostili terrore palati, unde viverent nescii, oberrabant; quique omnia, ipsamque spem, ultimas miserorum divitias, amiserant, denuo sperare discunt. Tanti recordationem beneficii, quae nunc omnium Saxonum animos tenet, maxime ab nobis, qui litterarum studiis vitam consecravimus, suscitari alique par est. Nam litterarum cognitio, cuius hoc proprium est, homines ab agresti ferocia liberare, et ad vitae, quae proprie vereque humana sit, cultum evehere, uti natura sua prorsus contraria est feritati bellorum, ita inter hostiles tumultus, quum de sua quisque salute sollicitus est, ruinaeque ruinas adducunt, non modo otio, tranquillitate, adiumentis destituitur, sed, quod gravius est, labefactatur, inclinatur, corrui; eoque casu vis iustitiam, libido moderationem, scelus virtutem, barbaries humanitatem expellit. Quare si cuiquam hodie laetandi gratulandique caussa est, est ea nobis profecto maxima, qui non modo nosmet ipsos optimi principis sapientia salvos esse gaudemus, sed litteris quoque ita videmus prospectum esse, ut haec saluberrima studia, quae temporum iniquitate nimis iam alibi torpere incipiunt, in Saxonia tutum habeant securumque domicilium. Agite ergo, cives huius Academiae, grato pioque animo recordamini magnitudinem huius, quod nobis contigit, beneficii; et recordamini ita, uti merita postulant eius, quem quum semper, tum maxime nunc patrem patriae sumus experti.

Ac quid est, quod prius in mentem nobis veniat, quam id, ad quod haec ipsa nos adhortatur solemnis supplicatio? Regem enim venerantes ante omnia reputare decet, quid hoc, quantumque sit, regem esse: quoniam haec demum vera est et iusta veneratio, cuius caussas aliquis et vim et pondus perspexerit. Neque vero is, pro cuius incolumitate deum precaturi in hoc templo convenimus, talis est, qui ab ista cogitatione nos avocet: immo haec inhaeret animis nostris Friderici Augusti imago, quae, quo magis aliquis regias virtutes consideret, eo clariore lumine exsplendescat. Aliud est enim regem

nominari; aliud esse regem. Multi vocati sunt reges, a quorum ingenio factisque abhorrebat tanti nominis sanctitas: quod contra aliqui fuerunt, quibus denegaverat fortuna dignum hoc meritis nomen, sed regia praediti indole, factis clari, memoria immortales. Neque enim fortuna arbitra est meritorum; nec nomen decorat virtutem, sed virtus nomen. Non illum recte regem vocabimus, qui inertis desidia commissam sibi populorum curam negligit, contemptus a civibus; aut illum, qui impotenti dominatione atque atrocibus ausis gloriam quaerit, palam metutus, clam execratus: sed is sibi nomen vindicat, qui civium salutis atque incolunitati prospicere primam laudem esse putans, cum prudentia fidem, cum consilio constantiam, cum fortitudine iustitiam consociat.

Prisca hominum aetas eum regem esse iubebat, qui et fortior aliis et sapientior haberetur: recte sane pro temporum illorum conditione. Simplex enim erat quum privatorum hominum vita, tum reipublicae administratio. Suo quisque vivebat arbitrio, morum magis a patribus acceptorum tenax, quam legum diligens observator. Pro iustitia aequitas, pro iudice erat arbiter. Vt quisque natu maior erat, ita maiore pollebat auctoritate: sapientior enim habebatur, qui plura vidisset audissetque. Deorum metus et reverentia seniorum continebat temeritatem, frenabat libidinem, leniebat iras. Publice quae agenda erant, bello decernendo gerendoque, tum foedere faciendo et iure dicundo continebantur. Ducis erat regisve strenue pugnare, aliisque praeire fortitudinis exemplum; caetera domi degebat, parum diversus a privatis, nisi quod opulentior fere esset et honoratior. Mutata temporum facie, quum multiplices artes efflourissent, quum negotiorum admirabilis orta esset varietas, quum vivendi rationes discretas essent, quum homines genere, consuetudine, vicinia coniuncti tamquam peregrini inter peregrinos vivere coepissent, quum universus terrarum orbis commerciorum communicatione esset coniunctus, quum gentium denique eadem et consociatio et alienatio, quae privatorum homi-

num est, exstisset, alia regum quoque nata sunt negotia, alia officia, aliae virtutes: quodque ante facile fuerat, difficile redditum est et periculosum, neque ab uno sustineri potuit sceptri pondus.

Ac quum ante primum in regiis virtutibus locum tenuisset fortitudo, secundum sapientia: cessit, ut par erat, fortitudo sapientiae, privata virtus publicae. Fortem enim esse regem decet, quia civis est; sapientem, quia rex. Si olim primus pro patria caput offerre morti debebat rex, quod hac re maxime prodesse civibus poterat, et facile, qui eius locum expleret, alter reperiebatur: nunc vivere pro patria regis est, non perire, quod rege perempto concidit rerum ordo, neque idem manet consilium, aut eadem rei publicae conditio. Sanctum est regis caput: qui ut ignavus foret, si detrectaret mortis periculum, quum in extremo rerum discrimine inflammandae sunt ad fortitudinem bellantium catervae, ita idem temerarius esset, si, militis laudem regio officio anteponebat, privatae virtutis gloriam quaereret, communis salutis oblitus. Omnis virtus, quae regii muneris propria est, nunc in sapientia versatur, cuius duae sunt partes, diversissimae illae quidem, sed non dissociabiles, prudentia et iustitia. Nihil est enim earum rerum, quae populorum regnatoribus agenda sunt, quin his duabus virtutibus indigeat; nihil usquam, quod laudi esse ac decori regibus possit, quin iisdem virtutibus comprehendatur.

Ordiamur a prudentia, quae dignitate quidem inferior iustitia, sed necessitate par, ordine etiam prior est. Habet autem prudentia quoque suas partes, unam late patientem, paratu difficilem, cognitu subtilem; alteram intricatam in iudicando, molestam curis, ancipitem periculis: cognitionem rerum, quas principem scire oportet, dico, et sagacitatem in eligendo, quod utile sit. Ac primum principi gentis, cui praefectus est, res gestae, instituta, mores, ingenium; regionisque, quam in sua ditione tenet, situs, cultus, proventus cognoscendi sunt.

Neque in illo terrarum spatio, quod ipse possidet, consistere debet eius scientia, sed alios quoque populos complectatur oportet, neque solum eos, quorum vicinia vel utilitatem promittit, vel damnum minatur, sed caeteros quoque, a quibus commerciorum communitate vel artium litterarumque incrementis aliquis fructus percipi possit. Amicitiae ei tenendae sunt gentium, atque inimicitiae; foedera discenda, eorumque foederum fontes, et factae iam ac futurae vicissitudines. Nec negligenda ei est humanae naturae cognitio, qui perspicere debeat, cum quibus quidque, et per quos agatur; qui aliis fidere, aliis diffidere; tectus erga omnes, obnoxius nemini esse debeat. Ad has tantas tamque late diffusas artes acre oportet iudicium accedat, et indefessa vigilantia, si quis prudens populi gubernator appellandus sit. Nam quemadmodum etiam qui summo ingenio praeditus est, si ei desit illarum rerum quas modo enumeravi cognitio, parum idoneus est populorum rector, qui quamvis cupiat prodesse civibus, materiam, qua prosit, aut nullam habeat, aut ineptam eligat, aut aliorum fraude vel inscitia oblatam amplectatur: ita etiam qui omnia ista tenet, quae fundamenta sunt fontesque civilis prudentiae, si ingenii dexteritas absit, aut nihil, quod utile sit et fructuosum civibus, efficiet, aut perverso usu pro commodo damnum, pro salute perniciem inferet reipublicae. Indiget autem haec pars prudentiae, quae in iudicio est et utilitatum comparatione posita, multa diligentia, multo labore, multis curis ac sollicitudinibus: quare maior est atque excellentior illis virtutibus, quae, ad speciem insigniores, nec tantum molestiae requirunt, et remissionem admittunt frequentiore. Audaci facto una hora omnium tibi pepereris admirationem: prudentem administrationem reipublicae pauci agnoscunt, plerique ne animadvertunt quidem, multi etiam reprehendunt. Percellunt enim animos, quae insolenter fiunt, bona pariter ac mala, honesta aequae ac turpia: sed delitescunt, quae tempore indigent; si recte fiunt, quod non videntur aliter geri debere; sin male, quod damnum non est conspicuum. At-

qui ultra tandem maior est et praestantior virtus? utrumne illa, quae opera facilis, tempore brevis, laude speciosa est, an haec, quae summo labore paratur, quae totius vitae sibi tempus vindicat, quae ad speciem levis, ad fructum magna, diuturna, immortalis est? Illae demum gentes felici sorte et florente statu gaudent, quarum regnatores indefesso studio utilitates ponderant; quae temporum cursus mutari postulat, abrogant; quae recentior aetas artium et doctrinarum inventa protulit, introducunt; leges accommodant rationibus et moribus civium; foederum societates, quae damnosae aut periculosae sunt, declinant; quae utiles tutaeque, ineunt; temporibus cum dignitate et honestate inserviunt; in amicis et adiutoribus eligendis peritiam, probitatem, fidem spectant; adulatorum blanditias vitant; honestorum libertate non indignantur. Hisce artibus non plausus vulgi, sed approbatio sapientum; non abiecta veneratio plebis, sed amor civium; non laudes parum sinceræ aequalium, sed certa admiratio posteritatis paratur. Et ipsi regi ecquod dulcius potest atque exoptatius praemium esse amore civium, quo nullum firmiter, nullum incorruptius est bene meritorum testimonium? Hoc ille praesidio tutus, nullius timens insidias, desideratus omnibus, aequo animo adspernatur civium pernicie emptam gloriam.

Sponte intelligitis cives, quae nostra debeat pietas esse, qui sive regem vocaverimus Fridericum Augustum, sive, ut consuevimus, patrem patriae, perinde est. Huius prudentiae atque infatigabili studio debemus, quod per tot annos tranquilla in pace non modo salva fuit Saxonia, sed floruit etiam cultu, commerciis, artibus, litteris; et magis floruit, quam aliae regiones plurimae. Huius sapienti consilio debemus, quod his ipsis temporibus, ubi non solum Germania funestis cladibus afflicta est, sed universus terrarum orbis magnorum motuum incendiis flagrat, ubi regna pereunt et nascuntur, ac novus rerum ordo devorat antiquum, periturus ipse, inter medias ruinas diu tati, denique, quum prope et in ipsis Saxoniae

campis belli furor grassaretur, post breve tempus ex malis, quantum licebat, liberati, et in securitatem restituti sumus. Scientibus dicerem, si dicerem, quanta eius in his periculis circumspectio, quanta moderatio, quanta fortitudo fuerit. Nec dici commemorarique hae res, sed cogitari sentiri que postulant. Ea est enim optimi principis modestia, rara comes excelsioris fortunae, ut meruisse laudem, quam ea praedicari malit. Itaque conticeat de his rebus oratio nostra, quas ne potest quidem satis digne laudare, nisi qui pari in loco constitutus et difficultatem earum et discrimina est expertus.

Illa vero, quae altera est regiarum virtutum, taceri non potest, iustitia: quae regia est virtus, non quod propria sit regum, sed quod, quum ab rege aliena est, magis atque aegrius, quam in quocumque alio, desideratur. Nam si quis recte aestimare velit, neque regia est, neque privata virtus, sed, quod maius est atque excelsius utroque, humana. Fons illa est omnis honestatis, omnium recte factorum, dux ad veram laudem, mater immortalitatis: quam habere necesse est; qua carere turpe est ac foedum: quae a quo abest, sive privatum, sive regem, ex hominum numero submovet et detrudit ad belluas. Existimabitis fortasse, iustitiam iniuria dici virtutem, quod, si quis eam possideat, is nihil habeat, nisi quod abesse ab homine non possit; si quis autem ea destitutus sit, is ne sit quidem hominis loco habendus. Et recte ita existimaretis, nisi, proh dolor, tot hominum cuiuscumque conditionis, tot etiam regum exempla exstarent, quorum crudelia atque immania facta ostenderunt, vitio carere, id esse virtutem dicendum. Is, qui ipse iustus est, nec virtutis loco numerat iustitiam, nec laudem ea quaerit: sed illi, ad quos iniustitiae pestifera damna, iustitiae salutare fructus pertinent, illi demum, quantum hoc sit, quamque praestans, iustum esse, cognoverunt. Nec sane hoc leve putandum est aut facile esse, praesertim in eo, quem muneris amplitudo multis et perplexis implicat negotiis: in quibus saepe ambigui, saepe obscuri sunt iustitiae atque

iniustitiae fines; in quibus cum iustitia concilianda est utilitas, ab utilitate segreganda iniustitia; in quibus si uni se iustum praebet, metuendum est, ne iniustus erga alios sit; in quibus iniustitiae saepe proposita sunt praemia, iustitiam consequuntur poenae. Quare alia est multoque excellentior in rege, quam in privato homine iustitia, non quod ipsa dissimilis sibi iustitia sit, sed quod in privato facilis, in rege difficilis; in privato paucarum indigens aliarum virtutum, in rege et plurimis opus habens et maximis, diligentia, vigilantia, prudentia, moderatione, fortitudine, constantia. Non decet nos haec singula persequi, quae tam varia tamque implicata sunt, ut generatim comprehendi ab nemine, in singulis caussis perspici ab eo tantum possint, qui ipse rerum summae praefectus est. Illud potius vos, cives, quibus contigit iusto sub principe vivere, nunc contemplamini, qui fructus e regis iustitia in rempublicam, quae damna ex iniustitia redundant, quidque pretii iusto regi, quid iniusto sit statuendum. Tutivivitis tectique legum saluberrimarum praesidio, quas impune violare nemini licet, quibusque ille ipse, qui eas tulit, sese adstrictum fatetur. Bene enim ille intelligit, duplicem se sustinere personam, unam principis, alteram civis, nec principi condonandum censet, quod non liceat civi. Sapiens, continens, moderatus, mitis, beneficus, civibus praecit exemplum, in quod intueantur, quod imitentur, quod vereantur; nullus ad eum cupiditatibus aut libidinibus, quibus foedatur solii maiestas, aditus patet; pius sanctusque ipse pietatem suam et sanctitatem cives docet aemulari. Qualis erga hos est, quibus ipse imperat, talem se praebet etiam adversus externos; non quaerens ambigua lucra, sed contentus paratis; non captans opportunitates perfidiae, sed fidem servans incorruptam; nulli damnum inferens, sed pericula ab suis arcens; non invadens et rapiens aliena, sed tuens et conservans propria. Evolvite monimenta historiae; considerate illos reges, qui sibi scripta negarunt iura; qui cives mancipia, sese dominos esse putarunt: videte quam facilis ad eos accessus fuerit adulationi, fraudi, ac turpitudini; quam,

dummodo ipsi quibusvis voluptatibus fruere, parvi fecerint laborem, molestiam, miseriam, ipsamque vitam civium; quam legum apud eos vanum fuerit nomen atque inanis auctoritas, ubi silere cogebantur, quum regi eiusve amicis placuisset; quam foederum temere conculcaverint sacrata iura, fidem in perfidiam mutantem, si insatiabilis incitaret avaritia; quam large profuderint sanguinem insonitum, si dira vindictae pervicacia, vel gloriae furens cupidus adderet stimulos. Et ita illi ad laudem et gloriam viam sibi parari existimarunt? Eane laus est et gloria, sibi vivere, in commune inutilem aut perniciosum? sibi vivo parare monumenta, quae mox sequutura aetas deleat? viventium oculos in se convertere, avertere oculos posteritatis? Non haec iusto principi mens est, qui hominem sese esse sciens, illud omnium habet antiquissimum, servare officia humanitatis, nec putat regiam dignitatem sustineri ab se posse, si humanam exuerit. Non ille sibi populum, sed se populo datum esse iudicat: cuius verae perpetuaeque utilitati inservire, id muneris sui proprium esse censet. Non ille aliam quaerit gloriam, quam quae parta, conservata, aucta incolumitate civium continetur, parum sollicitus de tali praeconio, quod in ancipiti fastigio collocatum, non longius a vitio, quam a virtute abest; sed certus eius laudis, quae sceleris expers, saepe tarda, saepe sera, sed non dubia, sed intemerata elucet. Quid enim aequalium voces curet is, cuius facta atque instituta non unius hominum aetatis, sed saeculorum diuturnitatem habent? qui non diruere ac delere, quae priores condiderunt, sed serere, unde posterius fructum percipiant, sibi decorum putat? qui vitam hominis non mortalem esse, sed ubi quis semel natus sit, eius facta per omne aevum, sive bona sint sive mala, vigere, nec boni, quod fecerit, finem, nec mali terminum esse usquam, intellexit; qui novit severam esse et incorruptam regum iudicem posteritatem, quae alios memoriae, alios oblivioni tradit; et quos tradit memoriae, eorum alios clara luce circumfundit, aliorum nominibus comitem addit horrorem, ut habeant, qui sequuntur, quos aemulentur, et quos reformident.

O beatum populum, cui talis divinitus datus est rex: o beatam Saxoniam, quae regem habet, qui melior atque excelsior est nominis splendore, regem carum civibus, honoratum exteris; magnum apud aequales, maiorem apud posteros; desideratum viventibus, nulli accusatum apud manes mortuorum, ubi sceptrum cadunt, et infimus par est regi; ubi iudicem iudicant damnati, et caesi ulciscuntur occisorem; ubi necessitas imperat, et aeterna sunt praemia, aeternae poenae. Sero ad hos perveniat, cui non formidabile est supremum iter, rex noster, Fridericus Augustus: quem tu, summe deus, qui regna tribuis et adimis, atque occulto tramite cursum dirigis fatorum, diu salvum ac sospitem cum omni eius gente conserva. Fac saluberrima eius instituta ne concidant gentium ruinis, quibus universus terrarum orbis quassatur; fac, sicut ille sapientis iustique regis exemplum est, ita sit etiam felicitis; fac illustre in illo documentum exstet tuae aequitatis, diuque carus caro sibi intersit populo: mortisque frena caecos impetus, ut ab sancto eius capite diu territa recedat, aliorum iustas effundens iras.

CARMEN SAECVLARE
NOMINE
ACADEMIAE LIPSIENSIS

D. IV. DECEMBER. A. P. C. N. c1610cccix.

QVINTVM SAECVLVM SOLEMNITER AVSPICANTIS
D I C A T V M.

Descende, sedes sanguinis inscias,
O Musa, linqens, et nimium diu
Deserta vastatae cruentis
Caedibus arva revise terrae:

Revisae notae moenia Lipsiae,
Et culta puro corde sacraria,
Latumque honoratis per orbem
Nominibus celebrem palaestram.

Nam saecularis lumine candido
Dies renatus ducere iam choros,
Monetque non venale carmen
Liberiore sonare plectro,

Priscamque Boiae tollere laudibus
Vrbem Libussae, dissidio gravi
Iactatam, et egressas catervas:
Vnde novos tenuit colonos

HERM. OP. I.

Z

Dilecta Phoebos Lipsia, plurimam
 Mirata pubem et laurigeros duces,
 Mirata et Ottonem recenti
 Agminis imperio potitum.

Quem magna longis ordinibus cohors
 Sequuta, vitae lampade tradita,
 Urgetur aeterno sopore,
 Nil nisi, quo veniemus omnes,

Praegressa. Quamquam, dum bona singulos
 Mater reposita terra, fidelium
 Stat res virorum intacta plagis
 Omnia dissociantis aevi.

Aevum latenti momine temporis
 Diem diebus, saecula saeculis
 Addens, retractari negante
 Arbitrio moderatur orbem,

Nunc firma servans, quae temerarios
 Ausus malignae fraudis et efferos
 Odere fastus, nunc ab alto
 Culmine deiiciens potentem

Turpi ruina. Cernit enim nefas,
 Auditque iudex additus inferis,
 Quisquis sub Orco congregatis
 Conqueritur novus hospes umbris,

Seu sancta fidae foedera dexteræ
 Contempta narrans, sive malam sitim
 Auri, tumescentisque diros
 Luxuriæ memorans furores;

Martisve dicens insatiabiles
 Rixas, et atri flumina sanguinis
 Per prata, per campos virentes
 Fusa, trucesque necis figuras.

Quali tumultu nuper inhorruit
 Concussus orbis, quum proprio gradu
 Bellona tellurem pererrans
 Punicum quateret flagellum,

Qua dura sensit proelia Sarmata
 Adusque Gades, exitialibus
 Armis ubi iratus rebellat
 Cantaber, indocilis domari.

Quin et parentis Teutoniae genus
 Magno resurgens vidimus impetu
 Tentare fortunam fugacem, et
 Luctificas iterare clades,

Quam pene nostris contiguas focis,
 Quum pervicaces non sine numine
 Turmae propinquarent nigrique
 Dux equitis, generosus exsul. *)

O clara Pragmae filia, te suam
 Praesens tremenda protegit aegide
 Regina Pallas; te benigno
 Lumine respiciunt Camenae,

*) Hanc et praecedentem stropham omitti iusserant in exemplis publice distributis qui tum res nostras nimis meticulosi regebant.

Arcentque sacro limine barbarum.
 Hostem, proterva ne violet manu
 Stantem quater centum per annos
 Teutoniae veterem magistram,

Quam nunc beatam iustitiae tenax
 Sceptrum gubernat Principis optimi;
 Gubernet et seros in annos,
 Incolumemque potente dextra

Conservet, addens praesidium grave,
 Pravus decorem ne vitiet situs,
 Antiqua neu moles fatiscens
 Quadrifidae titubet columnae;

Neve aut honores immeritos ferat
 Tardae dolosus fucus inertiae,
 Aut nullum adulans vera virtus
 Exiguo lare pulsa cedit.

Dissolve curam et sollicitos metus:
 Florebis, artes donec erit sacras
 Quae palma claret; donec acris
 Insita pectoribus cupido

Caliginoso tramite terminos
 Veri flagrabit tangere; dulcium
 Donec repertricem modorum
 Helladis ingenuae loquelam

Discet Britanno non minor aemulo
 Germanus, et vim pandet amabilem
 Quondam sonatarum deabus
 Aonio Helicone vocum.

**Florebis, et, post non secus ac prius,
Sempervirenti plurima gentibus
Dicere crines cincta lauro
Nobilium genitrix virorum,**

**Lux veritatis Lipsia posteris,
Princeps sororum: dum populos deus
Levare fessos, et farentis
Frangere tela velit duelli.**

VIRO ILLVSTRISSIMO
ET
DE PATRIA MERITISSIMO
G E O R G I O G V I L I E L M O
C O M I T I
A B
H O P F F G A R T E N
POT. REGI SAX. AB INTERIORE CONCLAVI
ADMINISTRO CET.
SEMISAECVLAREM HONORVM
D E C V R S V M
G R A T V L A T V R
ACADEMIA LIPSIENSIS.
MDCCLXXII. A. D. II. DEC.

Longum mitte silentium,
Ad dulcesque redi, Musa, lyrae modos.
Dicendus tibi iam senex,
Qui per lustra decem maxima sustinens
Sancta munera cum fide,
Quaesitae meritis praemia gloriae
Et votis sociam piis
Communem patriae laetitiam videt.
Cessas? Scilicet anxiae
Mentem virgineam sollicitudines
Turbant, et trepidus pavor,

Quod parere novis tempora legibus,
 Et rupto vaga vinculo
 Discunt insolitas fata sequi vias,
 Armorum et resonat fragor,
 Qua Sol Hesperium deproperans iter
 Immitis fera Cantabri
 Ferro bella videt iuncta Britannico;
 Vel qua terribilem rigens
 Veloci Tanais mittit equo virum,
 Pontique efferus accola,
 Vrbes ipse suas urere pervicax,
 In nostrum quoque militem
 Ira, saevit atrox exitiabili.
 At tu pelle animo metum:
 Aequa lance deus pondera pensitans,
 Nutu turbini feris
 Et quamvis tumidis fluctibus imperat.
 Quin suavi citharae sono
 Annosum eximii pande decus senis,
 Qui Regem patriae patrem,
 Qui recto patriam consilio iuvans,
 Veris fulget honoribus,
 Dum cura vigili damna cavet mala,
 Nec leges populi sacras
 Firmatamve sinit foederibus fidem,
 Custos impiger additus,
 Laedi, nec latitare aut scelus aut nefas.
 Illum nunc pia civium
 Gratorumque frequens turba clientium
 Cum primis populi viris
 Circumstant, neque abest, quisquis amicior:
 Et quo quisque potest modo,
 Festum laetitia concelebrant diem,
 Seu necti viridantibus
 Ramisserta libet, sive placent magis
 Dulci carmina cum lyra.
 O Grandaeve Senex, carmina nos TIBI
 (Nam sic convenit unice)

360. CARMEN AD GEORG. GVIL. COM. AB HOPFFGARTEN.

Gratantes ferimus, debita munera.
Tv, quos nobilis artium
Doctarum ingenua ducit amor fide,
Musarum comites sacros,
Distinguis populo, comis, et ad Tvam
Admittis faciles domum,
Doctorum ipse virorum in numero micans:
Indoctos etenim notat
Fastu cum tumido vana superbia.
Vivas incolumis diu,
Et Regi et patriae dulce decus, neque
Nobis Te invideat deus.
Tv firmum column praesidiumque eras,
Praesens auxilio gravi,
Quo quamvis dubiis rebus et asperis
Staret nostra sodalitas,
Floreretque bonis inclita legibus;
Idem scita patrum sacra
Suspensis manibus tangere providus.

ALEXANDRO
RVSSORVM
IMPERATORI AVGVSTISSIMO
LIBERATA EVROPA
REDVCI
LITTERARVM
IN VNIVERSITAE LIPSIENSI
CVLTORES
M. IVL. A. DOM. MDCCCXIV.

Non ante visis ausibus addita
Mosquae vetustis plurima Pergamis
Quum flamma regales per arces
Corriperet laqueata tecta,

Exarsit acri vulnere percita
Mens alta magni CAESARIS, et, satis,
Dixit, ruinarum: severus
Vltor ero scelerisque vindex.

Hinc excitatas horrida vidimus
Ad bella gentes confluere undique,
Durisque permixtos Gelonis
Ire sagittiferos Bechiras,

Teque, o nivalem qui Tanain bibens,
Confisus hastae cuspide, caetera
Securus, effusis iubatum
Certus equum moderare frenis.

Venit Borussus, nec patiens morae
 Alta repostas mente resuscitat
 Iras, et omnes arma clamant,
 Arma gravi metuenda Gallo.

Venere ab Istri flumine Martium,
 Longa subacti militia, genus;
 Ensemque commutans aratro
 Boius habet nova miles arma.

Quin transmarinas iungere maximo
 Ardens duello Suecia copias
 Venit: fatigatumque frangunt
 Cladibus assiduis tyrannum.

Eheu, rubentes sanguine vidimus
 Vndas Elystri: vidimus improbam
 Stragem, et cruentis sparsa campis
 Corpora et exuvias virorum:

Quum victus hostis cessit, et omnibus
 Clarata saeolis Lipsia liberae
 Princeps, io, dixit; triumphe
 Teutoniae, cupidusque Saxo

Mutavit hostem, signaque contulit
 Infesta Gallis. Vnde ferocior
 Bellona iam torquet flagellum, et
 Cum Bavaro parat arma Suevus.

Iamque et Batavi proelia concitant,
 Et roboratos Marte Britannico
 Dux magnus invictos Iberos
 Laude iubet cumulare laudem.

Quid multa? Sensit milite barbaro
 Devictus audax accola Sequanae,
 Iramque divorum pavescens
 De patriis trepidavit arvis.

Sed stans sua vi vera potentia
 Spernit, quod ultra iustitiam est, neque
 Permittit insontem malorum
 Non meritas tolerare poenas.

Dicende seris magne nepotibus
 Tu, mite, CAESAR, consilium probas;
 Et pristinos reges avito
 Restituis revocasque regno.

IDEM, scelesto quum furor hosticus
 Teneret igni moenia Lipsiae,
 Lenis pepercisti noventis
 Laedere templa sacrata Musis.

Quin et potentem consilio virum,
 Qui dira belli Saxonibus mala
 Levare curaret, dedisti,
 Praesidium o columenque nostrum.

Vnum precamur: restituas Patrem,
 Reddasque nobis, hei nimium diu
 Desideratum, quem fideli
 Corde memor populus requirit.

IN REDITV
FRIDERICI AVGVSTI
PATRIS PATRIAE
LITTERARVM CVLTORES
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
M D C C C X V.

Tandemne caelo candidum tollis iubar,
Desiderata lux diu?
Tandemne **R**EGEM Saxones vident suum,
Domumque priscam principum?
Longo timore dubia vix credunt sibi
Contrita corda civium,
Dum triste sensim rumpitur silentium,
Laetaeque voces perstrepunt.
Ergo ipse coram fidus ad fidus redux,
Desiderate **R**EX, ades?
Desiderate, pectoris quantum intimi
Non ulla vis effabitur.
Hei gravia multa, multa perpressu aspera
Cives fatigarunt **T**VOS:
At illud ante cuncta praepotens malum,
TE cernere ereptum sibi,

Germanicorum principum priscum genus,
 Caris amatum civibus.
 Sed dum ipsa Clio non fugit laurum sibi
 Deripere venali manu,
Tv, semper idem, fortis extremum pati,
 Rex esse facto comprobas,
 Indigna digne perferens; quidvis magis,
 Quam facere, quod nefas, amans;
 Quantoque gravior diritas urget mali,
 Tanto Ipse maior eminens.
 Vnde omne in aevum mentis excelsae manet
 Dicenda laus nepotibus.
 Ergo, **PATER**, salvare **TE** iubent Tui,
 Gens universa Saxonum:
 Ardet iuventus, et viri fervent, senes
 Novis calescunt gaudiis;
 Ducunt choreas virgines, matres manu
REGEM tenellis indicant.
 Illi quoque ipsi, saevâ quos necessitas
 Regno revellit a Tuo,
 Gaudent reversum, et cum dolente pectore
 Amica vota nuncupant.
 Quid? nostra turbae mixta gratanti manus
 Num segnius fundat preces,
 Qui redditum **TE**, redditum nobis quoque
 Laetamur imis cordibus?
Tv nos benigna mente, **REX**, Pater bone,
 Vti solebas, respicis:
Tv nos tueris, **Tv** potens servas Tuae
 Phoebea templa Lipsiae.
 Tuere porro deditum hunc chorum **TIBI**,
 Defensor et praeses gravis,
 Sempervirenti cana grandaevus senex
 Lauru decorus tempora.
 Fatis reguntur caetera. In caelo deus
 Aequa movet sortes manu,
 Adversa faustis temperans, atque e malo
 Solamen excitans mali,

Nunc erigens collapsa, nunc stantem gravi
Citus ruina perdere,
Virtutis altor et stator: sed impiis
Vltor trisulco fulmine.

INDEX GRAECVS.

A

Ἀγγελίης, ἀγγελίην 190.
ἄδικος γνάθος 77.
άειν terminatio verborum apud
epicos 243.
ἄθροός ἵππος 78.
ἀμφί σ' οὔνεκα 221.
ἄν geminatum 225. seq.
ἄν pro *ἐάν* correptum 286.
ἀναλαμβάνειν τὸν ἵππον 78.
ἀνέχειν τὸν ἵππον 79.
ἀπό βοῆς ἔνεκεν 220.
ασον terminatio verborum 96.
αὐτός 308. seq. *αὐτὸν* encliticum 330. *αὐτοῖς ἵπποις* et similia 194.
αὐτοφνῆς δρόμος 67.
ων genitivi terminatio 131.

B

Βάδην 65. seq.
βιφήν 242.

Γ

γνώμην ἐμὴν 202.

Δ

δὲ in apodosi 225
δεξιόσειρος 69.
δέχεσθαι τινος, τινι 177. 179.
 seq.
διατροχάζειν 67. 72.
διαύλιον 291.
δίδυμνος 251.
διδῶν 242.

διψάειν 243.
δυή 289.
δύναμαι cum infinitivo futuri 281.
δυοῖν ἀμαρτάνειν 178.

E

ἐάν saepe hiatus facit apud Homerum 227.
ἐαντῶ λαλεῖν 140.
εἰ cum coniunctivo 275. *εἰ* et *ἦν* 279. *εἰ etiamsi* 208. *εἰ οὐ* 241.
εἰ δ' ἄγε 153.
εἶναι abundare creditum 227.
εἰς. ἐνὶ λόγῳ 157. *ἐν* omitti creditum 178.

ἔλασις 76.
ἐλάων participium 243.
ἐμπαξ 208.
ἐξοχος ἄλλων 219.
εο contracta in unam brevem syllabam 253.
ἐπιλαμβάνειν τὸν ἵππον 80.
ἐπιραβδοφορεῖν 67. 69.
ἐπισκέλισις 71. 73.
εσκον terminatio verborum 96.
ἔσλος 251.
ἑτερόγναθος 74.

Z

Ζῆν 137.

H

ἦ 208. seqq. omitti creditum 205.

ἤρεμειν 79.
ἠρεμίζειν τὸν ἵππον 79.
ἠῶθι πρό 219.

I

ἶ pronomen 330.
ἴν pronomen 257.
ἴνα omitti creditum 208.

K

κεκτώμεθα 241.
κηπευειν, κηπευμα 58.
κηρόθι μάλλον 219.

Λ

λαλεῖν ἑαυτῷ 140.

M

μαιμάειν 243.
μᾶλλον omitti creditum 208.
seqq.
μεταβάλλεσθαι τὴν ἐκπασίαν 74.
seqq.
μῆ et μῆ οὐ 228. seqq. μῆ ve-
lantis ut construatur 270.
seqq.
μῆνις pro μῆνιμα 201.
μῖν pro ἔ 322.

N

ναιετάειν 243.
νόσφι 222.

O

ὄ quare 198.
ὄγμος 56. seqq.
οἰσθ' ὡς πόησον et similia 214.
ὀρόγνια 252.

οὐ 228. seqq. οὐκ οἶδ' ὅτι δεῖ
πλείω λέγειν 239.
οὐδέεις τις 222.

Π

παιδίον non tragicum 61.
πέδη genus ἐκπασίας 73. seqq.
ἐπιμήκης, κυκλοτερής 74.
πεινάειν 243.
πλανεῖς 251.
πρὶν 211.

Σ

σειραφόρος 69.
συγγνώμη 242.

Τ

τηλεθάειν 243.
τιν 257.
τις omissum 154.
τὸ propterea 198.

Υ

υι ante consonantem 171. seqq.
in optativis 289.
ὑπ' αὐτό, ὑπὸ τὸ αὐτό 335.
ὑπολαμβάνειν τὸν ἵππον 78.

Φ

φοβῶτο 242.
φύει 289.

Χ

χάριν ἔνεκα 220.

Ω

ὡς omitti creditum 213. ὡς cum
infinitivo 215. ὡς quemad-
modum cum coniunctivo 207.
ὥστε cum infinitivo 215.
ὦων genitivus 131.

INDEX LATINVS.

A

Accusativi ratio 195.
Aposiopesis 150.
articuli collocatio cum nomine
substantivo et adiectivo 222.
Atticistae 269.

C

Calliae γραμματικῆ θεωρία 137.
seqq.
canticum in Romanorum fabu-
lis scenicis 290. seqq.
cantio quid sit 31.

- cantores 298.
 coniunctivus deliberativus 208. seq.
 copula raro iunguntur epitheta a poetis 112. participium et verbum iungens 225.
- D
- dativi ratio 192.
 dialecti 129. sqq. epica 132. lyrica 133. poetarum 132. sqq. Pindari 245. seqq.
 digamma 130. seq.
 drama comicosatyricum 44.
- E
- elisiō in fine trimetri 143.
 ellipsis 148. seqq.
 epica dialectus 132.
 equestrium certaminum ratio 67. seqq.
 equi conscendendi modus 64.
 equitationis ratio 63. seqq.
- F
- figuræ orationis 97. 104.
 flebile quid sit 39. 41.
- G
- genitivi ratio 174. seqq.
- H
- harmonia, quibus usus est Pindarus 261.
- I
- infinitivus pro imperativo 171.
 pro verbo recto per attractionem 214. futuri 281.
 ius puniendi 3 seqq.
- L
- lyrica dialectus 133.
- M
- magis* omissum 211.
modos facere 294. seqq.
- N
- numerus poeseos et prosae orationis 121.
- O
- orationis prosae et poeticae differentia 81. seqq.
- P
- Pindari dialectus 245 seqq.
 pleonasmus 148. seqq. 217 seqq.
 poena quid 3. seqq.
 poeseos notio 24. genera 20. seqq. differentia a prosa oratione 81.
 poetica dialectus 132. seqq.
 prosae orationis et poeseos differentia 81.
- R
- ridiculi natura 38.
- S
- sublimitatis natura 33.
- T
- tibicen in Romanorum fabulis scenicis 290. s.
 tragoediae mutatio circa Ol. XC. 135.
 tropus quid 97. 104.

I N D E X S C R I P T O R V M.

- Aeschylus Prom. 112. 113. seq. 126.
 Sept. ad Theb. 101. 112. 226. 278.
 Agam. 98. 220. 235.
 Choeph. 112. 114. seqq.
- σάτυροι* 45.
- Alciphron 235. 277.
 Anaxandrides 47.
 Apollonius Rhodius 199.
 Aristarchus apud schol. Pind. 266.

- Aristophanes Nub. 49. 195.
 Aristoteles 333. Poet. 92. 121.
 122. 124.
 Athenaeus 46. 137. 142.
 Callias 137. seqq.
 Cicero 123. de legg. 300. II. de
 or. 303. seq.
 Demetrius Phal. 122.
 Dionysius Hal. 122. 278.
 Dioscorides 53.
 Donatus 294. seqq.
 Ecphantides 50.
 Euripides Hec. 207. 220.
 Orest. 126. 179. 224.
 Phoen. 168. 223.
 Medea 126. 141. 170.
 Alcest. 206.
 Iphig. Aul. 198.
 Iphig. Taur. 115. 221.
 Rhes. 136. 252.
 Troad. 220.
 Electra 166. 178. 179. 333.
 Herodotus 216.
 Hesychius 45. 46.
 Hippocrates 282.
 Homerus Iliad. *α.* 177.
 λ. 221. 226.
 π. 171. 242.
 τ. 199.
 υ. 227. 242.
 ψ. 68.
 Odys. *ε.* 280.
 θ. 283.
 ω. 172.
 saepius et compluribus locis
 137. 271. seqq. 279. seqq.
 286. seqq. 309. seqq.
 Horatius 102.
 Iophon 49. eius Bacchae 49.
 Lollius Bassus 286.
 Longinus 123. 124. 125. 336.
 Lucianus 283.
 Maximus 283.
 Mnasalcas 90. 93.
 Ophelion 47.
 Palladas 286.
 Phrynichi Satyri 48. seq.
 Pindarus 245. seqq.
 Plato Apol. Socr. 183. Parmen.
 235.
 Plautus Rud. 211.
 Polemo 275.
 Pollux 67. 71. 73. 74. 78.
 Sappho 336.
 Scholiastes Pindari 266.
 Scolion 101.
 Sophocles Aiace 166. 199. 201.
 208. 224.
 Electra 68. 161. 178.
 Oed. R. 167. 197. 233. 278.
 281.
 Antig. 69. 169. 226. 229.
 Oed. Col. 144. 223. 228.
 Trach. 189. 196. 216. 234.
 Philoct. 186. 187. 231. 233.
 seqq.
 Clytaemnestra 60.
 Διονυσιακός 46.
 Ἑλένης ἀπακτησις 46.
 Salamis 46.
 Sositheus 53. eius Lyttersa 53.
 seqq.
 Terentii fabularum didascaliae
 293.
 Theocritus 198. 225. 257.
 Thucydides 212. 282. 284. 285.
 Timoclis Demosatyri 50. Icarii
 45. seqq. 50 seqq.
 Xenophon Anab. 243. de re eque-
 stri 63. seqq.
 Zenobius 46.





